[illegible]

QVADRIPARTITÆ

CONCIONES STANISLAI GRODICII

SOCIETATIS IESV.

IN

QVATVOR DOMINICAS ADVENTVS.

Quarum primæ, Timorem ſanctum incutiunt; ſecundæ Fidem Catholicam confirmant; tertiæ Spem erigunt; poſtremæ diuinam in nobis Charitatem excitant: reliqua Præfatio docebit.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Andreæ Petricouij.

Anno Domini, 1605.

PRÆFATIO AD LECTOREM, varios modos concionandi complectens.

DIV multumq́; deliberaui mecum, an hic labor edendarum concionum aggrediendus mihi esset. Dissuadebāt multa à sanctissimis & doctissimis viris, in hoc genere scripta in lucem edita, ne vel actum agere, vel dicta repetere viderer: suadebat verò cùm vsitata quædam, & constans Ecclesiasticorum concionatorum consuetudo, qui postquam verba Dei ad populũ faciendo, non sine multorum vtilitate, eo in munere versati sunt, scribendo etiam prodesse volunt pluribus: tum magnorum quorundã virorum, id vrgens, accedebat auctoritas, ne ea, quæ triginta & ampliùs annorum decursu, neque passim obuia notaueram, supprimerem. Quorum fretus iudicio, diuino aspirante numine, & superiorum meorum accedente voluntate, labori nolui parcere meo, vt opus hoc etiam minutum in gazophylacium Domini inferrem: ea tamen via & moderatione seruata, vt in quatuor primùm Dominicis

Aduentus periculum facerem: & siquidem ad maiorem Christi Saluatoris mei gloriam, ob cuius amorem & obsequium, hoc quicquid est operæ, & laboris suscepi, res benè cesserit; quantùm per seniles vires licebit, gradum faciam ad alia: sin minùs, saltem ætate vegetioribus, nostra hæc prælusio erit inuitamento, dum de Christianis mysteriis facere volent conciones ad populum, vt modum quendam non inutilem ad munus hoc subeundum, formandi sibi locos communes circa singula anni Euangelia, habeant propositum.

QVATVOR loci cōmunes. *Cùm enim Christi seruis, & verbi diuini prædicatoribus, id vnicum ob oculos versari debeat, vt ad lucrum duntaxat animarum suum zelum dirigant, & ad easdem animas capiendas, per abrupta vitiorum decurrentes, in verbo Domini laxent retia; illis verò inuādis nulla sit via commodior, quàm si inprimis prodromum (vt ita dicam) veræ pietatis, deinde etiam eas virtutes, quibus Deo, absq; vllo medio coniungimur, animis fidelium insinuent; eò omnem suum conatum & industriam Concionator conuertat, necesse est, finem si optatum consequi, & suo officio rectè fungi desiderat. Per prodromum hîc Timorem Dei intelligo, qui si, vt par est, fidelem animum occupet: portam salutis aperit, &*

prænun-

prænuntius est gratiæ diuinæ. virtutes verò illas tres, Fidem, Spem, Charitatem. Ad hæc nimirum quatuor capita, tanquam ad quatuor flumina Paradisum irrigantia, reduci debet: quicquid à pio Doctore, vel in scripturis sacris cum vero sensu legitur, vel in sanctis Patribus & Doctoribus, cum fructu notatur, vel piis meditationibus à Domino impetratur, vt cùm necessum fuerit, inde tanquam è penu depromat Concionator, quæ pro ratione personarum, locorum, & temporum, in medium proferenda esse iudicauerit. Gen: 2.10.

Huius quaternariæ partitionis, veluti ideam, hoc primordio decreui effingere: & circa singula Euangelia quatuor institui cõciones: facto semper initio à Timore, quem initium sapientiæ, & fontem esse vitæ, & in Apostolorum, Prophetarum, Diui Ioannis Præcursoris, denique ipsius Christi Domini doctrina, primum locum tenere, patet legenti sacros codices. Horum vestigiis insistendum erit, & salutaris hic metus, vitiorum enormitate, pœnarum, quæ improbos manent, acerbitate inculcata, pro solido Christianæ vitæ fundamẽto substernendus: ac demum exhortatione ad pœnitentiam, quæ finis timoris diuini est, & esse debet, terminandus erit. PRIMVS Timor. Prou: 14. 27. Eccl: 1.16.

Secundo loco succedet Fides, sine qua SECVNDVS Fides.

 imposſi-

Heb. 11. 6. impossibile est placere Deo. *vbi contra aduersarios pro Catholicis dogmatibus pugnabimus, & veram Ecclesiam asserere conabimur, totidem omnino signis, quot erũt titulo Fidei notatæ conciones. Quod si plures hasce notas Euangelia singula subministrabunt, non tamen eas, quamuis commodissimè potuimus, in separatas conciones, sed in partes tantùm diducemus. Exemplum huius partitionis habes in secunda Concione alterius Dominicæ Aduentus.*

Modus agendi cum hæreticis.

Vtemur autem contra Hæreticos ipsorummet armis, vel quæ tanquam propria ipsi sibi vendicare solent. Scripturam enim citatam per aliam scripturam interpretabimur; scripturâ & rationibus ex ea deductis, aduersarios vrgebimus: obiecta diluemus; ex iisdem locis, quibus veritatem oppugnant, eosdem vt falsarios conuincemus. Sed & aliis axiomatibus inter eos receptis, eosdem impetemus. Plerumq; autem ex vniuersalibus quibusdam principiis, quibus vel conueniunt nobiscum, vel conuenire necessariò debent, capto concionum exordio, ad particularia delabemur: vt in prima Dominica Aduentus animaduerti poterit. Quare nemo mirari debet, si non statim ad thema propositum descendimus. Firmo enim ædificio firma priùs fundamenta subijcienda sunt.

Abſtinebimus autem à citandis Conciliorum, vel ſanctorum Patrum longioribus ſententiis, tum ne nimio plus Conciones excreſcant: tum vt actum ab aliis laudabiliter non agamus: tum vt os Hæreticorum obſtruatur, quo impudenter apud ſuos glorientur, doctrinam ipſorum, ſoli ſcripturæ, noſtrā verò magis hominum commentationibus inniti: tum verò vel maximè, vt demonſtremus hoc quoque armorum genus, & veritatis tuendæ præſidium, Catholicorum proprium eſſè. Vt neceſſariò, velint nolint, concedant perduelles; vel id verum eſſe, quod Catholica docet Eccleſia; vel dandum eſſe aliquem iudicem viſibilem, qui abſque vllo errore poßit definire, quæ ſit vera, quæ erronea ſcripturarum intellectio. Cæterùm ex tot rationibus, quantùm fieri poteſt, libentiùs eas vſurpabimus, quæ iam olim ſanctis Patribus contra eiusdemmodi errorum monſtra pugnantibus in vſu fuerunt. ſupreſſo tamen eorum nomine, ne Hæreticis, pondere omiſſò rationum, quæ adferuntur in medium, in Patres debacchandi (vt experti ſumus) & tempus terendi detur occaſio. Neque tamen omittentur alia, præſertim (vt dixi) ex hoſtium conceßis principiis petita media: quia nihil glo-

Cauſæ inſtituti.
1.
2.
3.
4.
5.
6.

hil gloriosiùs est, quàm aduersarium, vt Goliam, vel Holofernem, proprio iugulare gladio: quod & de Christo Domino sæpè legitur, eum Pharisæos è propriis responsis redarguisse: & vulgò nullus formidolosior aduersarius habetur, quàm qui iisdem, quibus hostis, armis scitè vtitur: quod nobis qui in Ecclesia sumus gregarij milites, maximè conuenit, sicut Ducibus & Imperatoribus, Episcopis ea competunt arma, quibus in Conciliis vti consueuerunt.

7. A simili.

TERTIVS Spes.

Tertia in ordine Spes, Deum vt ditißimũ in miserationibus, & fidelißimum in promissis intuens, vberes locos communes suppeditat, agendi de se, naturaq́; sua, de amplißimis virtutum, & bonorum operum præmiis, & vt paucis complectar, latißimus est hic agendi campus, de vniuersis Philosophiæ, & Theologiæ moralis capitibus. Hæc tamen septis propositi thematis coërcebuntur, à quo nollem quicquam exspaciando digredi.

QVARTVS Charitas.

Charitas agmen claudit, tanquam dux & Regina, & virtutum maxima perfectio, atq; adeò principium & finis. Hoc enim ei suo modo quadrat, vt Christo Domino; qui verus Deus, & Charitas est. Ipsa enim est, quæ nos diuinæ consortes naturæ facit: à qua omnes virtutes habent, vt sint veræ, & frugife-

Apo: 1. 8.
1. Ioã: 4. 8.
2. Pet: 1. 4.

frugiferæ virtutes. Ad hanc igitur Dei & proximi, sanctam dilectionem, & ad eius pedissequam humilitatem, nos & alios ad perfectionem tendentes: tum immensis Dei beneficiis: tum eximiis quæ inde hauriuntur vtilitatibus: tum aliis modis, & viis, incitabimus.

Hic autem scopus noster quadripartitus, ad quem in nostris concionibus collimare cõtendimus, vel ex ipso gentium Doctore Paulo, sumpsit occasionem: cum is suo Timotheo prædicandi commendans officium, sic ait: Prædica verbum, insta, opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. *Increpamus enim (vt nostrum ordinem sequamur) Timorem propter peccata hominibus incutiendo, & increpationibus iram Dei, illorum vindicem proponendo. Arguimus, Fidem veram confirmando, Hæreticosq; tum arguendo: tum conuincendo. Instamus, Spe fideliũ animos erigendo: aliquando quidem opportunè; dum legis Christi iugum suaue ostendimus, eius opem diuinam, inuocantibus paratam, promittimus: & ad ea, quæ diligentibus se præparauit gaudia, omni æuo duratura, eos cohortamur; aliquando verò importunè, cùm probata vrgemus acriùs, & salutis peri-*

Demõstratur hæc ex D. Paulo. 2. Tim: 4. 2.

tis pericula efficaciter proponimus. Obsecramus denique, cùm amoris diuini vim, gratiam, qua nos præuenit, & beneficia, quæ in

NOTA. *nos largè effundit, demonstramus. Denique cùm instituti nostri sit currens in Ecclesia Euangelium explanare, omnem dabimus operam: vt neque à textu, quoad fieri poterit, recedamus, neque quicquam, quod ad literalem ipsius interpretationem, & ad difficultates tollendas pertinet, intactū relinquamus.*

Modi concionandi. 1. Textui inhærendo. *Quod verò ad modum quem in his concionibus tenebimus, attinet; is quoque varius erit. Aliquando enim textui Euangelico inhærendo, doctrinas inde excerpemus: quod præcipuè sanctis Patribus in homiliis est vsitatum: & in nostra quarta Concione apparebit.*

2. Thema explicādo. *Nonnunquam sententiam aliquam ex Euangelio excutiendam suscipiemus; quod Doctoribus Scholasticis commune esse video: licèt non desint, qui à themate posito ita deflectunt; vt in progressu exiguam, vel nullam eius faciant mentionem. Nobis longè vtiliùs videtur, vt thema excutiatur optimè, & in eo tota fundetur versetúrq; oratio. Id nos præstitisse in secunda Concione primæ Aduentus, & in prima secundæ Dominicæ aduertes. Cæ-*

3. per diuisionem. *terùm vt plurimùm vtemur methodica diuisione, tum quod isto dicendi modo, hoc tempore maxi-*

pore maximè videantur delectari, præsertim doctiores: tum quod imprimat dicta memoriæ. Quam ad rem etiam sub finem in compendium concionem semper ferè redigemus, & in decursu in margine puncta notãtia partes adscribemus. Nonnunquam per modum continuæ historiæ ducetur oratio. Et hic modus prima nostra concione vsurpatus, quantùm aduertere potui, est efficacißimus ad permouendum: quia & auidè auditur historica narratio, & in animum illapsa concitat; præsertim si nouis identidem, inauditis, & abstrusioribus persperfa est. Huc spectat quando ipsum Euangelium ad instar historiæ, ponderat verba faciens, & quasi Christum Dominum cum Apostolis sequendo, & intuendo facta, dictaq́; ipsius, ex eis ad docendum & permouendum, quædam libat: quod nos quarta Concione Dominicæ secundæ, & aliâs faciemus. Est & illa ratio docendi eximia, per parabolam, quæ nequaquã ita crebrò apud nos, vt olim in Palestina, docente Saluatore nostro: sed rarißimè, appositè, & cum exacto iudicio vsurpanda est. Nos in præsentia nullum eius specimen dedimus. Deniq́; ille modus, per benedictiones & imprecationes, efficax est, sanè, & plebi acceptus valde, præsertim si in cursu sermonis aptè iterentur versiculi,

4. per modũ historiæ

5. huic similis.

6. per parabolam.

7. per benedictiones.

ſiculi, ſeu integri Pſalmi eiuſdem argumẽti. Sed enim hoc dicendi modo, iam ipſo Apoſtolorum tempore Hæretici, & pſeudo-Apoſtoli abuti ſolebant; de quibus queſtus eſt Apoſtolus, Ro: 16. 18. *quòd* per dulces ſermones & benedictiones seducũt corda innocentum: *& nunc paſſim eo abutuntur Miniſtri Hæreticorum. Nec enim aliter commodè ſuas fraudes venditare poſſent, quàm loquendo* Iſa: 30. 10. placentia, *& omnia fauſta ominando. Itaq; nil conſultiùs eſt Doctori Catholico, quàm rarò, idq; in nonnulla duntaxat concionis parte, hanc orationis formam vſurpare, ne adulationis vitium ſurrepat, quod tantopere deteſtatur Apoſtolus.* 1 Theſ: 2. 5. *Eſt in Epilogo quartæ Concionis aliqua eius effigies.*

Vtilitas huius varietatis.

Iſta multiplex, tum locorum communium, tum dicendi ratio, tædio inprimis leuando ſeruit: & pro captu audientium, ſermonem dicentis attemperat, qui exemplo Apoſtoli, omnibus omnia fieri debet. 1 Cor 9. 22 *Obſtinati enim, acriùs terrore ſunt vrgendi: tepidis, & terræ paulò tenaciùs affixis, ſpes ampliorum bonorum oſtentanda: piis & religioſis, quæ charitatem ſpirant, proponenda: Hæretici ſi publicè id fiat, quàm maximè efficaciter conuincẽdi ſunt. alij aliter tractandi.* Pſeudo-politici. *Nos ſanè hanc varietatem non ſine magno conſilio adhibuimus, auditoribus*

ditoribus nos accommodando: ac proinde cùm euocati fuissemus, vt coram Rege regnique proceribus verba faceremus, non tacuimus, quæ ad pseudo-Politicos, seu Machiauelistas (quorũ virus per omnes penè Respublicas grassatur) arguendos, conuincendosque spectant: quæ vt plurimùm sub titulo Timoris lector inueniet.

Quem postremò præmonitum esse volumus, nos siue in errore, siue in vitio aliquo peculiari arguendo, rarò totam consumpsisse concionem. Quanquam enim id cum laude D. Chrysostomus, aliique fecerint olim: nostra tamen iam multò est delicatior ætas: vt vix è vulgo quispiam tantũ fulmen inuectiuarum ferat æquo animo, quale Principes olim tulerunt. Itaque si casu in alicuius, præsertim conditione non abiecti, næuum incideris, eumque continuata oratione fueris insectatus: & ipse resilit tanquam dedita opera proscissus: & secum cateruam trahit multorum, quos modica & leui reprehensione sensim inescatos, iam iam ferè Dominico reti prehendisses. Iidem verò cùm vident Ecclesiasten in vno errore nimiùm non insistere, & nil de industria in vllo notare: ventitãt identidem auidè: tangũtur sæpiùs: & crebrò diuinorũ eloquiorũ imbre veluti guttatim cadente emolliti, lapideã duriciem cordis exuunt. Quapropter illam nos ple-

Cur vniuersim vitia pstringãtur. 1. Causa.

nos plerumq; tenuimus viam, vt eruta ex Euangelio doctrina vniuersali; tũ ad schismata hæresesq́; : tum ad peccata varia arguẽda, gradum faceremus : multa simul pro occasione materiæ, & recensendo, & breuiter perstringendo vitia. 3. Causa. *Id enim præter datam rationem, auditorum à nobis exigebat ratio. Vilnæ etenim Metropoli Lituaniæ, vbi plerasq; harũ concionum habuimus, præter Catholicos & Russos, olim Græcorum erroribus implicatos: nuper autẽ cum suo Metropolita sedi Romanæ conciliatos; visitur colluuies omnium sectarum. Sunt Rusßi perstantes in schismate, sunt Lutherani, Caluinistæ, varia Anabaptistarũ genera, qui cùm ad conciones ventitarent, instruendi singuli erant. Pari ratione cùm referta auditorum multitudo variis peccatorũ generibus obstricta teneretur, visum est optimum singula tangere, ne cui suum deesset spirituale pabulum, & ad pœnitentiam incitamentum.*

Quid in cõcionatore maximè requiratur. *Cæterùm si quis percontetur, quid in prædicatore verbi maximè requiratur; caput omnium, quod in multis, & in me inprimis desiderari valde doleo, spiritum, & feruorẽ diuinum, esse autumo. Huic nos, vt Demosthenes in oratoria, actioni, & D. Augustinus in re Christiana, humilitati, primas, secundas,*

& terti-

& tertias adſcribere debemus. Is verò, recta inprimis Deo per omnia placendi voluntate, & intentione; iugi in lege diuina meditatione, ſacra lectione, vitæ innocentia, mortificatione aßidua, fuga oſtentationis, contemptu ſuſurri popularis, inuicta patientia, feruenti oratione (præſertim ante concionem) denique charitate in Deũ eximia, & zelo ardenti ſalutis proximi, quærendus & retinendus erit. Hic enim ſi aderit, res alioquin mediocres, nec adeò magno verborũ apparatu ornatæ, flammam ſpirare, & faces ſubiicere videbuntur, etiam gelidißimo auditori. Sin minùs, exquiſita quæq;, magno artificio inuenta, & prolata in medium, vt emortua languebunt.

Hæc erant, Candide Lector, noſtris Concionibus præmittenda. Neque enim abſolutum aliquem populi Chriſtiani Doctorem formare volumus: cuius vix ideam ipſi cogitatione aſſequimur. Vale, & huic operi fœlicem ſucceſſum à Domino precare.

APPROBATIO.

EGO DECIVS STRIVERIVS Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Poloniæ; potestate ad id mihi facta à Reuerẽdo admodum Patre CLAVDIO AQVAVIVA Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt quadruplices Conciones in Quatuor Dominicas Aduentus, Patris STANISLAI GRODICII Societatis nostræ, grauium, doctorumq; virorũ iudicio examinatę & approbatæ, typis excudantur. In quorũ fidẽ has literas manu nostra subscriptas, sigilloq; nostro munitas dedimus.

Cracouiæ 5. Februarij. Anno 1605.

Decius Striuerius.

DOMI-

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Euangelium Lucæ 21.

IN illo tempore: Dixit IESVS Discipulis suis: Erunt signa in sole, & luna, & stellis: & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos, cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

PARTITIO EVANGELII ET CONCIONVM.

In hoc sacro Euangelio continua est oratio Christi, qua primò terret improbos: deinde bonos ad spem erigit: deniq́ue graui attestatione fidem suis dictis conciliat. Hæc tria nos quoq́ue tribus prioribus concionibus tractabimus: quarta erit de singulari Saluatoris in genus humanum amore & beneuolentia, cuius in hoc Euangelio multa nobis exhibentur argumenta.

CONCIO PRIMA.

Timor.

Erunt signa in sole, & luna, & stellis. &c.

EXOR. A natura iræ Dei desumptum.

Iere: 36.

PRæceperat quandoq; Ieremias scriptori suo, vti comminationes, pœnas, *& vniuersa mala*, quibus Dominus Deus populum illum aggredi cogitabat, ab ore ipsius in vnum volumen excepta, audiente vniuerso Iuda proponeret, legeretq;: & addit; *Quoniam magnus furor & indignatio est, quam locutus est Dominus aduersus populũ hunc.* Factum est quod imperauit Propheta; & lecta sunt non semel tantùm, in domo Domini coram vniuersa multitudine; sed iterum in domo Regia coram omnibus Principibus. *Quæ cùm audissent omnia,* inquit scriptura, *obstupuerũt vnusquisq; ad proximum suum,* nempe è verbis Propheticis graui terrore incusso, quasi rationis beneficio destituti essent, alter in alterum obtutus defigebant. Si verba illa, ex ore Prophetę egressa, veluti fulmen terrificum, verterunt in stuporem Hebræos: quantò magis hæc ore Domini Prophetarum, ore ipsiusmet Filij Dei prolata terrebunt? Si comminatio pœnarum & damnorum temporalium, populum duræ ceruicis è statu mentis dimouit: quid non faciet illud tonitru, quo Deus omnipotens æterna supplicia sontibus cõminatur? Si adeò non vulgus tantùm imbelle, verumeti-

verumetiam Principes Ducesq; potentes *vmbra* (sic figuras Apostolus vocat) tenuis diuinæ seueritatis attonitos & elingues reddidit: in quantam obsecro formidinē animos nostros res ac veritas ipsa coniicere debet? præsertim cùm illæ captiuitates plagæque omnes, quotquot à mundi exordio fuêre, earum quas hodierno die Christus Dominus prædicit, non nisi figuræ & imagines fuerint. Quamobrem vt eum in nobis affectū sentiamus, ad quem tum prophetæ, tum Christi Domini verbis impellimur: terrores illos etiam auditu horribiles, tum qui præcedent, tum qui tremendū iudicij diem penè comitabūtur, è textu Euangelij hodierni attentè expendemus. Itaq; primò nobis de mundi cōsummatione; tum de iis agendum erit, quæ consummationem illam subsequuntur.

Col: 2. 17.

PROPOSITIO. Historia de extremo iudicio texetur.

PRIMA PARS.

CVM diem aduentus Dominici, diem extremi iudicij describo; visum est mihi nō esse necessarium, vt sanctorum Patrum pro ea re adducam testimonia, quæ propè in infinitū sermonem extraherent: satis erit abundè, si ex innumeris sacræ Scripturæ locis, pauca proferamus, idq; seruata serie historiæ, quam scriptura nobis tradere videtur. Incipiamus autem à primis Euangelij hodierni verbis.

Idq; ex scriptura sacra

ERVNT SIGNA IN SOLE ET LVNA ET STELLIS, ait saluator. Qua de re ita Ioel: *Sol*

Signa aduētus Christi ad iudiciū.

Ioel:2.31. el: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Matt: 24. 29. Apud Matth. verò Dominus sic: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo.*

1. statuum Ecclesiæ euersio.

Qui hæc in sensu spirituali solēt interpretari, per solem, ordinē Ecclesiasticum, vt maximè in Ecclesia illustrem accipiunt, qui tum velut amisso lumine deficit, quando vitæ probitate & doctrina, ad salutem aliorum necessaria destituitur. vnde necessariò Christianus orbis cœcis errorum tenebris inuoluitur. Per lunam verò, statum Politicum interpretantur; qui rapinis, cædibus, & tyrannide æstuans, orbem lunæ sanguineo rubore tinctum imitabitur. Per stellas, viros doctos intelligūt, qui sublimē in Ecclesia gradum adepti, cùm Dan: 12.3 veluti *splendor firmamēti & stellæ* (vt eos ipse etiam Propheta vocat) eam ornare deberent, miserè de tam illustri loco, per arrogantiam insolentem, per adinuentiones, & doctrinas prauas, in hæresum voragines prolabuntur. Talium ergo tum temporis magna erit copia; qui omnes facilè partes Antichristi sequetur, Luc:18.8. impleбiturq; illud quod Christus inquit: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidē in terra?*

2. Fidei defectus.

Certè parùm etiam verè politicæ fidei inueniet. Rari amicitiam ex animo colēt, rari stabunt promissis, rarissimi iustitiæ & æquitati studebunt. vt de aliis illustrioribus virtutibus, Christiano dignis, & fidei Catholicæ constantia taceam. Hanc mysticam & piam loci

ām loci huius interpretationem, vtinam & intelligant homines, qui huiuſmodi vitiis laborant, & de morum vitæq́; emendatione ſeriò cogitationem ſuſcipiāt. Verùm quoniam inſtituti noſtri eſt, verba Euangelij ad literam perſequi, non diutiùs in ſpirituali ſenſu hęrebimus, nec de Antichriſto vllam faciemus mentionem, cùm hæc materia longioris ſit temporis. Quare & quæ audiuimus ex ore Chriſti verba, & quæ ſequuntur, cùm inquit:

Et In Terris Pressvra Gentivm, ſic intelligi poſſunt, ſicut ſonat litera: Ita vt quæ ſæpè alias auditæ, vel quandoque etiam oculis noſtris viſæ ſunt calamitates, eæ quò mundi finis accedet propiùs, longè ſint maiores & crebriores futuræ. Exempli cauſa; Videmus nonnunquam Ecclipſes Solis & Lunæ, Cometas, & alia id genus portenta in cœlis. In terris porrò experimur famem, bella, peſtes tam hominum quàm etiam pecorum; audimus quandoq; inſolitis fluctibus & procellis agitari maria, audimus terræ motus & hiatus immanes; quę mala ſingula tum maximè euenient, quando mundi finis & extremi iudicij dies inſtabit. Tunc enim extrema quoq; rerum omnium ingruet perturbatio: tunc omnia ſurſùm deorſùm miſcebuntur: vt ſol nullam penitus lucem ſit daturus: ac proinde longè atrociores tenebræ omnia peruadent, quàm quę Chriſto Domino patiente, terram, vel Moſe Pharaonem caſtigante, Ægyptum

3. Totius orbis perturbatio.

4. Solis obſcuratio.

Matth: 27. 45.

Exo: 10. 21.

ptum occupauerãt; de quibus ſcriptura teſtatur, quòd fuerint *tam denſæ, vt palpari* potuerint.
5. Lunæ immutatio. Luna etiam primùm quidẽ ſanguine ſuffundetur, poſtmodum inſueto nigrore obducta
Matt: 24. 29. extinguetur. *Stellæ* verò *cadent de cœlo,* inquit
6. Stellarũ caſus. Dominus. Quod cum quanto ſtrepitu futurum eſt, & quàm horrendum præbebit ſpe-
Chryſ. Euzim. Mald. in hunc Matth: locum. Et Lactant: lib: 7. diuin: Inſtit: cap: 16. ctaculum, quis explicet? Neq; enim deſunt, qui mecum ad literam hæc intelligant. neq; id impoſſibile creditu, ſi conſideremus omnipotẽtiam Dei, quę plura facere poteſt, quàm nos valemus intelligere. neq; iſta ſolùm ſenſus expertia, verumetiam

VIRTVTES COELORVM MOVEBVNTVR: quo nomine angeli intelligendi ſunt.
7. Virtutũ cœleſtium commotio Hoc enim D. Ioannes videtur in Apocalypſi expreſſiſſe cùm inquit: *Dedit ſeptem angelis ſe-*
Apoc: 15. & 16. cap. *ptem phyalas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum.* Qui poſtquam eas effuderint in terram, in ciuitates, in mare & flumina, & ſuper fontes, in ſolem & aërem, conſurgent plagæ, tribulationes & preſſuræ, quales nunquam acciderãt *ex quo homines fuerunt ſuper terram.* Tum incipient æſtus intolerabiles, grandinum, procellarum vis ingens; aquæ in ſanguinem conuertentur, animantia muta morientur, morbi peſtilentes *vulnus ſæuum & peſſimum in hominibus* orietur, ideoq; *commanducabũt linguas ſuas præ dolore*, nec tamen agent pœnitentiam ex operibus ſuis, ſed blaſphemabũt Deum, & adhærebunt Antichriſto charactere

beſtiæ

bestiæ insigniti. Hæc & similia quæ ibi describuntur signa, in terra, elementis, cœlo, sole & Angelis, præuidit & complexus est paucis Sapiens, cùm de Deo ait: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum; & pugnabit cum illo orbis terrarũ contra insensatos.* Ex quo futurum est, vt nullus omninò fugæ, aut solatij locus relinquatur. Neq; enim in rupium cauernas, aliasué solitudinum latebras se abdere, neq; vltra mare tutò fugam tentare, non in aëra se attollere, non aliis vti effugiis poterunt. Vndiq; eos motus & quassatio mundi, sonitus & confusio fluctuum, turbines, tempestates, & alia mille mala propellent. O deplorandam hominum calamitatem! ô grauem & iustam vindicis Dei vltionem! Hæc voluentes in animo, quid aptiùs inclamare possumus quàm quod ab Angelo dictum est; *Iustus es Domine, qui es & qui eras Sanctus, qui hæc iudicasti, digni enim sunt!* Digni sunt certè ô Domine, digni omnes, quia res à te conditas, contra maiestatem tuam, vt arma sacrilega vsurpârunt, quando eis impiè ad scelus abusi sunt. Digni sunt, inquã, vt ab eis creaturæ perperam vsurpatæ, pœnas expetant. Digni sunt, qui se sub potenti manu tua per pœnitentiam humiliare noluerũt, vt eos omnibus creaturis deprimendos, affligendosq; obiicias.

8. Omnis creaturæ contra impios pugna

Sap: 5. 18.

Apoc. 16. 5.

Sed nondum est finis, duæ adhuc videntur plagæ restare, certè maximæ: flam-

ma videlicet vniuersum orbem depascens, & temporis cessatio. Diuina enim vis, globos cœlorum primò incitatissima celeritate impellens; deinde motum eundem violenter inhibens id efficiet. Hæc D. Ioannes, more Prophetico de rebus futuris, perinde ac de præteritis loquens: non aliam ob causam, quā quòd certò & infallibiliter euentura sint: vt quemadmodum quod factum est fieri nequit infectum: ita quod prædicitur authore Deo, aliter se habere non possit. Dicit igitur Ioan-
Apo: 10.5. nes: *Angelus quem vidi stantem super mare & terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo sunt, & terram, & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius.*
9. Tēporis cessatio. At quonam modo tempus esse desinet? Nempe eo modo, quem nobis S. Petrus de-
2. Petr: 3. 10. scribit: *Cœli* enim præter solitum *magno impetu transient,* hoc est cursum suum mira & inaudita velocitate absoluent. Vnde *elemēta calore soluentur, terra autem & quæ in ea sunt opera exurentur.* Ex quibus verbis vtriusq; Apostoli duas difficultates facilè intelligemus. Prima est, cur aut quomodo iurante Angelo tempus desinet? Desinet enim quia cœlum illud supremum, quod ex sententia etiam Philosophorum motu suo regula est, & mensura
10. Ignis, diluuium. omnis temporis, desinet moueri. Altera est, vnde ignis ille tātus erumpet & vniuersa peruadet? Nimirum ex illa incitatissima orbium cœlesti-

cœlestium conuersione. Vnde quemadmodum tempore Noë, aquæ non plana tantùm loca & decliuia, sed summos etiam montes obruerunt: ita ignis ille non per extima tantùm terræ se diffundet, sed etiam abditos eius sinus penetrabit, & omnia quę in ea sunt exuret, vt audis ex Apostolo.

Quod verò ad homines tum superstites attinet: perditi quidem maximos cruciatus ab illo atroci incendio sustinebunt. Probi verò & eximia vitæ integritate qui fuerint, celeriter in Domino obdormient: at qui peccata quæpiam expianda habuerint, igne illo quasi flammis purgatoriis emundabuntur. Atque hoc modo edicto diuino fiet satis, quo *statutum est hominibus semel mori*: quod adeò ratum ac fixum semper Deus esse voluit; vt ab eo nec Vnigenitum suum, nec intemeratam eius Matrem voluerit excipere. Exposuimus aut potiùs attigimus breuiter capita terrorum & consummationis mundi huius, mundi antiqui, mundi immundi, mundi miserabilis & tenebrosi; in cuius locum succedet mundus nouus, cœlum nouum, & terra noua. Placet ea de re Principem Apostolorum audire, qui singula tam exactè & copiosè exaggerat, graui verborum & sententiarum pondere. Eius verbis, cùm ad nos commonendum nihil sit accommodatiùs, primam hanc partem concionis meæ concludam. Sic ergo D. Petrus: *Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos*

[Margin notes: 11. Mors omnium. — *Heb: 9. 27.* — 12. Nouus mundus. — *2. Petr: 3. 11.*]

tet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cœlos & nouam terram, secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace. Da Christe IESV, da piissime salutis nostræ restaurator, monentem tuo nomine Apostolum audiamus, & inueniamur immaculati in aduentum tuum in illa die.

SECVNDA PARS.

EXTREMVM IVDICIVM. *Matt: 13. 39.* Angelorũ tunc officium.

POst finem mundi, cùm omnia quæ oculis videntur flamma horribilis exusserit; succedet messis illa magna, ad quam Christus non homines, sed Angelos messores adhibebit. Id enim ipse testatur, cùm inquit: *Messis consummatio seculi est, messores autem Angeli sunt.*

1. Cineres colligere.

Hi igitur triticum & zizania, id est corpora humana in cinerem & fauillam redacta, tàm malorum, quàm bonorum, colligent: adeoq; scitè in suas distribuent portiones; vt propriam vnicuiq; homini asignent, nullo prorsus puluisculo desiderato.

2. Cuiq; portionẽ suam asignare.

Sed quoniam necdum satis est ad messem illam expediendam; (non enim cineres Deus iudicabit) credibile est è sententia multorum, in efformandis seu organizandis illis corporibus, & cũ anima coniungendis, Deum præpotentem Angelorum quoq; opera vsurum. Ita vsum Ezechielis ministerio

3. Corpora efformare.

Ezech: 37.

nisterio subindicant diuinæ literæ, vbi pulchram huius mysterij figuram habemus. Vt enim ibi voce Prophetæ, ita hic ministerio Angelorum, ex cineribus illis ossa inprimis coagmentabuntur, quorum *vnumquodq; ad iuncturam suam* accedet, *& super ea nerui & carnes ascendent, & desuper cutis in eis extendetur.* Porrò vt anima seu spiritus iungatur cum corpore, sicut apud Ezechielem noua propheticæ vocis energia; ita & hic *vox* tum Angelica, tum Dominica, & *clamor*, & *tuba* efficiet. Neque frustra clamor hic tot nominibus in sacris literis expressus est, quia sonorus, intellectu facilis, terribilis admodũ, & efficax est futurus, qui à diuturno & lethali somno, tam multos, tam dissitos, & in imis terræ visceribus abditos mortales, momẽto reuocabit ad lucẽ. De quo Saluator; *Mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabũt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsq; ad terminos eorum*, bonos videlicet & malos, siue ad vitam, siue ad mortem destinatos, triticum & zizania, pisces omnis generis, vt sæpè Dominus in parabolis prædixit.

4. Animas aduocare, voce, tuba, & clamore.

1. Thes: 4. 16.
1. Cor: 15. 52.
Mat: 25. 6.
Luc: 5. 25.
Matt: 24. 31.

Postquam igitur vox illa; Surgite mortui ad iudicium, aut quæpiam similis intonuerit; *in momento, in ictu oculi, mortui resurgent incorrupti*, inquit Apostolus: Reddet enim detentas Beatorum animas cœlum, reddet infernus, restituet purgatorium; & vnaquæque anima suo corpori, ita, quemadmodum diximus, efformato,

1. Cor: 15. 52.

formato, vnietur, vt scilicet integer homo
2. Cor: 5. corpore & anima constans, prodeat vt *referat*
10. *vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum*
5. Omnes deportare prope Ierusalem. *siue malum.* Proinde facto initio ab Adamo ad nos vsq;, & deinceps ad eos qui Antichristi tempore nati fuerint, omnes integri surgẽt, & deportabuntur ab Angelis propè Hierosolymam; quemadmodũ Deus per Prophetam
Ioel: 3. 2. non obscurè docet, cùm inquit: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabò cum eis ibi.* Et subditur: *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.* In eum igitur locum, & qui valli Iosaphat vicinus est, omnes congregabimur: quod etiam Angeli
Acto: 1. Domino in cœlum ascendente insinuarunt. Mons enim oliueti ex quo Dominus triumphans è terris ad Patrem sese recepit, ibidem situs est. Et congruum videtur, vt in conspectu eius vrbis cum illustri triumpho cõpareat; in qua tam abiectus fuit Dominus, ibiq; vel non procul ab eo loco iustum iudicium instituat, vbi primò ipse peruerso iudicio cõdemnatus erat.

6. Crucem in aëre formare. Modus autem aduentus eius hic erit. Inprimis *parebit signum filij hominis in cœlo* ab An-
Matt: 24. gelis (vt est probabile) efformatum, nec aliud
30. certè quàm signũ Crucis (vt semper fuit constans Doctorum Sanctorumq; sententia) signum olim ignominiosum, nunc honora-
Gal: 5. 24. bile: signũ bonis omnibus qui propter Christum *car-*

ſtum *carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis*, gratum, & ſingulari veneratione inſigne: malis autem ſignum horribile, formidandum, quippe diuinam vim & pœnas vltrices denuntians. Deinde ipſe Chriſtus de cœlo paulatim ſe demittet. Tum *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* Omnes verò in tres vel quatuor ordines, docet ſcripturæ & Patrum authoritas, diſtribuendos. Primus erit eximiè iuſtorum, qui pro Dei amore omnia quæ poſsidebant reliquêre. inter quos ponit ſeipſum D. Paulus cùm ait: *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* Occurrent enim venienti Iudici magna cum fiducia, quippè non iudicandi, ſed cum illo iudicaturi alios, vt eis ipſe Chriſtus promiſit. Alter verò ordo erit iuſtorũ quidem, ſed qui iudicandi ſunt, nec ipſi alios iudicabunt. Et hos à dextris Chriſti Domini Angeli collocabunt. Tertius ordo à ſiniſtris impiorum erit, qui ſi infideles fuerint, non iudicabuntur iudicio diſcuſsionis, quia *iam iudicati ſunt*, inquit Dominus. Si verò fuerint fideles, verùm improbè, nec ad normam legum Diuinarum vixerunt; iudicabuntur, & opera eorum rigidiſsimo examine diſcutientur. Hac igitur ſegregatione per Angelos peracta, illos qui à ſiniſtris erunt, aduentus ſui terribili ſpecie percellet Dominus, & in eos totum hunc tremẽdi iudicij apparatum diriget, implebiturque quod audis in Euangelio:

7. Bonos à malis ſegregare. Omneſq; in 3. vel 4. ordines diuidere.
Matt: 13. 49.
Vide D. Greg: lib: 26. Mora: cap: 20. ſecundum vnam, capite verò 24. & 25. ſecundum aliam editionem.
1. Theſ: 4. 17.
Matt: 19. 28.
Ioã: 3. 18.

Et Vi-

Sequitur aduentus Iudicis. ET VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM IN NVBIBVS, CVM VIRTVTE MVLTA ET MAIESTATE. Magnus etenim profectò terror impios tunc inuadet, intuitu tantæ maiestatis, quando venient omnes Angeli, & omnes Sancti cum eo, vt & Propheta & ipse Christus testatur. Videbũtq; illum, & qui à dextris, & qui à sinistris fuerint collocati: ita enim futurum D. Ioannes ait: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Quotquot nempè ab exordio mundi fuerunt, omnes in Dominum defigent lumina: verùm dispari sensu animi: Bonis enim summam aspectus ille Seruatoris sui lætitiam afferet: vt propterea ipse Apostolos animet, dicens in Euangelio hodierno:

Zac: 14.5. Matt: 25. 31. Omnibus conspicuus. *Apo: 1. 7.* Bonis delectabilis.

HIS AVTEM FIERI INCIPIENTIBVS, RESPICITE ET LEVATE CAPITA VESTRA, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Itaq; cum ingenti voluptate, maxima cum fiducia faciem Domini sui aspicient Contra verò improbi, videbunt inuitissimi, adeoq; inusitato pauore consternabũtur; vt sibi terram dehiscere sint exoptaturi. Hoc enim eis crucem humeris baiulans minatus est Dominus dicens: *Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.* Idem paulò latiùs D. Ioannes; *Reges,* inquit, *terræ, & Principes, & tribuni, & diuites & fortes dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super Thronum, &*

Malis verò terribilis. *Lu: 23.30.* *Apo: 6.15.* Quia seuerus nimis.

num, & ab ira Agni. Expendite quæſo ſinguli, expendite horrendas haſce minas, & expergiſcimini. Si ſolus irati iudicis aſpectus tantum terrorem in improbis excitat; quantam acerbitatem, irreuocabile & æternum illud decretum & eius rigida executio efficiet? Equidem ſi quis vt par eſt hæc in animum demittat, quantas tunc anguſtias, pauore conſternati, perditi homines paſſuri ſint; neſcio quomodo non animo cõmoueri, quomodo non totis artubus debeat contremiſcere? Tunc reuera mundus horrendum immugiet, tribus ad tribum pectora feriet, potentiſsimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Si enim ſurſùm aſpexerint, Dei aſpectu exanimabuntur, qui non iudex tantùm, verumetiam vt ſpectator præſentiſsimus teſtis omnium ſcelerum ipſorum eſt futurus: ita enim de ſe per Prophetam ait: *Ego ſum iudex, & teſtis.* Quamobrem nullus ibi ſceleris occultandi, nullus excuſandi modus erit. Si verò deorſùm oculos demiſerint, videbunt infernum ingentes flammas illis præparatas euomentem. Quod ſi ad dexteram ſe conuerterint: ibi videbunt Angelos contra ſe grauiter expoſtulãtes, quòd ipſorum ductum & conſilia ſpreuerint, & prauis ſuggeſtionibus præbuerint aſſenſum. Si ad ſiniſtram, ibi quoque teterrimos dæmones peccata ipſorum cum exaggeratione recenſentes, & vltionem à Deo expoſcentes aſpicient. A tergo vitam voluptariam velut ſomnium in

Quia vndiq; anguſtię ſurſùm deorſùm &c.

Ier. 29. 23. Quia idem iudex & teſtis.

um in momento tranſactam habebunt. A fronte ſupplicia in æternum duratura intuebuntur. Deniq; intus conſcientiam mille flagitiis inquinatam, apertam & ſeipſam redarguentem, omniaq; ſua peccata quaſi in ſpeculo contemplantem animaduertent. Hic enim eſt liber ille, de quo apud Danielem legimus: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt:* & in Apocalypſi: *Et vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni, & libri aperti ſunt;* (nempe conſcientiarum:) *& alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ,* (vnica videlicet preſcientiæ Diuinæ infallibilis cognitio) *& iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Et in D. Paulo: *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorũ, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiã defendentibus in die cũ iudicabit Deus occulta hominum.* Ex quo loco, & ex illo alio: *In cogitationibus enim impij interrogatio erit,* rectè colligit D. Auguſtinus, iudicium hoc in anima & mente, non autem ſenſibili voce tranſactum iri. Nam ſi verbis & concertationibus ageretur, ꝓpter innumeram hominũ multitudinem, iudiciũ neſcio quando finem haberet.

Quia conſcientia quoq; teſtis erit.

Dan: 7. 10.

Apoc: 20. 12.

Ro: 2. 15.

Sap: 1. 9.

Augu: de Ciuit: Dei lib: 20. ca: 26. tom: 5.

Hæc verò quamuis abundè ſatis eſſent ad homines Orco vel Cœlo deſtinandos: nihilominus tamen vltimam illam ſentẽtiam ore ſuo ſupremus iudex pronuntiabit. *Cùm* enim *venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ,* cumque hinc infœlix reorum, inde lætum iuſtorum

Quia vltimum decretum & ſi piis amabile.

Matt: 25. 34.

ſtorum agmen ſteterit, auditis quoq; Beatorum ſententiis, qui cum ipſo iudicaturi conſidebunt, & ſuffragio cum eius ſanctiſsima voluntate congruent; conuertet ſe inprimis placidiſsimo vultu ad eos qui à dexteris fuerint, dicetq;: *Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui, & dediſtis mihi bibere.* & quæ ſequuntur in D. Matth. Poſtmodum verò vultu ardente & ſeuero, qualem diuina eius indignatio effinget, parti ſiniſtræ dicet; *Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi mãducare, &c.* Cumq; illi excuſationes pro ſe afferre cœperint, quia nimirum ipſum nunquam viderant; ideoq; eiuſmodi miniſterio abſtinuerunt; Reſpondebit eis vt prioribus; In perſona pauperum, vel præſtitam vel negatam eſſe ſibi hanc liberalitatem. Hoc edictum rigidiſsimum, hanc latam ſententiam, dicto citiùs executio ſequetur. *Ibunt enim hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Ibunt, inquam, maledicti, & flammis æternis abſorbebuntur, æternùm ab amœna patria excluſi, æternùm diabolo & angelis eius addicti.

Impiis tamen erit acerbum nimis.

Executio verò multò crudelior.

Quæ nobis obſecro mens, qui ſenſus, quæ cogitatio debet eſſe, dum hæc audimus? quis pauoris, quis trepidationis modus dum hęc ſeriò perpendimus? Tam tremendæ tamq; amaræ diei recordationem vt altius nobis infige-

Epitheta diei illius amariſsimæ.

 fige-

figerēt ſacræ literæ, miris eam titulis exprimũt.
De:32.35. E plurimis aliquot adduco. Moyſes eam *diem*
Iob 21.30. *perditionis.* Iob & Prophetæ paſsim *diem furoris*
Pſa: 40.2. *Domini.* Dauid & Salomon *diem malum* vocãt.
Pro:16.4. De eadem Iſaias: *Ecce dies Domini veniet crude-*
Iſa: 13.9. *lis, & indignationis plenus, & iræ furoriſq́.* Item
Ier: 30.7. Ieremias; *Magna eſt dies illa, tempuſq́ tribulationis,*
Eze.30.2. Et Ezechiel: *Vlulate, væ væ diei.* Sed ad inſtar a-
liorum eſt Ioelis & Sophoniæ longior exagge-
Ioel: 2. 2. rata oratio: *Dies Domini magnus, dies tenebrarum*
Zop: 1.14. *& caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tribulationis*
& anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies amara,
Eph:6. 13. *dies iræ.* (quo nomine vtitur etiam S. Paulus) *dies tubæ & clangoris.* Eſt ſanè tuba illa, eſt ille clangor de quo ſuprà egimus: Eſt illa ferrea vox, quam ex ore Domini audiet claſsis damnatorum: *Diſcedite à me maledicti,* ſcilicet ne vnquam aſpectu meo, ne vnquam lucis huius vſura & cœli fruamini. Ego quidem ideò vos creaueram, ideò ſanguine meo redemeram, vt conſortes gratiæ, conſortes gloriæ ſempiternæ efficeremini: ſed & gratiam deſpexiſtis, & gloriam contemptui habuiſtis. Ego tot redditibus auxeram, vt peccata veſtra piis largitionibus expiaretis, vt ſaturatis eſurientibus, nudis veſtitis, captiuis redemptis, æterna regna mercaremini: nummum vix egentibus porrexiſtis: opes veſtræ maioris vobis gehennæ inſtrumenta fuerunt. Nil non vertiſtis in perniciem veſtram, quod à me liberaliſsimè ad cœlum comparandum erat conceſſum.

Diſcedite

Discedite ergo maledicti in ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius. Eorum siquidē instinctui parere,eorum sequi consilia maluistis, quàm mea. Pactum & societatem quam cum iis aduersum me iniistis, continuam & æternam habetote. O iustum iudicium! ô plenum summæ æquitatis decretum! quanquam valdè amarum & penitus intolerabile iis, contra quos proferetur. Decreti æquitas.

Quæ tum comploratio, qui gemitus, quæ lamenta & execrationes, quibus diem ortus sui detestabuntur? Exprimit eorum personam Ieremias & Iob, cùm ait: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est,conceptus est homo.* Idem Christus Dominus cùm de Iuda inquit: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Flebūt itaq; magno clamore, rugient, stridebūt dentibus, vlulabunt,Ezechiele & Isaia teste. Cæterùm ad summam infelicitatem illud accedet, quia frustrà dolebunt, nec vllum emolumentum è gemitibus percipient. Omnia incassum, omnia cadent in irritum. Hic dilectisimi, hic dum viuimus dolori & lachrymis est locus. Hic dum viuimus,dum in tēpore sumus,dum Dominus tacet,dum patienter tolerat, misericordiæ assequendæ,delictis deflendis,est occasio:ne igitur pœnitentiam differas. Nam audi quomodo ipse te Deus apud Prophetam de hoc admoneat: *Tacui*, inquit, *semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* Ita est benignisime IESV, verè tacens & patiens

Impiorum tunc eiulatus frustraneus.

Ier:20.14. *Iob 3. 1.* *Matth:26 25.* *Isa:13.6.*

Quia hic est locus pænitentiæ.

Is: 42.14.

fuisti, & quando tormẽta illa peracerba, mortemq́; ignominiosam pro salute nostra passus es, & quando in nos grauissimis obstrictos sceleribus sæuire nolens, patienter sustinuisti & admonere non cessasti, vt nos à vitiis cohiberemus, vt pro commissis dolore tangeremur. Ita est equidem ita optime IESV, sis benedictus in secula. Verùm quoniam surdis nobis fabula canebatur, quoniam monitis tuis obtemperare noluimus, nec pœnitentia vllatenus ducti sumus, quid ergo nobis erit? Loquêris vt parturiens, cum dolore, cum gemitibus verba eniteris, & iram tot millibus annorum conceptã effundes. Age verò quid inde sequetur? *Dißipabo,* inquis, *& absorbebo simul.* Ita omninò fiet. Subitò enim, & à te, & ab aliorum consortio auulsos, infernus absorbebit malos, & viui cum corpore descendent in profundũ sicut lapis. Angeli enim momẽto tuam exequentur sententiam, colligentq́; *zizania in manipulos, & mittent eos in caminũ ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.*

Vltimum angelorũ officium zizania in infernum proiicere. *Ma: 13. 42*

Quamdiu verò ibi cremandi erunt? donec ęternitas durabit. Ait enim D. Ioannes: *Et fumus tormentorũ eorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die ac nocte.* Nec ignes solùm perpetuos, verũ & alios infinitos cruciatus ibi passuri sunt, de quibus fusè sacræ literæ: Ego ꝓpter temporis angustias percensendis illis supersedebo. Illud duntaxat in pręsentia perpendatur attentissimè, quòd nec requies vlla, nec vllus

Apoc: 14. 11.

Aeternitatis adumbratio.

vllus durationis eorum finis erit. Si fortè tot in tormentis annos improbus quiſq; detinēdus eſſet, quot hic horas in luxu & flagitiis cōſumpſit, & hoc durū horrendumq; eſſet. At ſi pro ſingulis momentis in laſciuia tranſactis, mille, ſi centies mille annorum ſpatium aſsignaretur, quàm longè durius hoc, & intolerabile etiā auditu eſſet? Atqui nec vmbram æternitatis aſſequitur hæc imaginatio. finge tot millenarios annorum, quot minutos in terra puluiſculos, nihil concepiſti quod verè æternitati reſpondeat. *Fumus tormentorum eorum aſcendet*, inquit ſcriptura, *in ſecula ſeculorum.* Fruſtra igitur de modo, & fine ſupplicij æterni quæris, vbi intercedit æterna duratio. Id age potiùs, vt in hac vita, æternitatis cogitatione mouearis, vbi locus eſt pro momentaneis vltrò ſuſceptis afflictionibus, ſempiternas flammas euadendi; pro exiguis, pro tranſitoriis bonis, in vſus pios erogatis, cœlum & beatam immortalitatem comparandi. Hic itaq; licitare cum Deo ſi ſapis, nam poſtea licitandi nō erit locus, neq; tempus, neq; anni. An enim non audiſti quando *iurauit Angelus per viuentem in ſecula ſeculorum, quia tempus non erit amplius?* Et ſiquidem tempus deſinet, deſinent etiam anni, quorum menſura eſt tempus. Succedet mera æternitas, & quamdiu Deus, tamdiu tormenta durabunt: Impios enim *deuorabit ignis qui non ſuccenditur*, inquit Iob; *Vermis eorum nō morietur, & ignis eorum nō extinguetur*, dicit Iſaias, di-

Hîc non illic locus lucri eſt.

Apo: 10.5.

Iob 20.26.

Iſ: 66.24.

Mar: 9. 44. as, dicit ipſe Dominus. Habes & in Apocalypſi: *In diebus illis, quærent homines mortem & non* Apoc: 9. 6. *inuenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors* Apo: 20. 8. *ab eis.* Et tamen ſacræ literæ mortem eam vocant, & mortem ſecundam hoc eſt æternam.

Ibi mors & vita ſimul.

Mirum ſanè videtur, cùm nec mors ſit nec vita, mortem tamen & vitam vocari. Si enim mors dicenda eſt, cur non perimit? Si vita, cur qui eam viuunt mortuis ipſis millies ſunt miſerabiliores? Nimirùm ideò, quia quod eſt in morte terribiliſsimum, & in vita acerbiſsimum, id ibi mira Dei diſpenſatione ad vindictam impiorum coibit. Tales enim cruciatus patientur, quos ſi in hac vita ſuſtinerent, è veſtigio morerentur, ibi autem tormentis omnibus erunt ſuperſtites. Infelices quòd ſine ceſſatione cruciantur, infeliciſsimi quòd cruciatu non enecentur. Hæc ſunt opera mirabilia potentis dexterę tuæ Deus, quę & contraria inter ſe copulat, vt vita mortem non excludat, mors finem ignoret. Iuſtum enim eſt Domine, vt in eos mors ita deſæuiat, qui aduerſum te *percuſſerunt fœdus cum morte, & cum inferno pactum fecerunt.* Iuſtum eſt & congruũ ô Deus, vt viuant in æternum vitam calamitoſiſsimam, qui te Deum vitam beatiſsimam repudiarunt, & ita ſunt auſi offendere, vt ſi æternùm victuri fuiſſent; æternùm in ſuo ſcelere & peccandi voluntate perſtitiſſent.

Iſa: 28. 15.

Concluſio per exhortationem.

Finem impoſiturus concioni meæ, alloquor vos verbis Domini. *Intellexiſtis hæc omnia?*

Mat: 13. 51

Ita puto,

Ita puto, nihil enim fuit non planum. Perspexistis aliquatenus stupendum iusti iudicis apparatum? Sic mihi persuadeo. Creditisné hæc euentura? Credere vos arbitror: Credite dilectissimi credite, quippe omnia penè è sacris literis deprompta, in mediumq; sunt allata, quibus fidem negare non vulgaris esset in Deum contumelia. Redite mecum oro ad historiam, vobis in ipso exordio propositam de libro Prophetico; in qua illud præterea continetur, quòd cùm liber ille terroris plenus coram Rege Ioachim lectus esset, tantùm abest vt Rex ad meliorem frugem se reciperet (quod Deus præcipuè intendebat) vt etiam volumen illud pagellis sigillatim excisis, homo peruicax combureret: non aliam profectò ob causam, quàm quòd iis, quæ ibi continebantur, fidem non haberet. Quid ergo hac proteruia meruit? illud meruit quod Deus præcepit Prophetæ, vt ea omnia quæ in exusto libro erant, rursus repeteret, & multò plures adiiceret calamitates & plagas quàm fuerant priores, quas quidem omnes ad vnam vindex ira Dei executioni mandauit. Rex enim ille, diuinorum oraculorum cõtemptor, ab hostibus captus, trucidatus est: corpus eius exanime, non secus ac bestiæ cadauer in campum feris & alitibus proiectum, posteritas deniq; tota eius est deleta. Habes ô perfide, incredulitatis tuæ dignum stipendium. Nostrũ verò quiuis corrigendi sui, à te sumat exem-

Incredulitatis pæna notanda. *Iere: 36.*

 plum, si-

plum, fidemq́; Domino habeat. Nulla enim re tanta maiestas magis offenderetur, quàm si ipsissimę veritatis asseueratio vocaretur in dubium. Dicetis singuli, credere vnumquemq́; isti, omnibus, vt fidelem par est? Faxit Deus.

Medium euadendi damnationẽ est, fides cum pietate.

Vnum adhuc tibi curæ sit, quânam ratione iudicium hoc adeò rigidum euadere possis: nec alia profectò, quàm si fidei solidæ innixus, piam vitam instituas, culparumq́; tempestiuè maculas eluere contendas. Etenim si hasce pœnas illi daturi sunt, qui benè agere neglexerunt, quas tandem luent illi, qui peccata peccatis addere non desistunt?

Et consideratio pęnarum à minori ad maius. Indeq́;.

Maledicti ore diuino sunt pronunciati, qui esurientem non pauerunt: illi verò quantò magis execrandi qui non modò fraudant subsidio pauperes, sed etiam eos modica substantiola spoliant, vt aut suo luxui, popinis, & ventri insatiabili sufficiant: aut inde posteris suis improba patrimonia cumulent? Maledicti sunt, qui sitientem non potarunt: quid de iis fiet, qui comessationibus, edendo, bibendo, assidua crapula se distendunt? qui parasitorum, helluonum gregibus alendis, patrimonia sua abliguriunt? Audient verbum asperum, & ibunt in ignem æternum, qui liberalitate erga

Lucæ 16.

indigentes non sunt vsi, Epulonem illum imitati: quonam pergent qui sibi ad omnia flagitia habenas laxarunt? Venefici, impostores, periuri, homicidæ, raptores, vsurarij, de rebus pessimis gloriantes, quo tandem amandabũtur?

bũtur? Quorſum oro Saluator leuiora crimina protulit in medium, niſi vt ex iis ratiocineris quid maneat illos, qui de grauiſsimis in tremẽdo examine ſceleribus cõuincentur? Hoc itaq; ô Chriſtiane ſemper præ oculis habe, hoc die nocteq; verſa: quemadmodum audis feciſſe qui dicebat; ſiue comedo, ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio, ſemper videtur illa tuba terribilis ſonare in auribus meis; Surgite mortui, venite ad iudicium. Hic nempe clangor terrificus, hic tubæ ſonus in tuis perſonet ſemper auribus, hic Dei timorem inprimat, timorem inquam, nunquam ſatis in diuinis literis laudatum, timorem non qui præcipites in deſperationem agit animas, ſed illum à quo fideles concipiunt & pariunt ſpiritum ſalutis. Quod vt ita Domino largiente eueniat, atq; vt ego etiam ibi finiam vnde ſum exorſus; aduertite oro quam Deus Ieremiæ reddat cauſam, cur populo illi terrorem incutere iuſſerit. Inquit enim: *Si fortè audiente domo Iuda, vniuerſa mala quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnusquisq; à via ſua peßima; & propitius ero iniquitati & peccato eorum.* O quàm bonus & miſericors Dominus! terret, ne punire cogatur: præcauet & ante denuntiat extrema quæq;, vt à præuiſis maturè te ſubtrahas, & Deum indulgentem potiùs, quàm rigidum experiri malis. Hoc à Iudęis, olim, hoc nunc poſtulat à nobis. Quod ſi illi ingrati, & dura ceruice ad cor redire, ſi agere pænitentiam noluerunt, atq; idcirco tem-

Tum timor ſanctus.

Tum conuerſio à peccato.

Iere: 36. 3.

porales, & sempiternas pænas meriti sunt: Tu Christiane tibi consule, tu vitam corrige, tu supplex, bona fide per lachrymas & gemitus redi cum Domino in gratiam: & ad extremũ spiritum, vel cum vitę dispendio, amicitiam initam cole. Hæc te stabilis reconciliatio, in die illa tremenda soluet omni metu: hæc immensa cumulabit lætitia. Stabis inter agmina cœli candidatorum, & gaudens illam vocem diuinam, vocem iucunditatis audies; *Venite benedicti*. Annue benigne IESV, omnes eam audiamus.

CONCIO SECVNDA.
Fides.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant: cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Reiectio. NEmo est qui non videat, Euangelium hodiernũ magnam nobis præbere occasionem agendi de timore Dei; aduersus Hæreticos nostri temporis, qui timore Dei soluti, de sola fide præsumunt, non solùm latissimam improbis moribus pãdunt viam, sed & Dei timorem conuitiis insectantur. Verùm cùm id ab aliis præstitum sit hoc

ſit hoc loco, & ſuperior noſtra concio metum ſalutarem & bonorum operum neceſsitatem inculcet; confero me ad thema propoſitum explicandum: è quo ſumo aptam occaſionem agendi, primò de vniuerſaliſsimis fidei & perfidię principiis, quod caput eſt omnium ferè controuerſiarum: deinde, quinam veluti riui è lacuna falſæ doctrinæ profluant, aperiam: deniq; indicabo breuiter, quomodo Eccleſia Chriſti à Synagoga Sathanæ diſcernatur. Adeſte animis, faxit Deus, quæ dicam, ad laudem ipſius & Eccleſiæ cedant emolumentum.

Propoſitio tripartita.

Non ſolùm ratione duce, ſed & ipſa experientia notum eſt illud vulgatum axioma: Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcere. Vt igitur faciliùs fontem hæreſis ac omnis perfidiæ inquiramus; Fons & origo ſanæ rectæq; fidei primò aperiendus eſt: Vnde facilè docebimur, quibus veluti fundamentis vera fides & perfidia nitatur, & quomodo vtraq; in mentibus hominũ & naſcatur & propagetur.

I. PVNCTVM. FONS veræ & falſæ fidei.

Veræ itaq; fidei caput & principium eſt nõ aliud quàm ipſe Deus, docens nos omnem veritatem per verbum, quòd auribus noſtris illabitur: cui dum præbemus pium aſſenſum; ipſe Deus fidem veram in nobis format. Infidelitatis verò & omnis erroris princeps & author eſt Sathan. Is cùm per mendacium aures titillat, & aſſenſum elicit, perfidiam in animis infidelium propagat.

Veræ, Deus per veritatem.

Falſæ, Sathan per mendaciũ.

Patet vtrumq; è ſcriptura & exemplis inde petitis.

Declaratur vtrumq; tũ ſcriptura.

petitis. Primùm teſtatur ipſe Chriſtus dicens:
Ioã: 6.29. *Hoc eſt opus Dei vt credatis.* Ipſe igitur & credenda nobis proponit, & fidem in nobis for-
1. Io: 5. 6. mat augetque. Rurſus veritatem eſſe Chriſtum Deum, totidem verbis D. Ioannes aſſerit. Eandem Spiritus S. magiſterio nos diſce-
Io: 16. 13. re aſſeuerat Chriſtus, dum ait; *Docebit vos omnem veritatem.* Fieri autem id per auditum &
Ro: 10. 17. verbum Dei, teſtatur Apoſtolus; *Fides ex audi-*
Ioan: 1. 1. *tu, auditus autem per verbum Chriſti.* Nam & ipſe Chriſtus verbum Dei eſt, & tale verbum, ex quo procedit omne verbum. per quod fides & omnis veritas in mentibus fidelium gigni-
1. Io: 5. 6. tur: Quia & ipſe *Chriſtus eſt veritas,* & *ſermo e-*
Io: 17. 17. *ius veritas eſt.* Cùm igitur veritatem hanc, quã Deus ſiue per ſe; ſiue per ſeruos ſuos Apoſtolos & reliquos manifeſtat, nos per aſſenſum & piam affectionem ſuſcipimus; ipſe Deus, fidem inſerit & creat in nobis. Simili quaſi methodo & praxi, ſuaſor & author omnis mẽdacij, infidelitatis, & hæreſis, Diabolus eſt;
Io: 8. 44. qui a Chriſto *mendax & pater eius,* id eſt mẽdacij nuncupatus, ſiue per ſe, ſiue per ſeruos ſuos loquatur, ad fallendum omnia concinnat.
Ibidem. Nam *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur* inquit Saluator. Quod quidem mendacium dum per auditum illabitur, & placet incautorum animis; hæreſim & omnem perfidiam
Ephe: 2. 2. generat *in filiis diffidentiæ,* Deo id permittente, ſæpè occulto ſemper autem iuſtiſsimo iudicio ſuo.

Vt hæc

Vt hæc exemplis clariora fiant; initium ſumatur ab eo, quod primùm in ſacra ſcriptura in ipſo mundi exordio occurrit. Aſſerit Dominus: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce verbum veriſsimum prima veritas, è cuius auditu, iuxta regulam Apoſtoli, fidem conceperunt primi parentes noſtri. Huic ſummæ veritati ſucceſsit Sathan cũ ſuo mendacio; *Nequaquam morte moriemini,* ſed *eritis ſicut dij.* Illapſum eſt hoc verbum veteratorium in aures Euæ, placuit, creditum eſt, decepit mulierem, non virum. Nam ait Apoſtolus: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricationem fuit.* Cui tamen poſtea vir indulgens adhæſit; vnde in Eua quidem infidelitas, in vtroq; autem peccatum ortum eſt, cuius pœna iuſto Dei iudicio, omne genus humanum inuoluit. Habes exemplum euidẽs, quomodo & ipſo authore Deo veritas, & Sathana ſuggerente, mendacium, auribus primorum parentum illapſum, fidem veram & falſam generauit.

Tum exẽplis.
1. Adami & Euæ.
Gen: 2. 17.
Ro: 10. 17.
Gen: 3. 4.
Ibidem 5.
1. Tim. 2. 14.

Quomodo autem per homines Deus inſtruat & Dæmon decipiat; celebris extat narratio de Achab decepto; qui Deo per Michæam Prophetam prædicenti vera, cùm fidem abnueret; à Dæmone per quadringentos circiter viros impoſtores in fraudem præcipitatus eſt. Nam quærente Domino; *Quis decipiet Achab Regem Iſrael?* Reſpondet Sathan,

2. Achabi.
3. Reg: 22. 20.

Ego deci-

Ego decipiam illum: Cui Deus; *in quo decipies eum? Et ille ait; Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Vides quàm apertè fatetur ipſe Sathan artes ſuas? quanquã eas nõ niſi permittente Deo exequitur. ideò ſequitur: *Et dixit Dominus: Decipies & præualebis, egredere, & fac ita.* Quid dici potuit clariùs? Verùm illud inprimis cognitu neceſſarium eſt, quonam modo & per quos nobis loquatur Deus ne decipiamur à Sathana & Miniſtris ipſius? Nam vt optimè præmonet Apoſtolus: *Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Et ſubiungit; *Non eſt ergo magnum ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ.* De hoc ſcilicet nobis *grandis ſermo* (vt ſic cum Apoſtolo loquar.) In eo enim meo iudicio, omnium de fide controuerſiarum cardo verſatur, quonam indicio Dei nos inſtruentis veritatem, & Sathanæ impoſturas internoſcere poſſimus. Qua de re plura alias. In præſentia verò hoc vnico ſigno, quod omnes qui veritati ſtudent, vt efficaciſſimũ recipiunt contenti ſimus. Nempe quoties doctrinæ alicui mendacium admiſtum eſt, doctrinã illam vt commentum Dæmonis, funditus reſpuendam. Argumentum autem euidens mendacij eſt, vel quando dicta cum factis non conueniũt, vel quando futura prædicuntur & non eueniunt. Hac Moyſes, hac alij Prophetæ regula vſi ſunt vt infallibili.

2. Cor: 11. 14. — *Heb: 5. 11.* — Mendacij ſigna. — *De: 18. 21.*

II. PVNCTVM.

Hac igitur certa è diuinis literis norma poſita, in-

ſita, inueſtigandum iam nobis erit, qui nam è lutulenta mendacij lacuna riui emanent. Hi verò duo ſunt capitales, ad quos vniuerſa prauorum dogmatum veluti ſentina confluit; alter eſt apertorum mendaciorum, per quæ vel vera negantur, vel falſa aſſeruntur. Alter continet aſſertiones in ſe quidem veras, ſed quia iſtæ non iis quibus verè quadrant, ſed aliis falſò adſcribuntur: ideò hæ quoq; velut aquæ putrida cœnoſaq; palude exceptæ, ſordeſcunt. Aquę iſtę, à Sapiente, *furtiuæ* & *dulciores* vocantur, quia eas Dæmon & furtiuè occulteq; inſtillat, & dulces reddere conatur. Vtrumq; in dictis exemplis clarum eſt. Illo modo ſeducta eſt Eua. Credidit enim Sathanæ & falſum aſſerenti: *Eritis ſicut Dij*, & verum neganti. *Nequaquam moriemini*. Altero deceptus eſt Achab per pſeudo-Prophetas, quorum princeps Sedecias ille cornutus, quando *percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Mene ergo dimiſit Spiritus, & locutus eſt tibi?* ſibi potiùs, quàm ei Spiritum Domini locutum eſſe, mētitus eſt.

Duo riui è cœno falſitatis.

Pro: 9.17.

3. Reg: 22, 24.

Eiſdem planè artibus vtuntur noſtrates Miniſtri (quos nomine & re, loco paulò ante citato Apoſtolus Propheticè deſignauiſſe videtur.) Quanam verò ratione id faciunt, paucis à themate poſito non diſcedentes, oſtendemus. Ex multis, verbi gratia, quæ falſò negant, vel aſſerunt Miniſtri, illud eſt celeberrimum: Sacram ſcripturam per ſe facillimam apertiſſimamq; eſſe. Quo dicto miſeræ plebeculæ tanquam

PRIMVS eſt, falſa aſſerere.

2. Cor: 11. 14.

Exemplū. Scripturā eſſe facilem.

Heb:4.12. tanquam furioso *gladium ancipitem*, (sic enim eam Apostolus vocat) in manus tradunt; vtq; legat auidiùs, vertunt illam in linguas varias, & peruertunt, additis, expunctis, mutatis, quę placent. Neq; satis; hortantur acriùs & religione incussa, ad legendum inuitant: Papam quidem impiè & tyrannicè simplicibus scripturarum lectione interdicere; eas tamen vt ad salutem omninò necessarias, omninò peruestigandas esse, ponderandas, memoriæ mādandas, ex eis de omnibus iudicandum: ne Angelis quidem, si præter illas quidpiam annuntient credendum. His cohortationibus quantopere apud imperitos proficiant, vel ex

2. Tim: 3. 6. ipsis *mulierculis, quas captiuas duxerunt*, colligere licèt, quæ superba & insolenti procacitate Patrum & Ecclesiæ authoritate repudiata, contra seuerum edictum Apostoli, sacræ paginæ temerarias admouent manus, frena linguæ laxant, quiduis inde depromptum pro arbitrio interpretari, vrgere & detorquere audent. Nostis hæc omnia, auditis quotidie, detestamini, & meritò. Quanta enim hæc est, & quā arrogans temeritas, tantum sibi munus vendicare, & in abstrusis mysteriis adeò se ostentare, ad quæ diuina quadam & cœlesti luce opus est? Equidem vel inde palam est hæreticos, non Christi Domini humilem, sed Sathanę superbum animum gerere.

Contrarium probatur. Scripturam aiunt facilem esse: Est sanè, sed non nisi nauiter impudentibus, non iis qui scintil-

ſcintillam Chriſtiani pudoris habent. Certè ſi omnia pro hac aſſertione teſtimonia in medium proferre vellem, omnia ſacrarum literarum volumina maiori ex parte mihi deſcribenda eſſent. Initium tam eſt difficile; vt patres veteris teſtamenti prohibuerint, ne prima Geneſeos capita ante trigeſimum ætatis ſuæ annum legeret quiſquam. Et meritò. Videbant enim inconſultam ætatem eiuſmodi lectione in mille ſe labyrinthos & difficultates induêre poſſe. Nam vt paucas ex infinitis attingam; haud facilè & intellectu, quænam lux prima die creata fuit, & quo fine; quare per triduum numeratur mane & veſperum, cùm quarto demum die Sol & Luna creata ſint, quæ ipſa ſcriptura teſte *diuidunt diem ac noctem.* Item quodnam ſit illud firmamentum factum ſecunda die, quæ aquæ, quomodo diuiſæ, & multa alia. Hoc initium ſcripturæ ſacræ. Finis verò Apocalypſis tot habet ſacramēta quot verba; imò in ſingulis verbis multiplices latent intelligentiæ, vt bene inquit D. Hieron. Extremis media reſpondent. In Pentateucho, & libris quæ hiſtorias continēt infinitæ figuræ. Omnis autem figura obſcura eſt, alias figura non eſſent. In Iob profundiſsima totius Philoſophiæ ſecreta, ideò difficillima. In Pſalmis innumera & impenetrabilia ſacramenta etiam ipſo Luthero teſte. In Prophetis tot arcana, tot obſcuritates; vt Daniel vnus ex iis, oratione, ſacco, cinere, & ieiuniis ſe

1. Ex veteri teſtamēto.

Gen: 1. 14.

In Epiſtola ad Paulinum.

Luth: in præfatione in Pſal.

Dan: 9. 2.

niis se confecerit, vt illud alterius Prophetę de Septuaginta hebdomadibus nobile mysterium intelligere posset. Hæc tam humana & Philosophica quàm humano fastigio altiora & Theologica, quælibet muliercula inter pensa & calathos, primà qua se impiæ sectæ deuouit die, leget, & ad vnguem penetrabit! O stupor, ô cœcitas, ô impudentia inaudita!

Ier: 25. & 29. Cap.

2. Ex nouo. At fortè nouum testamentum planius est? Diximus de Apocalypsi, dicamus de aliis. Euangelia magna ex parte parabolis constant, quas & obscuras esse & ideo vsurpatas, ipsa veritas testatur, *vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant.* Itaq; interrogantibus Apostolis aliquando; *Quæ esset hæc parabola?* Respondet Christus: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.* Quorsum de his vt de abditis quærunt Apostoli? Quorsum respondet Dominus, mysteria sua peculiari concessione nonnullis nota esse, si vt Luthero & sectariis placet, nihil obscurũ, nihil inuolutum: si omnia per se facillima & apertissima, & omnium Patrum commentariis sunt clariora?

Luc: 8. 10.

3. Ex ipsa Scripturæ assertione. Atqui de Epistolis S. Pauli, si non credunt sanctis Patribus, qui asserunt eas [nimiis obscuritatibus inuolutas esse] credant saltem ipsi scripturæ. Sic enim de eis inquit Princeps Apostolorum; *In quibus sunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Quid indoctius mulierculis, quæ vix legere

D. Hier. D. August. 2. Petr: 3. 16.

norunt

norunt linguam in qua natæ sunt? quid instabilius iis, qui toties mutant fidem? quod frequens est apud hæreticos. Deniq; clamat Apostolus esse *difficilia intellectu*: clamant hæretici facilia esse. Quis Christi nomine insignitus his potiùs quàm illi credēdum censet?

Iam verò quis enumerabit, non dico difficultates singulas, quæ in vtroq; testamento reperiuntur, sed vel capita earum? vbi tot sunt rerum & verborum figuræ abstrusissimę, tot modi loquendi inusitati, tot loca veluti sibi contraria; tot orationes imperfectæ, præposteræ, ambiguæ: tot temporum, & numerorum mutationes; vbi modò singularis pro plurali, modò pluralis pro singulari vsurpatur: vbi deniq; nunc iustus, nunc impius, in eodem continuati decursu sermonis loquens introducitur, quod frequens est apud Dauidem, & Salomonem, præsertim in Ecclesiaste. Postremò quid difficilius, quàm rem contrario modo, quàm verba sonant, intelligere? quod tamen in scriptura necessarium est. Ostendemus id alias; nunc ad thema propositum veniamus.

4. Ex rationibus euidentibus.

Quæro ab Hæreticis, quidnam per generationem, in hac prophetia Christi intelligatur? AMEN DICO VOBIS, NON PRÆTERIBIT GENERATIO HÆC DONEC OMNIA FIANT. Si intelligitur ætas vna hominum, aut illi quibuscum loquebatur Dominus; vel centum anni quemadmodum generatio in

5. E themate proposito.

ratio in diuinis libris vt plurimùm ſumitur; Falſitatis arguetur Chriſti aſſertio, cùm ab eo tempore, quo hæc prolata ſunt, quindecim fluxerint iam generationes: neq; tamen tum alia quæ Chriſtus prædixit, tum verò illud expletum videmus: *Et tunc videbitis Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate.* Sin per generationem intelligunt Iudæam, ſiue Chriſtianam ſtirpem propagatam, ſiue quiduis aliud: qua fronte aſſerunt cum ſuo Luthero quòd ſcriptura ſit [ipſa per ſe certiſſima, (hoc verum eſt, at non reliqua) facillima, apertiſſima?] Si vna eademq; ſententia, imò vnum verbum in tam diuerſos ſenſus trahi poteſt? Quod ſi ad ſolitum aſylum recurrant, dicentes ſcripturam per ſcripturam eſſe interpretandam; oſtẽdant quæſo quiſnam ſcripturæ locus hos intricatos de generatione ſenſus, liquidò nobis explanet? Sin id oſtendere nequeunt, frangant pertinaciam, & vnde exciderunt, recurrant.

Luth: in præfatione Artic: Aſſert: à Leone X. damnatorum.

At pſallit, inquiunt, Dauid *eſſe præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et iterum: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Hinc certatim Hæretici & Hæreticæ, quamuis re vera ſint arrogantiſſimi, ſe in humilium paruulorum ordine ponunt, ſe diuinis literis deſignari, ſibi earum intelligentiam conceſſam eſſe volunt, nunquam ſatis deplorandi, quòd ſe tam nequiter humilient, & à Sathana deludi tam miſerè variis modis patiantur.

6. E ſcriptura ab hæreticis obiecta quæ ſex modis retorquẽtur.

Pſal: 18. 9.
Pſal: 118. 130.

tiantur.

tiantur. Primùm quidem dum locum pri- 1.
orem detorquent ad interpretationem & sci-
entiam scripturarum, in quo nulla huius rei
fit mentio, sed tantùm præcepti Dominici.
Præceptum autem *Domini* idcirco *lucidum* esse
canit Dauid, vt faciliùs illud intelligendo exe-
quaris, hoc enim ad salutem omninò neces-
sarium est. At vt profundos diuinorum my-
steriorum sensus audacter scrutêris, hoc verò
tibi perniciem afferre, teq; præsumptuosè ela-
tum deiicere in interitum posset. Nam vt o-
ptimè monet August. [Turbam non intelli- *Con: Ep: Fund: c:4.*
gendi viuacitas, sed credendi simplicitas tu-
tissimam facit.] Illud verò alterum, fateor 2.
scriptum esse, quòd Deus intellectũ det par-
uulis; id est humilibus: at verò tibi hanc par-
uuli humilitatem competere scriptum nõ est,
imò tam absurdè affingis id tibi quã Æthyo-
pi candorem: quandoquidem te insolentissi-
mæ superbiæ conuincit omnis ratio; qui scita
maiorum, & authoritatem Ecclesiæ proteruè
contemnis, qui donum tibi illud arrogas,
quod ne ipsi quidem ore Domini vocati par-
uuli habuerunt. Legis in D. Matthæo, Chri- 3.
stum egisse Patri summo gratias, quòd arca- *Matt: 11. 25.*
na quæ à Sapientibus abscondisset, paruulis
reuelasset: De iisdem tamen paruulis alius
Euangelista scribit hæc; *Et ipsi horum nihil in-
tellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis,* *Lu:18.34.*
& nõ intelligebant, quæ dicebantur. Audisné? Apo-
stoli, quibus teste Christo, Deus secreta reue-
D 3 lauit,

lauit, quos filius Dei verè vtique pro paruulis agnouit, nil intelligũt: Hæretici verò & Hæreticę, quos nec ſcriptura, nec vlla euidens ratio paruulos oſtendit, imò contrarium omnia clamant, non Chriſti tantùm, ſed & Prophetarum omnium & Apoſtolorum verba intelligent? Quonam ſpiritu inflati hæc de ſe præſumant, intelligit profectò, qui intellectu priuatus non eſt.

4. Sed, inquiunt, poſt acceptum Spiritum S. intelligebant omnia Apoſtoli: Verùm te accepiſſe tale donum Spiritus ſancti, quale tunc

5. Apoſtoli habuerunt, vnde tibi conſtat? Præterea non aſſerit Dauid ipſos etiam veros paruulos, omnia per ſe intelligere: ſed ait, per declarationem ſermonum Dei intellectum dari paruulis, neq; docet qualis, quanta, vel per quos detur illis hæc intellectio; cùm certò conſtet, multa & Prophetas & Apoſtolos i-

6. gnoraſſe, quæ alij ſciebant. Poſtremò dum aſſerunt, non omnibus, ſed paruulis tantùm ſcripturæ interpretationẽ manifeſtari, nonné apertè fatentur ſcripturã in ſe & per ſe difficilem eſſe? Nobis verò quæſtio non eſt, an ſcriptura ſacra alicui ſit vel fuerit facilis; ſcimus enim, Prophetis, Apoſtolis, Euãgeliſtis, inprimis verò Chriſto Domino, facillimã fuiſſe: at controuerſia eſt, an ipſa per ſe & in ſe ſit facilis, quod Luthero, an verò difficilis, quod Catholicæ veritati & toti ſcripturæ videtur.

v. Probatur ſcripturam Imò ipſorum Hæreticorum tot & tam ingentia

gentia volumina, quæ in scripturam commẽti sunt, tot vnius loci interpretationes, quid aliud arguunt, quàm ipsam esse difficilem? Sanctesius illorum quatuor verborum Christi: *Hoc est corpus meum*, plusquàm octuaginta expositiones adfert ex libris eorum collectas. Osiander de illo; *Fides iustificat*, viginti suorũ somnia recenset. Nos de illo exordio D. Ioannis; *In principio erat verbum &c.* quotquot nouorum Ebionitarum in Polonia libellos vidimus; tot, non tam expositiones & commentaria, quàm corruptelas & glossemata blasphemæ falsitatis plenissima conspeximus. Deniq; obscuritati scripturæ adstipulatur ipse Lutherus his verbis: [Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri vnũ scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.] Atqui etiam fœminæ per te tuosq; infatuatæ, sacra volumina omnia sibi plana esse iactant: quales igitur erunt tuo iudicio? Temerarię & impudentes, inquis. Quanti clamores contra me tota vrbe excitarentur, si ego illis hæc impingerem? Benè igitur habet, quod à proprio Propheta id audiunt, sed parùm est pro ista impia præsumptione: maiora merentur.

difficilem ex ipsa experientia.

Claud: lib: 1. cap: 10. de Eucha.

Con: Melanch.

8. Ex confessione aduersariorum.

Luth: in præfat: in Psalmos.

Neq; verò mirabitur vllus, adeò Lutherum in asserenda difficultate vel facilitate scripturę sibi non constare, qui mores ingeniumque nouit huius impostoris. scitum est enim, id illum in omnibus de rebus fidei controuersiis fa-

Aliud signum Spiritus nequam.

ſiis factitaſſe. Hoc mirandum potiùs & ſtupendum eſt; homines qui Lutherum vel Prophetam Germanicum (vt ipſe Vitembergæ in templo ad ipſius imaginem notatum vidi) vel virum diuinum vocant, & ſuſpiciunt; nolle animaduertere, quinam ſpiritus illum inuaſerit, iam affirmans, iam idem negans, quàm vanus, inconſtans, mendax. Affirmauit difficilem eſſe ſcripturam, vi & euidentia veritatis impulſus; negauit difficilem, vt vulgo imponeret incauto; vt adulando plebeculæ, ſe in eius animum inſinuaret, & impoſturas ſuas pro ſalutaribus doctrinis obtruderet. Permiſit iſta Dominus, vt credentes veluti grana pondere veritatis, ſecernerentur à paleis leuibus; quæ circumferuntur omni vento doctrinæ; quas meritò Dominus igni tradet inextinguibili. Sed de difficultate ſcripturæ alibi ſæpius: iam ad alteram Chriſti ſententiæ partem tranſeamus.

ALTER mendacii fluuius vera falſo adſcribere.

Vidimus primos furtiuarum aquarum ductus, quo pacto aut falſa aſſerant aut negent vera, alieni ab Eccleſia. Videamus alios, nempè quomodo in ſe alioqui vera, iis quibus minimè competunt, fallaciter & veteratoriè applicant. Capiamus exemplum è verbis Chriſti Domini; COELVM ET TERRA TRANSIBVNT, VERBA AVTEM MEA NON TRANSIBVNT. Hæc vt in auribus ſonant omnium, ita creduntur ab omnibus, tam à Catholicis, quàm ab Hæreticis: Sed diuerſimodè

Tale eſt, quòd hæretica doctrina ſit Verbum Dei.

modè applicantur. Nam à Catholicis veraciter Catholicæ ac vniuersali Ecclesiæ adscribũtur: ibi enim duntaxat verba Christi cum genuina eorum interpretatione, & solidam veritatem quæ nunquam transit, nunquam mutatur, licet reperire. Improbè verò eadem Christi asseueratio à quibusuis Hæreticis, singulis, quas complexi sunt, sectis adfingitur, quandò neque verbum Christi ibi reperitur, neq; vera eius interpretatio; & verbum illorum arundine inconstantius, aura leui mobilius, nequaquam firmitate cœlo & terræ est comparandum.

Hæc ita se habere, docebit nos quàm præ manibus habemus Christi sententia, è qua signum & indicium certum solidi verbi diuini habemus. Si enim verbum permanens, transeunte cœlo & terra, verbum Christi est: certè quod identidem mutatur, verbum ipsius non erit. Tale verò esse verbum, quod Hæretici verbum Dei esse aiunt, nimis est in aperto. Præcipuum (exempli caussa) quod suis inculcant, axioma est; vt firmissima fide quiuis credat & teneat, se saluatum iri; quæ assertio, quonam rogo modo adeò firma & immutabilis est, vt aliter non possit se habere, cùm de facto sæpissimè contrarium eueniat? Quæro enim ab iis; Si quis ex eorum secta ad Mahometanos transeat, vel in recenti crimine cædis, verbi gratia, ipse quoq; è vestigio malè pereat; vtrum is saluabitur? Non puto quen-

Probatur ibi non esse Verbum Dei.

1. Quia cõtraria fidei credunt.

quam Ministrorum, tam impium & amentē fore, vt hoc affirmet. Quod si ita est, profectò fides illa, qua sibi mentita erat iniquitas, nescio quam certitudinem salutis, fuit mera deceptio, fuit mali dæmonis impostura, non Christi persuasio.

7. Quia inconstantes sunt. Quod si relictis particularibus axiomatibus, vniuersè Neotericam fidem inspicias; ne micam quidem soliditatis in tota ista Hæreticæ doctrinæ fabrica inuenies. Memini cùm adhuc puer, in ipsis penè Hæreticorum nostri temporis exordiis, in Academiis eorum versarer, me frequenter non solùm magnis clamoribus iteratum audiuisse, sed etiam in manicis nobilium filo aureo pictum, ac pro symbolo fidei, quam tunc sequebantur, vsurpatum vidisse illud Isaiæ: *Verbum Domini manet in æternum.* (Isa. 40.8.) Hoc verò idem valet, quod verba Christi allata. Transiens deinde, paulò adultior Vittembergam, Lipsiam, aliaq; item Hæreseon cunabula, Deus meus, quantam mutationem, quàm confusam varietatem reperi, vt iam Caluiniani Lutheranis, iam isti illis essent superiores, & se ignominiosissimè suis domiciliis exigerent! Nullum autem illius quàm in principio concinnauerant, infaustę fidei vestigium erat reliquum. Miratus illud Dauidicum occinere cœpi: (Ps. 36.36.) *Transiui, & ecce nō erat, & quæsiui eum* (quem antea videram fidei statum,) *& non est inuentus locus eius.* Prô cœcitatem hominum, qui hæc videntes, imò ipsis

etiam

etiam manibus, vt ita dicam, in manicis suis contrectantes, nihilominùs *dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*! Et quamuis nō possint Ecclesiam Catholicam alicuius in hoc genere instabilitatis conuincere: finem tamen calumniandi nunquam faciunt: sed frustrà, quia COELVM ET TERRA TRANSIBVNT, VERBA AVTEM MEA NON TRANSIBVNT, ait Christus, non verbis tantùm promittens, sed omnipotentia, & efficacia sui Spiritus, id re ipsa in Ecclesia Catholica præstans. Vident hoc omnes, quibus mentis oculos minimè suffudit liuor tartareus. *Io: 3. 19.*

Sed arguunt contrà aduersarij, etiam vetustos & modernos Ecclesiæ Doctores, mutasse de fide sententiam: imò quædam, aliter quàm in diuinis literis prædicta fuerant, euenisse. De Doctoribus alias plura, si Deo placuerit; nunc istud sufficiat, illos non solùm non mutasse, sed ne dubitasse quidem vnquam de iis quæ semel ab Ecclesia certò determinata fuerunt. Mutarunt quidem aliquando opinionem suam de re quapiam, de qua fuit relicta disceptandi libertas: sed fidem veram nequaquam. Ad scripturam respondeo, hoc maximè esse pro nobis, & versutiam Sathanæ prodere: à quo ita Hæretici deluduntur, vt aut nolint, aut videre nequeant quod nouit quiuis etiam mediocriter in sacris literis versatus, Deum videlicet optimum maximum solere dupliciter mysteria vel voluntatem suam hominibus

Obiectio, quæ retorquetur.

3. Qui à Sathana deluduntur.

minibus manifeſtare, partim & vt plurimùm abſolutè, partim conditionatè. Abſolutè quidem manifeſtantur ea, quæ ſunt æternæ veritatis: condicionatè verò, quæ pendent quodammodo ex mutabili voluntate humana. Vnde hæc eſt inter iſta differentia: quòd quæ ſunt abſolutè à Prophetis, ab Apoſtolis, & ab ipſo Chriſto denunciata, iis competat, quam hic audis ex ore Chriſti, conſtans & æterna immutabilitas. Cuius generis ſunt, extremum iudicium & adiuncta illius. Quæ verò determinationem arbitrij, ſiue liberæ voluntatis humanæ requirunt; ea cùm pendeant ex mutabili, natura ſua, principio, effectũ non ſortiuntur ſuum, niſi priùs conditio, vel expreſſa, vel tacitè intellecta expleatur: ideoq; tales propoſitiones ſiue prophetię mutãtur, ſi cõditio data, vel intellecta defuerit. Hãc aſſe-
Ezech: 18. & 33. cap. ueratione Ezechiel Propheta duobus ferè integris capitibus probat: vbi toties, (ſi, ſi,) particula cõditionata inculcatur. Talis eſt & illa de
Iona 3. 4. Niniue vaticinatio; *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur,* quã tamen ſeria Regis & ciuiũ pœnitentia auertit. Talis ille finis vitæ de-
Iſa: 38. 1. nũciatus Ezechię: *Diſpone domui tuæ quia morieris.* Cui tamen lachrymãti quindecim annos æui adiecit Dominus. Quomodo autem iſti diuerſi prædictionum modi ſint diſcernendi, quando præſertim conditionata abſolutè dicuntur, quarta concione & aliàs per occaſionem indicabo breuiter. Plura qui volet petat à Theologis.

Itaq; & Ecclesia sancta arcanorum Christi benè gnara, priora illa plana æternæ veritatis edicta, firma, inconcussáq; credit fide, & nullum de iis ampliùs ambigendi relinquit locũ: secùs de aliis quæ conditionem adiectam habent, existimat. Etenim si bona sunt sperare; sin mala timere, & ita inter spem & metum operari salutem suos docet. At Hæresis à patre mendaciorum edocta, contrariam planè sequitur viam. Nam illa quæ certò & absolutè definita sunt, incipiendo à minoribus (si tamen aliqua minuta dici possunt, quæ diuino instinctu sancita & inuecta sunt) vsque ad summa & suprema, primùm quidem in dubium vocat: deinde quasi de adiaphoris disputat; ac tandem vt falsa reiicit. Hanc videlicet perfidiæ viam ingressus apostata Lutherus, primùm Indulgentias, & Cerimonias, dein Purgatorium, Inuocationem Sanctorũ, aliaq; furiosa mente perstrinxit, & conuellere nixus est. Processit deinde gradatim per Zuinglium & Caluinum ad excludendum liberũ arbitrium, præsentiam corporis Christi in Eucharistia, necessitatem baptismi in infantibus: demũ per Gentilistas, Seruetianos, Anabaptistas: Colophonem impietati addidit, & Christum non esse Deum, infantes non baptizandos, Verbum Patris neq; fuisse in principio, neq; carnem factum esse, Iesum non ex illibata Virgine natum, Deum non esse trinum in personis, vnum in essentia, & alia sexcenta blasphe-

Catholici nunquam delusi.

4. Quia euertunt ordinem diuinum.

NOTA.

Et fidem funditus.

blaſphemiarū portenta euomuit. Contra verò ea quæ cum aliqua moderatione & conditionatè dicta ſunt (attendite obſecro) ſimpliciter & abſolutè credenda per ſe, ſuoſq; emiſſarios
Ezech: 18. 58. inuexit. Legimus apud Ezechiel: *Vir ſi fuerit iuſtus & fecerit iudicium & iuſtitiam, ad vſuram non commodauerit & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum ſuam, vita viuet, ait Dominus*
2. Tim: 2. 21. *Deus*; neq; aliter Apoſtolus, nam ait: *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem.* De-
Ioan: 14. 23. niq; ipſe Chriſtus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eū.* Hæc & alia eiuſdémodi, liquet vbiq; habere adiectam cōditionē adnexam, quam particula (ſi) toties repetita denotat. Itaq; quiſquis bonis operibus non abundauerit, qui ſe non emendauerit ab omni inquinamento, qui iuſſa diuina non fuerit executus; non erit vas in honorem, ſed in contumeliam æternam; non amore aut præmio diuino, ſed odio & ſupplicio dignus iudicabitur. Longè alia mens & ſenſus Hæreticis; Pro certiſſimo habent, ſe infallibili deſtinatione diuina, ad vitam æternam pertinere; nec vllis, quibus cooperti ſunt, flagitiis à cœlo poſſe prohiberi. Eam videlicet diuinæ promiſſionis & fidei ſolius iuſtificantis vim eſſe. At ô impie, vbi eſt quam Dominus adiecit, piè & iuſtè viuendi neceſſitas? vbi conditio adiuncta? quam quia tu tollis, & nudę fidei inniteris, dogmate hoc ſacrilego, contra euidentem ſcripturam conficto, non ad ſalutem diri-

tem dirigis miſerrimam plebeculam, ſed perniciem ſtruis, vt oblita illius Dauidici; *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et illius exhortationis Apoſtolicæ: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*: ſine timore Dei viuens, præceps in omne ſcelus, & in infernum ruat. O deploranda conditio hominum, qui adeò deluſi ſunt, vt apertas fraudes non videant! ô malè tuta ſecuritas, quæ triſte fœdus cum morte ſempiterna pepigit!

Pſal:2.11.

Phil:2.12.

Sed iam id quod poſtremo loco propoſuimus, demonſtremus: quomodo vera in terris Chriſti Eccleſia cognoſci, & à ſynagoga Sathanæ diſcerni poſſit, quod ex dictis vno verbo colligo. Vbi enim eſt veritas, ibi Eccleſia Chriſti: quia *Chriſtus eſt veritas.* Ibi autem eſt veritas, vbi verba cum rebus conueniunt: quod præcepit Chriſtus dicens; *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non.* Ibi verò verba cum rebus conueniunt, vbi quæ ſimpliciter ſine additamentis dicta ſunt; Cœlo ac terra tranſeunte, NON TRANSEVNT. ſed vel iam effecta ſunt, vel infallibiliter euenient: quæ verò cũ aliqua reſtrictione dicta eſſe liquet; tum implentur, cùm deſideratæ conditioni fuerit ſatisfactum. Velim itaq; arguat Hæreticus, numquid in Eccleſia Catholica ſecus ſe habeat? Num dicta illa primi ordinis abſoluta, vocentur in dubium? Num ea, quæ cum conditione à DEO promiſſa ſunt, præſumptuoſè pro certis habeantur? Numquid à veritate diſſonum in-

III. PVNCTVM. Vbi ſit Eccleſia Chriſti.

1. Io: 5.6.

Matt: 5. 37.

num inculcetur? Docetur ſcripturam eſſe difficilem, rem ita eſſe liquet è ſcriptura tota. Dicitur & prædicitur, verbum Dei ſtabile, manſurum in Eccleſia. Semper euenit & eueniet. Creditur Purgatorium, præſentia Chriſti in Euchariſtia, Trinitas Deus, & reliqua quæ ſunt certiſſimæ veritatis. Monentur fideles, vt ſi ſalui eſſe velint, cum tremore ſaluti ſuæ cooperentur, neq; ſtulta & arroganti perſuaſione, ſibi delictorum impunitatem polliceantur; vtq; ſuæ ſibi infirmitatis conſcij, non ignaua ſecuritate vitam hanc tranſigant, ſi futuram longè feliciſſimam aſſequi deſiderant. Rectè ſanè; hoc enim iiſdem penè verbis, ab omnibus ſacra pagina requirit. Hanc igitur neceſſe eſt verã eſſe Chriſti in terris Eccleſiam.

Vbi Synagoga Sathanæ.

At verò cùm Hæreſis toto cœlo à veritate diſſideat, & ſuos errores pro genuinis Chriſti dogmatibus ventitet, euidenter inde colligimus eam non Eccleſiam Chriſti, ſed ſynagogam eſſe Sathanæ. Falſitas eſt, mendacium eſt, & fons multorum mendaciorum, docere ſcripturam [ipſam per ſe eſſe facillimam & apertiſſimam] quia cum toto veteri ac nouo teſtamento non conuenit. Impoſtura eſt dicere verbum quod Miniſtri adferunt, manſurum in æternum: cùm certiſſimum ſit, aliud quidem iam tranſiuiſſe, aliud in dies ſingulos tranſire, & euaneſcere. Figmentum Sathanæ, inimici Dei & omnis ordinis diuini, eſt præcipere, vt quæ conditionatè dicuntur, abſolutè cre-

tè credantur, quæ verò æternæ ſunt veritatis, in dubium vocentur. Hæc cùm doceant hæretici: dæmonis ſequantur magiſterium neceſſe eſt, qui eſt ab initio fraudum & perfidiæ machinator. Hic præterea nulli iudicium ſuum ſubmittere; hic de omnibus arroganter iudicare, hic diuinorum dogmatum ſcientiam, quam Prophetæ etiam vix ieiuniis impetrabant, inter ebrietates, epulas, & graues ſcyphis dexteras ſibi vendicare, hic de ſalute, tanquam amiciſſimos Dei, ſecuros eſſe eos docet, vt mirum ſit, cuius ſuperbo ſpiritu aguntur, eius miſerabilem caſum & ruinam non perhorreſcere.

Aduertant igitur Catholici, quantas totius bonitatis ac veritatis fonti Chriſto IESV agere debeant gratias, qui in tam firma petra collocauit pedes eorum, qui inter tot arrogantiũ hæreticorum lapſus, eos ab eadem ruina prohibet. Qui verò procella perfidiæ ab hoc veritatis tramite abrepti ſunt; redeant ad cor, oro, obteſtor. Audiant Prophetam clamantem: *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nihil aptiùs de nouis Euangelij corruptoribus dici poteſt: Verè vana & impoſturarum plena doctrina eorum; verè non alleuians, ſed aggrauans corda hominum. vt plerique illorum in extremo diſcrimine poſiti experiuntur, ſæpè vtinam non conatu irrito Catholicam opem inclamantes. Ne ſit igitur irritus, non expe-

Concluſio

Pſal. 4. 3.

ctetur quæso anceps & incerta dies illa; sed iam, iam, hoc momẽto qui sapis, pone cor durũ, cor graue, quod malè habet in nouissimo: & accipe cor Catholicum; repudia vanitatem, complectere solidam firmitatem, detestare
Ioan: 8. 32 mendacium, dilige veritatem, & *veritas liberabit te*, viamq; tibi ad vitam communiet immortalem IESVS Christus, qui regnat Deus in secula. Amen.

CONCIO TERTIA.

Spes.

His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra. &c.

Exordium à simili.
Luc: 4. 23.

SAluatorem nostrum meritò sibi medici nomen vsurpasse, vel hoc Euangelium clarè loquitur: vbi habemus efficatia documenta morbis nostrorũ animorum præcauendis & abigendis valdè opportuna. Nam vt medici corporum, eos qui ex inani quadam virium suarum præfidentia, exiguam tuendę valetudinis rationem ducunt, proposito & denuntiato morbi impendentis metu, ad sui curam diligentiorem stimulant: qui verò plus æquo de se solliciti sunt, eos ne melancholiam aut nociuam contrahant imaginationem, exclusa vana formidine, bono animo esse, & paulò securiùs viuere iu-

uere iubent: ita Christus Dominus, eos qui sibi de securitate salutis nimium pollicentur, prædictione districti iudicij, & incusso timore, quasi acerrimis aculeis ad cautelam reuocat: pusillos verò corde ad resumendum animum, spe præsentis auxilij & futurorum bonorum, inuitat & erigit. Vtrumq; in hoc Euãgelio præstitit Christus Dominus abundè: primum in priori, secundum in altera eius parte. Et de Timore quidem qui noxiam securitatem procul fugat, initioq; Euangelij satis iam actum est. Nunc de Spe agendum erit, quæ magnopere salutaris est pusillanimibus, ad vires colligẽdas in via spirituali: quæq; mirè in altera Euãgelij huius parte denotatur.

Quare insistentes verbi Christi Domini, quibus nihil puto esse in hac materia efficacius, considerabimus, quæ sit affinitas vel differẽtia inter Spem & Timorem; quid sit Timor, & quid Spes, quis actus Spei perfectissimus: vnde originem suam ducat, ac in nobis nascatur, in quo cum Fide conueniat, in quo discrepet: quas bases habeat, quæ vitia contraria, quam certitudinem, & quomodo acquirenda sit & possidenda. Hæc breuiter, non tam explicando quàm delibando, nobis tractanda erunt, vt sint quasi ingressus quidam & exordium ad sequentia. Da Christe IESV, hæc ita consideremus, vt in illa die capite erecto fiduciæ pleni vltimam tuam expectemus sententiam.

Propositio IX. puncta continens.

I. PVNCTVM. In quo Spes & metus conueniãt vel differant.

In rebus bonis quæ appeti possunt, præcipuè numerantur præmia vitæ æternæ, iustis à Deo proposita: in malis verò maximè censentur supplicia, quæ peccatis hominum seueritas diuina minatur. Hæc duo secundum altissimam prouidentiæ suæ dispositionem, verè prænuntians Veritas Christus, duos in mentibus humanis siue affectus, siue virtutes excitat, Spem videlicet & Timorem, qui apprimè in eo conueniunt, quòd circa futura versantur, & vno EXPECTATIONIS nomine definiri solent: ac à Christo in Euangelio eodem notantur nomine. At cùm in aliis plurimùm differant; tum inprimis in eo, quòd Spes verorum vel apparentium bonorum pollicitatione mulcet animum: Timor verò sollicitat & terret metu aduersorum imminẽtium. Timere enim mala, sperare verò bona solemus.

II. Quid sit Timor, & quid Spes.

Duo ista in hoc Euangelio distinctè & separatim à Christo describuntur; Timor quidem, cùm inquit; ARESCENTIBVS HOMINIBVS PRÆ TIMORE ET EXPECTATIONE QVÆ SVPERVENIENT VNIVERSO ORBI. Ac si dicas: Timor est expectatio futuri mali. Nam & quæ superuenient, nondum sunt; & quæ arescere nos faciunt, mala vtiq; formidolosa sunt. Spem verò describit cùm ait: RESPICITE ET LEVATE CAPITA VESTRA, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Quod enim appropinquat, nec dum est; redemptio

autem

autem bonum quoddam, & ſummũ bonum eſt. Propterea non modò animo, ſed vultu etiam erecto eſſe iubet, quod ſperantibus proprium eſt: ſicut in contrarium, demiſſo capite, fixo in terram aſpectu incedere, timentibus conuenit.

Ex his verbis Chriſti diſcimus naturam Spei perfectiſſimæ. Non enim de quauis hic Chriſti ſermo eſt, ſed de actu Spei excellentiſſimo, de Spe illa diuina futurorum bonorum, & REDEMPTIONIS expectatione. Neque verò quamuis redemptionem intelligit, ſed illam conſummatiſſimam, quæ non niſi poſt reſurrectionem corporum habebitur. Quamuis enim etiam temporalia ſperari à nobis poſſint & debeant, maximè verò illa, quæ nos & ad bona illa æterna dirigunt, & eorum ſunt pignus quoddam in nobis, vt eſt fides, gratia, charitas, & hæc de qua loquimur fiducia: nihilominus Spes ad quam primò Apoſtolos ſuos, deinde nos quoq; Chriſtus verbis iſtis hortatur, eſt Spes vt vides altiſſima, qua ſperamus non ſolum animæ ſed etiam corporis noſtri glorificationem. De quo præclarè Apoſtolus: *Ipſi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri: Spe enim ſalui facti ſumus.* De iſta igitur eximia Spe, nos quoq; & in hac, & in aliis concionibus vt plurimùm agemus, ad hanc nos mutuò exhortabimur, modoſque ad eam acquirendam & cumulatè augendam, Chriſto iuuante, inueſtigabimus.

III. Spei actus perfectiſſimus qualis.

Rom: 8. 23.

IIII. PVNCTVM Quomodo Spes & Fides conueniant.

Nunc verò quo pacto cum Fide quoque Spes conueniat, & vnde ducat originem, ostendamus. Spes igitur ita vt ab ipso Christo Domino, & ipsius Apostolo descripta est, in eo cũ Fide conuenit, quòd vtraq; sit virtus ex tribus illis præcipuis & maximis, quibus Deum ipsum absq; vllo interiecto medio attingimus; ideoq; tam Fides quàm Spes donum Dei est, in ipso baptismate animabus nostris infusum. Si enim verum est, prout verum esse debet, quod Spiritus sanctus per Apostolũ protulit: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: quantò minus erimus sufficientes, ex nobis tanquam ex nobis tam alta & omnem captum superantia credere, vel adeò magnifica sperare, quæ nobis credenda sperandaq; à Deo proponuntur, nisi ipse id agendi facultatem dederit? Ab eo igitur, & quidem gratuitò, dona hæc infundi & creari solent in nobis. Verumtamen si adulti sumus, non dantur sine opera & assensu nostro. Nam & antequam creentur, dispositionem nostram requirunt; & postquam data fuerint, in actum non exeunt, nisi volentibus & cooperantibus nobis. Quare vtriusq;, Fidei nempe & Spei, fons & origo est ipse Deus. Sicut enim ea quæ credenda sunt, à Deo ipsissima & infallibili veritate procedunt; & per verbum ipsius nobis manifestantur, & à nobis cùm per auditum externum & assensum mentis recipiuntur,

Vnde oriantur.
2.Cor: 3.5.

piuntur, ipse Deus creat in nobis fidei excellentissimam virtutem: ita omninò ea quæ speranda sunt à Deo nobis & manifestantur, & ex pura ipsius bonitate promittuntur; recipiuntur autem à nobis, per actum fidei, & propositum voluntatis nostræ. Fidei quidem actus est quo credimus Deum, *qui omnes homines vult saluos fieri*, nobis quoq; salutem non denegaturum, si ea quæ à nobis requirit, præstiterimus. Voluntatis verò opus est, quo firmiter in animo nostro statuimus ac proponimus nos in posterum, *sobriè & iustè & piè victuros in hoc seculo*, quandoquidem id ad veram spem Deus à nobis per Apostolum requirit.

1. Tim: 2. 4.

Tit: 2. 12.

Hęc est igitur inter Fidem & Spem conformitas: verùm est etiam quo dissideant. Spes enim quæ sine fide nulla ratione consistere potest, eamq; pro fundamento in hominis animo prærequirit, ea ratione Fide posterior & superior quodammodo est. Quamobrem quisquis Spe præditus est, Fidem quoq; certo habet. At Fides potest salua residere etiam in eius animo, à quo impia desperatio penitus omnem spem excussit. Superatur verò Spes à Fide, ratione certitudinis. Quæ enim Fide credimus Catholica, certissima sunt, nec vnquam aliter erunt; quæ verò speramus, habēt & ipsa suam quidem firmitatem, sed non tantam, quin irritari possint. Certè non poterat Spes ei deesse, de quo illud extat encomium: *Filius vnius anni fuit Saul cùm regnare cœpisset.* Pla-

V. Spes & Fides in quo differant.

1. Reg: 13. 1.

cuerat nempe tum temporis Deo, quia adeò bonus & innocens fuit vt infans vnius anni: quod ſine Spe nequaquam aſſequi potuiſſet.
Heb: 11.6. Qui enim dixit? *Sine Fide impoßibile eſt placere*
Rom: 8. 24. *Deo*; Idem aſſeruit: *Spe ſalui facti ſumus.* Nihilominus iſta ſua Spe Saul fruſtratus periit in
1. Reg: 1. æternum, miſer, homicida ſui peſſimus, vt omnes è ſcriptura norunt. At verò quæ Fidei ſunt, audis ex ore Chriſti, quàm inconcuſſa maneant: COELVM ET TERRA TRANSIBVNT, VERBA AVTEM MEA NON TRANSIBVNT.

Obiectio in hæreticos retorquetur. NOTA.

At, inquis, iiſdem verbis ſummæ veritatis, & aſſerentis & promittentis aliquid, Fides & Spes noſtra fulcitur: quod enim promiſit Deus, hoc nos ſperamus; cur ergo non eadem certitudine promiſſa ſperamus, qua credimus à Deo reuelata? Diximus in proxima de Fide concione, aliter ea quæ Fidei ſunt, aliter quæ Spei, à Deo proferri. Illa ſine vlla conditione, hæc conditionatè. Quod ſi aliquando illa quæ ad Spem pertinent, ſine vlla conditione, vel dicta, vel intellecta, abſolutè proferuntur; firma fide credi poſſunt. Ita credere potuit S. Petrus, ſe glorioſo martyrio vitam æternam adepturum, cùm Chriſtus illi prædi-
Ioan: 21. 19. xit apud Euangeliſtam, *ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Similiter & Paulus certus eſſe potuit, quando dictum eſt ad Anani-
Act: 9.15. am: *Vas electionis eſt mihi iſte.* At verò vbi quæſo in ſcriptura extat nomen Lutheri, Caluini, vel alicu-

vel alicuius è grege ſectariorũ inter ſaluandos relatum? profer vel vnum iota. Quod ſi non protuleris, qua conſcientia credis, quod tibi credendum non proponit, quod ſolum allegas Verbum Dei? Sed audio, inquis, in Euangelio: LEVATE CAPITA VESTRA, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Audio ſanè & ego, ſed neq; meum neq; tuum nomen ibi expreſſum lego, neque audio qua ratione nos caput leuare oporteat, num per Fidem, quod tu aſſeris, an verò per Spem, quod vniuerſa per totum terrarum orbem credit Eccleſia. Quid ſi ex hoc ipſo loco probauero non Fidem, ſed Spem hic intelligendam eſſe? Audi & reuoca errorem. Hæc verba nonné ad duodecim Apoſtolos ſunt à Chriſto dicta? Ita certè: Neque tamen omnibus ſalutis erant prænuntia. Fuit ibi Iudas Iſcariotes; audiuit hæc, neq; tamen ſalutem conſecutus eſt. Quid euidentius? Si enim neq; ab illis credi poterant quibus dicebantur, ne Fidei ſubeſſet falſum, ſed tantum ſperari, quantò minus à nobis?

Quare vt deinceps vtilius in propoſito argumento verſemur; ſuppono pro certiſſimo, veram Spem veluti ſolidũ ædificium duabus quaſi inniti columnis; quarum altera eſt immenſa bonitas & miſericordia diuina, qua nõ ſolum poteſt & vult ſaluare omnes, ſed etiã promiſit ſe ſubmiſſis aptis mediis id facturũ, verùm non ſine aſſenſu cooperantis volunta- VI. PVNCTVM Spei Columnę duę

tis nostræ. altera columna est opus nostrum, quo & credimus pollicitationibus diuinis, & volumus omnia præstare, quæ nobis præcepit Deus.

VII. Vitia Spei Contraria. Hæc duo ita sunt necessaria, vt si alterum defuerit, non iam illa eximia Spei virtus, sed enormia peccata contra Spiritum sanctum, animum hominis occupent. Nam si primum desiderabitur; in immane baratrum desperationis prorues: quo prolapsus est in ipso penè mundi initio Cain, dicens: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* & in exordio legis Euangelicæ Iudas, qui laqueo se suspendens, *abiit in locum suum.* Quod si alterum auferas, in præsumptionem, peccatū grauissimum, te immerges, qua omnes qui sola fide iustificari se posse autumant, in interitū ruunt. Quos arguit Sapiens dicens: *Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Datq; rationem: *Misericordia enim & ira ab illo citò proximant.* Miseratio videlicet in eos qui cooperantur gratiæ ipsius: ira verò in illos qui impiè præsumentes de misericordia eius, iniustum & mendacem faciunt Deum. Iniustum quidem, qui erga obstinatè sceleratos tam indulgēs & liberalis esset. Mendacem verò, qui quas pœnas improbis seriò minatus est, minimè eas infligeret. Vt ergo de miseratione Dei certi sumus, eam Spe vera non Fide præsumptuosa & inani concipiamus. Spe, inquam, ad quam nos inuitat Propheta

Desperatio & Præsumptio

Gen. 4. 13.

Act. 1. 25.

Eccle. 5. 6.

Remediū.

pheta dicens: *Spera in Domino, & fac bonitatem.* *Psal: 36. 3.* En habes vtranq; illam Spei basim disertè & breuiter expressam à Spiritu sancto, nempe diuinam clementiam cui confidas, & tuam bonitatem qua de Deo bene merearis. Altero enim deficiente, & ipsa deerit salus.

Hoc idem eleganti similitudine, siue symbolo Spei designatum habemus. Norunt enim omnes non ex picturis tantùm, sed ex ipso Apostolo Spem ancorę comparari; *Qui confugimus ad tenendam propositam Spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam & firmam*; ait Apostolus. Ancora autem duobus vt minimũ vncis seu hamis constat; quibus dum rodit foditq; terram, securam sistit nauim. quod si alter ex vncis illi defuerit, prehendere fundũ nequaquam potest: ita Spes vncis fiduciæ in misericordia Dei, & bonis nostris operibus, firmat nos inter procellas vitæ, & sistit in portu nauim peregrinationis nostræ: cui alterum defuerit, ei miserando naufragio pereundum est. Ne ergo istud patiamur; confisi de Domino, manus admoueamus operi. Spes ancora. *Heb: 6. 19.*

Sed, inquis: Apostolus *Spem animæ tutam & firmam ancoram* vocat. Omni ergo securitate ei est innitendum. Tuta profectò Spes est & firma, nam & antea dixi non deesse sperantibus firmitatem & certitudinem suam: verùm non tantam, quanta est in credente. Quæ enim ad Fidem pertinent; omnino mutari nunquã possunt; quæ Spei sunt, re ipsa quandoque VIII. Spei certitudo quæ.

doque aliter eueniunt, vt toties probauimus. Si in fundamento veræ Fidei ſtabilitus, fiduciam in miſericordia Dei habueris: & bonitatem vt te Dauid docuit exercuêris, atq; in iſtis vſq; in finem vitæ perſeueraueris, certiſſimè ſalutem conſequeris. At quis eſt, quæſo, niſi temerarius & præceps, qui ſine peculiari reuelatione hoc ſibi de ſe ipſo certò polliceatur? Nam de eorum impia arrogantia, qui grauiſſimis oppreſſi ſceleribus, nihilominus certiſſimam ſe fiduciam, imò Fidem de ſua ſalute habere gloriantur: quid aptiùs dicam quã illud cum magno Patriarcha Iacob? *In conſilium eorum non veniat,* ô Domine, *anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea.*

Stultitia Hæreticorum.

Gen: 49. 6.

Declaremus hæc ex Euangelio quod præ manibus eſt, ex quo etiã apparebit, vnde hæc incerta, vt ita dicam, certitudo Spei proueniat. Primùm igitur poſſe Chriſtum Deum omnes ſaluos facere, docet nos omnipotentia ipſius, illis verbis expreſſa: TVNC VIDEBITIS FILIVM HOMINIS VENIENTEM IN NVBIBVS CVM POTESTATE MAGNA ET MAIESTATE. Deinde velle id eum facere & D. Paulus antea citatus, & hoc totum Euangelium clamat. Ideo enim & in prima eius parte malos terret, vt mali eſſe deſinant; & in altera bonos ſolatur, vt in bonitate perſiſtant, & ita omnes ſaluentur. Adeſt præterea promiſſio ex pura ipſius miſericordia profecta & illis aſſerta verbis: LEVATE

Illuſtrantur dicta Euangelio hodierno.

1. Poſſe Deum ſaluare

2. Velle.

1. Tim: 2. 4.

3. Polliceri.

CAPITA

TE CAPITA VESTRA, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Nec deest stimulus ad bona opera, sine quibus scit Spem nõ esse fructuosam. Cur enim mali pœnis æternis addicuntur? num quòd defuerit prima Spei columna, misericordia videlicet diuina? Absit vt promissa vera Dei vocentur in dubium: ergo damnantur ideò, quia deest illis altera Spei basis, opera illorum bona. Quod explicat & ornat Christus Dominus duplici similitudine, tum eorum qui è somno excitantur, tum arborum: VIDETE, inquit, FICVLNEAM ET OMNES ARBORES, &c. Quid est hoc? Quantum capio, quantum sapio, has duas Spei columnas mihi expressisse videtur. Sicut enim in ficulnea & quauis arbore, quo sit fructuosa, duo requiruntur; alterum vt terræ per radicem inhæreat; alterum vt imbre serotino perfusa succum attrahat; ita ad Spem nec Fides sufficit, per quam tanquam per radicem Christo inhæremus, nec sufficit misericordia Dei promissione firmata: imò neq; imber diuinus, id est, media necessaria ad operandum bene, quæ nunquam Deo prouidente & miserante desunt: sed requiritur etiam conatus tuus minimè segnis vt succum trahas, vt opera bona facias, vt proficias crescendo, & fructum vtilem feras. Alioqui audies Apostolum reprobis te annumerantem: *Terra enim*, inquit, *sæpè venientem supra se bibens imbrem, proferens autem spinas & tribu-*

4. Requirere opera nostra.

5. Declaratur hæc à Christo simili.

Heb: 6.7.

& tribulos reprobata est, & maledicto proxima, cuius consummatio in cōbustionem. Imò verò ipsum
Mar: 11. 21. Filium Dei tibi maledicentem, vt maledicit ficui non ferenti fructum, quæ etiam propterea statim aruit. Idem eueniet omni qui inani
Luc: 8. 15. fiducia fretus, licèt non afferat *fructum in patientia*, nihilominùs certam sibi salutem pollicetur. O error intolerabilis, qui tantam Deo irrogat iniuriam, & hominibus interitum accersit sempiternum! Vtinam non serò sapiāt, qui ita nunc desipiunt.

NOTA. Vnde Spei limitetur certitudo.

Hic iam facilè intelligis, vnde hæc Spei incertitudo certa, & certitudo incerta eueniat.
1. Certa est incertitudo, imò interitus certus, si sine bonis operibus vis saluari. Incerta est certitudo, si bonis in Fide operibus abundas, sed tamen ignoras, an in iis sis perseueraturus.
4. Certa est Spes, quia quæ Deus promisit, certissimò euenient: ideo cui id nominatim reuelatum est, ne minimum ambigat, vt factum esse Apostolis vidimus: & fit aliis sanctis nonnunquam. Et tunc Fides de eo habetur certa: Incerta verò Spes est, quia & promissio requirens nostrum concursum conditionatè facta est, & paucis peculiari reuelatione constat, se omninò caros esse Deo. Voluit enim nos
Phil: 2. 12. *cum metu & tremore nostram salutem operari.*
3. Certa est Spes; quia si quis primam illam Spei columnam apprehenderit, & in immēsam illam abyssum misericordiæ & bonitatis diuinæ, qua omnes vult saluos fieri, oculos mentis fixe-

tis fixerit, quî dubitare poterit? Dubitabit tamen, & incertus erit, si ad alterum Spei nutans firmamentum, quod ab eo Deus videlicet requirit, animum conuertit suum. Quis enim præsumet, se omnia præstare, quæ exigit ab eo Deus? *Quis potest dicere, mundum est cor meum? purus sum à peccato?* ait Sapiens. Et tamen D. Ioannes testatur, quòd *non intrabit in eam*, ad quam tendimus Hierusalem cœlestem, *aliquid coinquinatum.* Deniq;, potest Spes habere certitudinem suam, non quidem illam absolutam quæ soli Fidei competit; talem nihilominus, quę multas in rebus humanis certitudines longè superat: habet tamen etiam incertitudinem, quia, vt dixi, etiam si constaret nunc te esse sanctum; nihilominus illud esset anceps, & incertum, te in sanctitate perseueraturum vsq; in finem. Nunquid hoc tibi non persuadet abundè, quod audis in Euangelio, vnum ex illis quibus dictũ est; LEVATE CAPITA VESTRA, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA, Spe excidisse, diabolum factum esse, damnatum fuisse?

Prou: 20. 9

Apo: 21. 27

4.

XI. PVNCTVM Spes quomodo acquirenda, & conseruanda.

Quæ cùm ita sint, vt ad id quod vltimo loco proposui veniam; vultis dilectissimi mei in Christo fiducię sanctę virtute muniri? vultis in Spe securi de salute viuere moriq;? Audite & exequimini ad amussim, quæ & Saluator & vicarius ipsius D. Petrus grauiter monet & inculcat. Christi verba sunt, immediatè

diatè post hodiernum Euangelium: ATTENDITE AVTEM VOBIS, NE FORTE GRAVENTVR CORDA VESTRA IN CRAPVLA ET EBRIETATE, ET CVRIS HVIVS VITAE, ET SVPERVENIAT IN VOS REPENTINA
2.Pet:1.10 DIES ILLA. Diui Petri verò sunt illa; *Quapropter, fratres, magis satagite, vt per bona opera cer-*
Cauenda. *tam vestram vocationem & electionem faciatis.* En oratio docentis, monentis, media efficassima proponentis Dei, quo pacto hanc salutis *an-*
Heb: 6.19. *coram* semel apprehensam è manibus nostris elabi non patiamur, sed in dies reddamur certiores, quòd in classem electorum admissi portum salutis attingemus. ATTENDITE, inquit Christus. Non est dubium, quòd res grauissimas dicturus, & pericula denuntiaturus, verbo hoc vtitur: ATTENDITE, inquit: id est, summa diligẽtia illud cauete, NE GRA-
Cordis crapula. VENTVR CORDA VESTRA IN CRAPVLA ET EBRIETATE. Corpus equidem non cor, crapula & ebrietate grauari solet. Cur ergo cordis facit mentionem? Ideo, quia Christus vitiorum exterminator efficassimus, securim
Luc: 3. 9. ad ipsam radicem apposuit: In corde enim, vt ipse testatur, radix omnis peccati hæret abdi-
Matt: 15. 17. ta. Monet igitur, vt inde cum primis extirpentur pessima germina prauorum desideriorum: quia tum facilius à corporibus crapula & ebrietas grauans arcebitur. Neq; satis hoc;
Curæ mundi. addit: ET CVRIS HVIVS MVNDI. Vtroq; dicto, videtur mihi Christus Dominus comprehen-

prehendiſſe tres illos omnium peccatorum fontes, quos poſtea D. Ioan: in ſuam canonicam retulit. Nam ſub crapula & ebrietate, *1.Io: 2.16.* continentur omnia, quæ inde manare ſolent peccata carnis; In nimiis verò huius mundi curis, notatur auaritia & ambitio. Hæc igitur cauete dilectiſſimi, hæc non è quotidiana tantùm vitæ conſuetudine; ſed ex corde & mente radicitus euellite. Minatur enim, qui nec falli, nec fallere poteſt Chriſtus Ieſus, præſens & graue periculum; NE SVPERVENIAT IN VOS REPENTINA DIES ILLA, quæ ſcilicet vobis admodũ luctuoſa illuceſceret, quia de Spe vitæ æternæ deiecti, ad interitum ſempiternum illa die iuſto Dei iudicio deſtinaremini, & omnia atrocia, omnia terrifica pati cogeremini. Abſit hoc abſit à nobis chariſſimi. *Magnus enim dies ille Domini*, ait Propheta, *& terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? Opera iuſtitiæ eius quis enuntiabit, aut quis ſuſtinebit?* ait Sapiens. *Ioel: 2. 11.* *Eccl: 16. 22.* Propterea iterum iterumq́; inculco, vt à quibus cauendum cenſuit Saluator, ea ſummo odio deteſtemur; & illa conſectemur, quæ princeps Apoſtolorũ loco notato docuit.

Ibi enim quanta poteſt breuitate & efficacia, primò ad Spem veram nos erigit, eiuſq; cuſtodiendæ & conſeruandæ viam aperit; tum vnde incertitudo eius ortum habeat, docet; fructus deniq; longè vberrimos enumerat. Digna ſanè oratio, cuius verba ſingula ponderentur. *Quapropter fratres*, inquit, ſi nõ *D. Petri locus 4. commendat.* *1. Ne curioſi, ſed laborioſi ſimus.* *2. Pe: 1. 10.*

 cœcutire

cœcutire,si quod cœcorum proprium est,*manu tentantes* esse non vultis, si cauetis ne obliti beneficiorum & *purgationis veterum delictorum* ingratissimi in Deum habeamini, (hæc enim præmissa sunt in dictis D.Petri) *Magis satagite,* id est studete potiùs,*vt per bona opera,certam vestram vocationem & electionem faciatis:* quam vt curiosè & anxiè inuestigetis, num certò saluabimini, quod multi non tantùm inutiliter, sed & perniciosè faciunt; parum interim vel nihil pensi habentes, de comparandis iis,quę ad salutem sunt necessaria: quod extremæ
Simile. dementiæ genus est. Quis enim stultum nō reputaret illum, qui summa sollicitudine perquireret, num, quod optat, doctus sit futurus, & interim per supinam ignauiam negligeret studium literarum, quo ad doctrinam
Aliud. venitur? Aut quis non dementem censeret, quem circumcursantem, & cupidè sciscitantem videret, quomodo alteram fluminis ripam attingere posset; cùm interea tamen neq; nauem conscendere, neque pontem transire, nec vlla alia ad id comparata adiumenta vsurpare vellet? Ita planè cum iis agitur, qui perquirere potiùs & inaniter explorare malunt, num saluabuntur, quàm dare seriam operam vt saluentur. Ab hac igitur dementia nos deterrens D. Petrus: *Magis,* inquit,*satagite,vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Quibus in verbis & aliud considerare lubet. Mo-

bet. Mouet enim me hæc oratio mirificè: admiror pondus & profunda mysteria, quæ in ea latent. Quid enim audio? Me electionem Dei quæ ab æterno infallibilis est, certam facere posse? & tamen secundum Fidem Catholicam, an ex electorum sim numero, sine noua reuelatione, scio me scire non posse. Quo iure stabilire meam vocationem iubeor, de cuius firmitate stabili aliquid certi & definiti credere religione prohibeor? Vtrumque nihilominus est verissimum. nam posse nos facere certam electionem nostram, affirmat hic disertis verbis Apostolus. Nec tamen minus expressa sunt illa Sapientis pro incertitudine: *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit.* Quis itaq; vt in aliis, ita in his, non demiretur & laudet reconditam diuinam sapientiam? Voluit in nostra esse potestate, vt certam nostram electionem & salutem reddere possimus; quia verum est illud D. Augustini & ab Ecclesia receptum axioma [qui te fecit sine te, non te iustificat sine te.] Voluit enim sibi quodammodo suffragari suarum cooperationem creaturarum. Noluit tamen id a nobis sciri, & multò minùs credi, an aliquid cooperando simus assecuti. Quia vt ibidem Sapiens addit: *Omnia in futurum seruantur incerta.* Voluit salutem nostram in manu arbitrij nostri ponere, ne desperemus, ne conqueramur, ne dicamus nos voluisse, sed eam assequi minimè potuisse. noluit tamen nobis propalare

2. Efficaciam huius curæ.

Quia certam reddit vocationẽ.

Eccl: 9. 1.

August: ser: 15. de Verbis Apostoli.

quòd certò saluabimur, ne soluti metu osci-tanter vitę iter vrgeamus. Et ideò percellit nos inclamans Apostolus: *Magis satagite*, id est hoc potiùs summo studio procurate, sollicitè inuigilate. O quàm vera, iusta, misericordiæ plena sunt monita tua Domine! sine his cui nō lethalis torpor obreperet? quis cum fatuis virginibus ab aditu aulæ cœlestis non excluderetur? Sis eo quoq; nomine benedictus in secula. Hæc est igitur profunditas prima.

3. Quid spem reddat magis certam! Altera est: Quare hoc loco vertex Apostolorum (ita enim magnus Dionysius, D. Petrū vocat) dum causas certitudinis electionis, ac salutis nostræ inuestigat, bonorum tantùm operum mentionem faciat? Hinc enim inferre quis posset, vel hæc sola ad salutem sufficere, vel certè potiores partes, in salute nobis concilianda, tenere bona nostra opera. Respondeo minimè id sequi. Nam illa hæretica est illatio; hanc ferè tota ista Concione nos conuellimus. Audite & intelligite: Hæreticorū enim proprium est, particulas quasdam minutas quidem (vt sunt illæ, sola, tantùm, omnes, & similes) sed tamen veritatem Catholicam funditùs labefactantes, scripturæ addere, per quas incautis imponunt. Ergo vt verum est, fidem iustificare, falsissimum verò, solam id præstare; quia illud scriptura dicit, hoc verò Dæmonis instinctu adiectum est: ita verissimum est, ad salutem nostram bona opera requiri, falsum sola sufficere. Nam illud scri-

Non opera nostra.

ptura,

ptura, & hîc & alibi testatur: particula verò sola, nec hîc, nec vsquam addita repetitur. Esto quòd hic D. Petrus, neq; in misericordiȩ Dei, neq; promissorum ipsius mentionem fecerit: at faciunt alij, facit & ipse alibi. Neque enim vno in loco dicenda fuerunt omnia. Quòd verò omissis aliis, ad bona opera nos hortatur, quòd perseuerantibus in eis, & *non peccantibus aliquando introitum in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi* pollicetur: non aliquam prærogatiuam & excellentiam huius partis præ aliis, sed potiùs debilitatem arguit. Quod vt omnes intelligatis, exemplo familiari discite. Consueuerunt Patresfamilias, dum curru biiugo famulos suos ad longinquum iter expediunt, eisdem equum qui paulò sit debilior, & ad iter maturandum minùs validus, impensiùs commendare; certò etiam promittendo, si diligentem curam iumenti infirmioris gesserint, eos ad locum destinatum commodè peruenturos. Ita omnino nobiscum agitur. Biga quodammodo ad æternam patriam prouehimur: in qua primas, potissimas, & vnde totum robur nostrum fluit, partes obtinet misericordia & bonitas diuina: Secundas habet longè debilissimus conatus noster, & opus bonum, in recta Fide fundatum. Imò & ipsa Fides opus quoddam est. Horum conscius Apostolorum princeps, & probè gnarus, nos non aliter nisi ope diuina, & nostra obsequenti cupida voluntate,

2. Pe: 1. 11.

Simile.

Sed misericordia Diuina.

peruenturos quò tendimus, quid facit? Monet, inculcat, vt debilioris huius partis, quæ maximè in nostro sita est arbitrio, curam geramus quàm diligentissimam; certò promittens, si id constanter ad finem vsq; vitę præstiterimus, certissimam salutem, & introitum in Regnum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. O doctrinam verè salutarem! O amorem pastoris erga suas oues eximium!

4. Quomodo sint superanda quæ spem retardant. Quid igitur nos quo minus ei dicto simus audientes terrebit? quid retardabit? Num labor? num tribulationes & angustiæ? num tædia prolixi temporis in ærumnis exigendi? num virium nostrarum imbecillitas? num garritus impiorum, calumniosè obstrepentium, & nos fiduciam in operibus nostris collocare clamitantium? Nihil equidem, si serui Christi, si cordati, si cupidi salutis nostræ dici

Labores. esseq; volumus. Certum est enim, neq; labores tantos esse quantos serui mundi & diaboli subeunt. Nonné id oculis nostris quotidie conspicimus? Certè id sanctos viros in stuporem planè rapiebat, quando experientia videbant, plus impios in perdendis, quàm pios in saluandis animabus suis laborare. Quid tri-

Tribulationes. bulationes & angustiæ? Hæ neq; sunt tantæ, quin tolerari possint; neq; est status vllus, qui eis careat. Nisi fortè illos excipias, de quibus

Iob. 21. 13. Iob: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Verùm si rectè consideres; tales & hic ab angoribus non esse omnino liberos

compo-

comperies: & alibi flammis æternis mancipandos certò credis. Id verò lucri habent iusti præ impiis, quia voce illa melliflua Christi ex hoc Euangelio petita: LEVATE CAPITA VESTRA, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA: suas breues ærumnas temperant & solantur. Tempusné diuturnũ agoni Christiano destinatum? Et quomodo quęso prolixũ esse potest, quod à Spiritu sancto, *puncto*, vt paulò ante ex Iob audiuistis, vel vt in D. Paulo est, *momento* comparatur? Nonné ipsi Philosophi profitentur, ex tempore nihil esse nisi nunc, & instans? Cauendum igitur, ne ipsi, velut Niniuitę Iudæorum, indices nostri sint, si perperam de longitudine temporis conquerimur. Imbecillitatem virium nostrarum magnam esse discimus experimento & gemimus. Verùm non minus est valida & efficax manus auxiliatrix Dei, cui fidens Apostolus adeò intrepidus exclamat: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Eandem tu quoq; vocem magnanimam vsurpare potes, si te arctiùs Deo per amorẽ ipsius adstringes.

Timor longi temporis.

2. Cor: 4. 17.

Matt: 12. 41.

Virium imbecillitas.

Phil: 4: 18.

Restat murmur hæreticorum, qui oblatrãt, nos relictis promissis, & miserationibus Dei amplissimis, in nostrorum operum vilitate Spem collocare. Dicam primò, posse aliquam in operibus collocari Spem; sed & modicam, & nunquam sine misericordia Dei. Dicam secundò, mihi hoc quoq; certum esse, nunquã hanc quæ nobis affingitur doctrinam, ex ore

Hæreticæ calumniæ quæ refutantur & retorquentur.

alicuius veri Catholici profectam esse. Calumniæ sunt istæ impiorum, quibus intemeratæ matris veros filios, procaces onerant. At videte quàm impudenter, & plane stultè. Quomodo enim fiduciam in bonis operibus nostris, exclusa diuina misericordia, collocare possumus, qui agnoscimus & profitemur, nos ignorare an opera nostra placeant Deo? Quis tam præceps & inconsultus, vt Spem in eo ponat, quod an extet in rerũ natura ignorat? Quis, vt in similitudine data persistam, contempto equo, quem fortiter vectare currum & onera animaduertit; in altero, quem languere, cespitare, labi sæpius videt, Spem totam itineris conficiendi collocat? Experimur hæc in nobismet singuli quotidie; Imò & Sancti experti sunt. Audi vnum ex primis & præcipuis, toti orbi id testantem, audi quomodo languidas & eneruatas voluntatis suæ vires deploret: *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago*, inquit. Et paulò post; *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* An non & omnes nos, quandiu hanc vitam viuimus, corpus nobiscum circumferimus, quod & *animam aggrauare*, ac post desideria sua trahere, & quotidie imò in horas, in momenta, periculis nos peccandi obiicere, prauis & illicitis motibus titillare sentimus? Et erimus ita mente capti, (vt videmur hæreticis) vt fidamus nobis, in tanta imbecillitate & ad lapsum propensione,

Simile.

Rom:7.19

Sap:9.15.

vt inni-

vt innitamur viribus nostris, quæ sine diuino adiutorio non subsistunt? Atqui Pelagianorum hoc est proprium, & impium dogma, quod nobis imputatur: quodq; non minùs quàm cæteras hæreses, sancta detestatur & iam pridem detestata est Ecclesia. Cui qui parent filij, etiam si scirent se omnia quæ debebant ad amussim exactissimè fecisse; nihilominus verba Magistri & Saluatoris sui monentis vsurparent: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* quantò magis quos id lateat, se pro inutilibus gerere ac reputare debẽt? Lu: 17.10.

Non est igitur tanti murmur hæreticorum, vt nos ab hoc operum bonorum comparando præsidio absterreat; non est quod nos flatus & procella perfidarum opinionum commoueat, qui veritatem in Petra fundatam amplectimur: quos mater Ecclesia sponsa Christi, quos Princeps Apostolorum, & reliqui Sancti, quos ipse Sanctus Sanctorum tam seriò dehortatur à vitiis, & ad curam salutis inuitat: adeò vt qui sine operibus bonis velit saluus esse, eum euidentissima ratio & authoritas diuina conuincat, non esse bonum Christianum, sed præsumptuosum hæreticum; peccato grandi contra Spiritum sanctum obstrictum. Mouet tamen Ecclesia, non plus æquo operibus bonis fidere nos debere: tum quòd ignoremus an placita sint Altissimo, tum ne quid nobis arrogando per superbiam à gratia excidamus. Hoc enim est quod monuit & Catholica sententia declaratur

1. Cor: 10. 12. nuit & Apostolus. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et vide vt cautè loquitur. Non dicit; qui scit se stare, sed qui *existimat.* Opinio enim hac de re esse potest, certitudo nequaquam. Eadem Ecclesia iubet nos omnem Spem & fiduciam nostram collocare in eo, qui dicit: LEVATE CAPITA VESTRA, non ad vos, non ad opera vestra, sed ad me, per quē APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA, quam ego ipse quotidiana submittens adiumenta salutis, vobis affero. Promissio hæc, consolatio nostra est; fundamentum Spei nostræ Christus Iesus est: Cuius bonitas & omnipotentia, non solùm in hoc salutis cursu primas ex se obtinet partes; verùm etiam, quicquid in altera parte, id est conatu nostro, solidi boni est, ab ipso emanat: *Ipse elegit nos ante mundi constitutionem vt essemus Sancti:* ipse vocauit nullis nostris præcedentibus meritis: ipse *operatur in nobis velle* bona: ipse in momēta præsentissimo auxilio nobis adest quotidie: sine quo magis præcipites, quàm lapis ex alto impulsus, rueremus ad interitum; ipse dat *& perficere* quod nostris viribus non assequeremur; ipse deniq; dona sua in nobis, collaborantibus nobis, aucta coronat; quia *miserator & misericors est, & multæ misericordiæ & verax* in promissis suis.

NOTA Septem modos, quibus Christus in spe primas habet partes.

Eph: 1. 4.

Phil: 2. 13.

Ibidem.

Ps: 85. 15.

Oratio summam dictorum continens.

Ideò ad te qui es fons patens omni sitienti in vitam æternam Iesu Christe recurrimus, qui & timorem incutis, ne ignaua securitas in

re maxi-

re maxima momenti nobis obrepat; & Spem erigis, ne abiectio timidos nostros animos prosternat. Ad te qui incogitabili prouidentia tua, non solùm misericordiam tuam, quę nusquã non adest ope præsenti, sed etiã bona nostra opera in spe requiris: qui vt scis omnia, antequam fiant; ita virium nostrarum imbecillitatem, aduersariorum verò efferam potentiam perspectam habes: Ad te, inquam, vnicum præsidium Ducem & authorem nostrum confugimus, humiliter & obnixè precantes, vt in hoc mari periculoso iactatos, ad anchoram firmam Spei non confundẽtis nos alliges, quo euitemus procellas tentationum & peccatorum sæuientes, atq; bonis operibus aucti, salua naui & integris mercibus, inter Scyllam Lutheranorum, qui nihil; & Charybdim Pelagianorum, qui nimium operibus viribusq; suis tribuunt, fœliciter nauigemus, & ad te portum salutis nostræ perueniamus; qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus, in secula seculorum. Amen.

CONCIO QVARTA.
Charitas.

PRÆ omnibus virtutibus tres excellere, Fidem, Spem, & Charitatem, norunt vel nosse debent omnes. Istis Excellentia charitatis.

nes. Istis enim solis naturam ipsam, & maiestatem diuinam, nullo interiecto medio attingere, & quantùm in hac peregrinatione licitum est, Deo Opt: Max: coniungi consueuimus: imò vt cum Principe Apostolorum
2. Pet: 1. 4. loquar, diuinæ consortes naturæ efficimur. Cæterùm quantùm istæ superant alias; tantùm à Charitate superantur, Paulo attestante;
1. Cor: 13. 13. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc. maior autem horum est Charitas*: vt sine ea, non tantùm quæ vocantur morales; sed & Fides, & Spes, non sint dignæ Christianæ virtutis appellatione. Quamuis enim sine Charitate
D. Th: 2. 2. quæst: 23. Art: 7. Fides & Spes esse possint; virtutes tamen absente illa meritoriæ esse non possunt; quippe quia solæ non constituunt hominem simpliciter bonum, nec vllius præmij cœlestis capacem. Ad huius igitur virtutis excellentissimę ardens studium, me & vos hac Concione hortari institui. Verùm quanam id ratione assequemur, qui à textu Euangelij discedere
Timor amorem excutit. non solemus? Euangelium verò hodiernum terroris plenum, incutit metum, & in fugam præcipitat? At è contra amor suaui quodā desiderio rei amatę nos afficit: Suauitas verò hęc tantum abest, vt ad fugiendum incitet; vt potius gustatam dulcedinem suadeat prosequēdam, etiam fugientem? Quomodo ergo ex his austeris, & ad terrorem compositis verbis id eliciemus, quod illecebram habeat, & ad arctius amandum Deum inuitet? Eius ope

nimirum

nimirum adiuti, qui poteſt omnia, qui è rigida ſilice ignem, & è petra ſitienti populo aquas eduxit largiſſimas.

Itaq; dicemus inprimis, quonam modo timore ſtimulari ad amorem, deinde qua ratione promiſſis Chriſti poſſimus ad eundem alici, idq; faciemus ſanctorum Patrum veſtigiis, ac textui inhærendo. Tu Charitas Chriſte Ieſu, qui nos immenſo amore proſequeris, da vt te imitando viciſſim totis viribus amemus. Propoſitio.

Si parentes noſtri, à quibus in hanc lucem editi ſumus, dum increpant, terrent, feriunt; rectè ſuo fungi officio, neq; quicquam à verè paterno amore diſcedere dicuntur: multò magis Deus præpotens ipſiſſimus & maximè indulgens Pater, à quo omnis Paternitas, hoc quoq; argumento ſe venditare pro vero & cariſſimo parente filiis ſuis voluit, dum erroribus noſtris minime conniuet, ſed ob eos quandoq; excandeſcere videtur. Ab eo quidem habemus omnia, corpus & animam: ipſe nos non tantùm condidit; ſed etiam cruore ſuo redemptos conſeruat, alit verbo, & cœleſtibus myſteriis. Verùm ad cumulum horum omnium accedunt minæ & interminationes eius, ne illa priora fruſtra in nos contuliſſe videretur, ſi ignauia noſtra perirent. At, inquies, nullo delectu eum iuxta bonos & malos terrere ac punire. Eſto ſanè. Magnum eſt nihilominus diſcrimen eorum, qui ſua culpa, & qui nullo merito à Deo affliguntur: Argumenta amoris diuini genealia.

quamuis

quamuis quod ad terrores minasque attinet, hæ æquę intentantur omnibus, vt omnes salui fiant, & vt etiam impij animaduertant magna erga se diuinæ beneuolentiæ & plurima argumenta: quæ iam verba Christi Domini considerando in particulari videamus.

In Particulari ex Euãgelio promuntur XIIII.

ERVNT SIGNA IN SOLE ET LVNA ET STELLIS, inquit Saluator. Quibus in verbis liquidò etiã scelestus quot sunt signa, totidem argumenta eliciet, quibus docebitur, se Deo esse carum. Quid enim aliud sibi vult oratio præcauentis, & sua cogitata prodentis Dei? Legimus etiam in sacris literis, Reges, Imperatores, summa cura adnixos fuisse semper, vt consilia & stratagemata sua, quibus hostes vellent aggredi, essent eis quàm occultissima. Propterea Rex Syrię misit robur exercitus sui, ad capiendum Eliseum, qui consilia ipsius occulta Regi Israëlis spiritu prophetico prodebat. Quod & piis etiam Principibus in vsu fuit: imo (quod mirandum est) Deus ipse docuit Iosue, quomodo clanculùm & insidiosè circumuenire, ac opprimere incautos inimicos posset. Nunc verò tuæ Christe artes potissimæ sunt & vsitatissimæ, reddere manifesta consilia de puniendis inimicis; & pœnas quas inferre cogitas, multò ante denuntiare. Vnde verò dissimilis hæc Dei cum suis aduersariis agendi ratio? Inde, quia alij hominum hostes, ex odio, quo suos æmulos prosequuntur, eosdem non nisi punire & perdere quærunt:

I. SIGNVM AMORIS, Prædictio impendentium malorum impijs etiam facta.

4. Reg: 6. 8.

Iosue 8. 2.

runt: ideoq; technas omnes, & vim qua impetere noxios cogitant, ita ſupprimunt, vt nemo cogitatas inſidias ſaluus euadat. At miſericors Deus, qui ſalutem omnium ſitit ardentiſſimè; quàm maximè ſe prodit, & ſpatium euadendi ſeueram ſuam animaduerſionem iuratiſſimis ſuis æmulis præbet: multoq; ante denuntiando territat, *vt fugiant à facie arcus,* *Pſal: 59. 6.* ſi ſalui eſſe velint, adeoq; mortem effugere ſempiternam. O benignitas ineffabilis! Reperiturné aliquis veſtrum, mortiferi ſibi conſcius peccati; ideoq; hoſtis Dei iuratus, tam obſtinato animo; vt neq; oblata vltrò ſui Creatoris reconciliatione moueatur? Quæ machinæ huic ſaxeo pectori expugnando ſufficiant, ſi hæc amoris diuini vis non eſt ſatis? Quis eius cor emolliet, ſi nil profuit ingens tantæ charitatis æſtus? qua parens optimus ardet erga eum, quamuis hoſtem ſuum infeſtiſſimum? Quid enim his aliud vult Saluator, quàm vt omnes ſalui fiant? Ergoné homo inconſideratus, & ſe ſuo fine, ad quem creatus eſt, & Chriſtum expectatione noſtræ ſalutis, cuius eſt cupidiſſimus, ita fruſtrabitur? Abſit hæc à vobis maxima certè & ſtolida impietas; adſit verò amoris veſtri, cum diuino redintegratio. Verùm cùm noſtri inſtituti ſit, in hac concione ſpiritualiter hæc ſigna interpretari, id antequam faciamus, alia amoris diuini etiam erga impios indicia expendamus. Non ſolùm enim præcauet, ſed & terret dicens:

Exhortatio

II. Terror cogens ad DEVM. ET IN TERRIS PRESSVRA GENTIVM PRÆ CONFVSIONE SONITVS MARIS ET FLVCTVVM. Non nuda enim hic est prædictio, sed terrore mista, vt metus in fugam coniiciat peccatorem; illam vtiq; fugam, quæ à Deo irato ad Deum indulgentem recta dirigens, refugium in sacris literis dicitur. Id verò non est aliud, quàm ipsius Iesu vulnera: ad quæ nisi se receperit, nusquam securus consistet. Ab exemplo simili. Mirus hic est amor Saluatoris, idem agentis quod matres cum teneris filiis. Hæ enim si infantem semel, atq; iterum blanditiis & verborum lenocinio ad se accersêre nō valent: subornant quempiam, qui tetro vel etiam laruato vultu, voce aspera & minaci inuadat & terreat renuentem. tum puer matrem recta petit concitus, & blandè suscipitur. Fictitius hic terror, adumbrat nobis terrores Dei verissimos. Attendit Saluator, num quis cordé non duro sit, & minis tremefactus, ad se recta, vitiis nuntio remisso, confugiat. Huic enim vltrò Saluator prodit obuiam, ruit in amplexus, & commissorum veniam donat liberalissimè. Nulla est vnquam adeò facilis materna indulgentia, quæ vmbram huius diuinæ erga nos propensionis assequatur. Intuere eum in cruce manibus expansis, te ad suos amplexus inuitantem. Quod si sponte nō alliceris hac admiranda charitate & lenitate, impellat metus, impellat percussio, de quo audi quod sequitur.

ARE-

ARESCENTIBVS HOMINIBVS PRÆ TIMORE ET EXPECTATIONE QVÆ SVPERVENIENT VNIVERSO ORBI. Magnum itaq; & hoc erga genus humanum amoris indicium percutere, ſed paternè & leniter, ne grauiter & quaſi hoſtiliter punire in poſterum neceſſum habeat. Neq; hic probi excipi videntur. Nam iſta ſuperuentura vniuerſo orbi dicuntur: in orbe autem non tantùm malos, ſed etiam iuſtos reperire licet. Omnibus itaq; ad terrorem propoſita ſunt, licèt diuerſimodè. At, inquies, nos qui longè ab illa die abſumus, non poſſe his moueri. Demirari equidem ſatis nequeo, dum & ſanctos Patres, & ipſam ſcripturam intueor: quî factum ſit, quòd illi qui nos mille & multò pluribus retro annis, nempe ab ipſo Euangelij exordio præceſſerunt, tantopere diem illum timuerint; vt veriti fuerint, ne illos è veſtigio opprimeret minimè paratos: nos verò qui ſeſqui mille & ampliùs annis extremo illi diei vtiq; propinquiores ſumus, ſecuri planè & abſq; vllo metu hac in parte viuamus? Quæ ſit iſta pernicioſa ſecuritas, vtinam ſemel agnoſcamus, quorũ in acie ſalus propterea ſæpenumerò vertitur. Sed proſequamur reliqua.

III. Lenis percuſsio ad vitandam grauiorem.

Oſcitantia ſpiritualis.

Certum eſt futura hæc territamenta, non ſolùm propter eos, qui tum victuri ſunt, quando ingruent, ſed & propter omnes prædicta eſſe. Sciuit enim qui omnia nouit Chriſtus Deus, Apoſtolos quibus hæc loquebatur,

Omnibus inculcata Iudicij diſtrictio per CHRISTVM.

tamdiu non ſuperuicturos: Neq; verò id prædixit tantùm, vt tum temporis victuros per Apoſtolicam prædicationem percelleret: ſed vt & ipſi Apoſtoli ſeueram diei illius cladem recenti ſemper memoria circumgeſtarent; & aliis omnium ætatum mortalibus, idem per ſe & ſuos ſucceſſores inculcarent. Quod vide quàm exactè fecerint. Ex D. Petro & aliis dicta ſunt in prima Concione plurima. Nunc D. Paulum intueamur, cui non ſatis fuit, id apud Chriſtianos exaggeraſſe; etiam Idololatras Athenienſes, nihil minùs cogitantes, vel intelligentes, extremo illo iudicio grauiter terret; neq; fruſtra. Nam ex iis nō pauci conuerſi ſunt ad fidem: inter quos fuit magnus ille Dionyſius Areopagita. In Theſſalonicenſium verò Chriſtianorum animis tantos motus excitauit, vt diem illum iamiam adeſſe putarent: quam ob cauſam alteram ad eos epiſtolam dedit, in qua eos hac opinione liberat. Quid dicam de ſanctis Patribus? Sufficiat D. Gregorius, paſtor vniuerſi orbis, quem video non opinatum eſſe tantùm, ſed & confirmaſſe rationibus è ſcriptura deductis, breui diem illum adfuturum. Nota eſt in Euangelium hodiernum eius homilia. Et tamen mille ferè annis Sanctus hic nos antegreſſus eſt, nos, inquam, qui audemus omni pulſo metu in vtramq; aurem dormire. Si hæc inſidioſiſſima ſecuritas ideo à dæmone immittitur, vt ad obliuionem rerum diuinarum, & ad oſcitantiam in

Per Apoſtolos.
1. Teſſ: 5. 1.
Act: 17. 33
2. Theſ: 2. 1
Per SS. Patres.

am in pœnitentia agenda inducat; si iacturam salutis & miserabilem interitum conciliat: quid moramur obsecro tot exemplis, tot monitis Sanctorum, & portentis venturi Christi veluti stimulis icti, veternum hunc lethiferũ excutere? Cur non eorum recenti & perpetua memoria, tanquam chalybe silex, cordis nostri percussa, vero dolore compungitur, & Charitas ignem scintillat? Tardus videlicet est aduentus Dei nos iudicaturi? At cum exitus vniuscuiusq; de corpore accelerat, vt meritò in momenta debeat formidari.

Verùm esto distent prodigia hæc, & dies illa quàm longissimè. Quid si non tantùm quando morte obita, rapimur ad Tribunal iudicis; verùm & tunc toties in nobis orta sunt, quoties à recto tramite diuinorũ mandatorum aberrauimus? Num & id tardum putabimus quod quasi continuò nos adoritur? Age hoc iam demonstremus. Nostis à Philosophis hominem paruum mundum nuncupari. Nec immeritò, conforme enim est id & sacræ paginæ, vbi legimus, post omnia quæ creauit ornauitq; Deus, hominem demum conditum vt compendium rerum omnium: & rationi, quia quæ cœli terræq; ambitu continentur, in homine suo modo reperiuntur. Nam vt in cœlis, vel supra cœlos sunt Angelici spiritus, ita in nobis anima spiritualis, ac immortalis principem tenet locum. Deinde noster intellectus, Soli simillimus est. Vt enim à sole om-

IV. Signa Iudicij suo modo in quouis peccante expressa NOTA.

Homo paruus mundus.

Gen: 1. 26.

In eo videre est Solem.

sole omnia lumen mutuantur, ita quicquid est luminis in anima, ab intellectu deriuatur.

Lunam. Voluntas verò nostra partim directè, partim obliquè summum bonũ prospectans, nonne mutabilitate sua egregiè lunam ad solem variè

Stellas. obuersam imitatur? At stellarum varietas multiplex, diuersitatem earum imaginum, quas memori mente nobiscum circumferimus, adumbrat. Vtq; gratus est oculis nostris aspectus hic syderum: ita gratum est animo pij hominis, dum recenti memoria beneficentiæ diuinæ dona sibi impensa recolit.

Terrã, &c. *Gen: 3.19.* Terram & omnia quæ in illa sunt, meritò cõparo corpori, quod de terra formatum est, & in terram ibit; crescit vt planta, sentit vt quoduis animal, ira æstuat, gestit lætitia, & aliis mo-

Rebellio vnde. uetur passionibus vt bestiæ. Quæ quidem olim homini subditæ, & affectiones in eo fuerant omnes ordinatæ. At postquam parentes nostri diuinæ legi subditi esse desierunt, ordinemq; istum pulcherrimum subiectionis primi violarunt; omnia excusso rationis imperio sursum deorsumq; misceri experimur, & deflemus.

Quomodo in his portenta comparent? Quod ergo alienum primorum scilicet parentum peccatum fecit in nobis; facit & nostrum, eo modo quem Euangelium præsens moraliter siue spiritualiter intellectum appositè ponit ob oculos. Peccat quis in Deum conditorem suum, è vestigio *signa in sole & luna & stellis* oriuntur; & eò magis crescunt, quò quis

quis obstinatiùs in sceleribus perstat. Intellectus qui solis instar est, ita obscuratur, vt iudicet *tenebras lucem & lucem tenebras*, & summū bonū fugacissimæ postponat illecebræ. Quid his tenebris tenebrosiùs? Voluntas verò ipsa quoq; luna fit mutabilior. Ait enim Sapiens: *Stultus* (talis est omnis peccans) *sicut luna mutatur.* Memoria quæ gratiæ diuinæ fulgoribus, velut stellis illustrata scintillabat, dum cœlestium vel oblita, vel ea fastidiens, terrena perpetuò voluit & reuoluit, stellarum casum imitatur. Quid dicam de terra? Nonné quod Saluator ait; ET IN TERRA PRESSVRA GENTIVM, homo flagitiis coopertus experitur? At, inquies, nullam eos pressuram, imò delectationem maximam sentire, dum voluptatibus carnis diffluunt. Sed errant, & se miseri fallunt, quia sunt homines mendaces. Non fallit Christus veritas. Agesis enim, considera diligenter verba ipsius, & reperies rem ita se habere. Quid enim dicit Christus? quibus minatur *in terra pressuram*? Hominibus equidem. Per hominem verò id intelligi debet, quo à brutis differt, nimirum ratio, & intelligens anima. Homo igitur pressus & deiectus miserè iacet, tum vel maximè cùm corpus eius & sua bruta animalitas stultè effert se lætitia futili. Quæ enim maior potest esse pressura Domino, quàm quando seruus ipsius illi imperat? Quoties caro quæ subiici, imò vt pecus tractari debuit, animo, cui imperium datum

Tenebræ &c.
Isa: 5. 20.
Eccl: 27. 12.
Matt: 24. 29.
Pressura grauissima peccatum.
Obiectio, quæ
Ps: 115. 11.
simili soluitur.

datum est, turpiter dominatur, eiq; cupiditates sordidas & illiberales, velut onera quæpiam ingerit; nunquid illum non indignissimè deprimit? Hæc ipsis cùm pateant sensibus; patet etiam liquidò pressura hominis nostri interioris. Nec minùs aptè quadrat flagitiosis, quæ sequitur *confusio sonitus maris & fluctuum.* Quæ enim, confusio maior quàm in tali homine? quis fluctus, quæ procella spumantis maris horridior & fœdior, quàm ij qui corporibus suis habenas laxant? & vt appositè ait Apostolus: *Despumantes suas confusiones.* Nunquam ita spumat & æstuat mare fluctuans, vt hæreticus errorum ventis abreptus in Catholicos incurrens: nunquam ita brutæ animantes lasciuiunt & turgent, vt homo luxuriæ deditus vel ambitioni; nunquam leo vrsusué ita ferocit, vt tyrannus sæuiens, & quiuis iracundus. Breuiter, talis est omnis, qui mauult vt illi brutæ passiones, quàm diuina ratio dominetur, qualem hic Christi oratio mysticè intellecta nobis designat. Additur enim *arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi.* Homo paruus mundus, impietate obstrictus arescit, & tum ab exagitante timore, tum, à remorsu conscientiæ, tum tristitia intolerabili consumitur. Nam *spiritus tristis exsiccat ossa,* ait Sapiēs.

Confusio & despumatio peccatorum.

Iud: v. 13.

Pro: 17. 22

Exhortatio

Cùm igitur hæc in cœlo & terra, id est, in anima & corpore tuo propter tuum lapsum, agi conspexeris, ô Christiane: recorderis signa quæ-

gna quædam prænuntia terribilis aduentus Dominici & iudicij tui tibi dari. Nam licet ista quæ recensuimus, & alia plurima, sint pœnæ peccatorum nostrorum: sunt nihilominus etiam signa, & exhortationes piissimi Iesu, vt conuertaris & viuas: vt si illis, quæ longè abesse autumas, non moueris; vel istis quę prope in limine, imò in te esse sentis motus, non differas pœnitentiam: atq; ita amantissimi Patris, tuam incolumitatem vnice cupientis, expleas desiderium. Qui audi quid subiungat:

Nam VIRTVTES COELORVM MOVEBVNTVR. Angelos intelligit, qui & in vniuersali illa clade, mira vt vidimus operabuntur, & in nostro hoc paruo orbe, quando interitum minatur, quid non præstant? Mouentur equidem, virtutem suam, VIRTVTES COELORVM, non otiose exerunt, adsunt nobis præsidio, ne penitus corruamus. Exemplo sit nobis Angelus Thobiæ, qui si ea quæ legimus fecit, ne bonus iuuenis periret in corpore; quid non faciet, ne malus Christianus intereat in anima? quæ vtique & longè est corpore excellentior, & naturæ ipsius conformior. O quoties vigilans hic noster custos *Leuiathan, serpentem vectem, serpentem tortuosum*, cohibuit, ne nos absorberet? Quoties sicut Raphael Thobiam, tutatus est nos, ne ab immani monstro deuoraremur? quoties Asmodeum dæmonium ligauit, ne nos, prout septem illos viros

V. SIGNVM AMORIS Angeli nobis tuendis destinati.

Angelorũ in nos beneficia.

Isa: 27. 1.
Tob: 6. 3. & 8. cap.

viros apud Raguelem, male perderet? quoties à peccato auocare, & ad bene operandum sanctis suis inspirationibus impellere nos conatus fuit? Ista verò omnia, quis operatur per Angelos? nisi tu, qui eo fine tantam eis mobilitatem, & ad nos propensionem indidisti? Agnoscimus & hinc euidenter amorem tuum, quo nobis adeò bene consultum velis. Sciuisti enim dulcissime IESV, quòd si pro merito scelerum nostrorum, sathan in corpus nostrum rabiem suam exercere posset; non fieret salua omnis caro, & non *paulominus*, vt

Psal: 93. 17. ait vates, sed iam pridem *habitasset in inferno anima* nostra. Simus igitur grati, vt oportet, & memores dilectissimi: neque Lucifero malo, mala nobis per suos emissarios suggerenti; sed Christo bono per bonos Angelos optima inspiranti, obediamus. Sequitur vltimum Aduentus diuini ad iudicandum signum, vel potius ipsius aduentus initium.

VI. Pœnæ expositę ad terrorem incutiendum. Ab exemplo simili.

ET TVNC VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM IN NVBE CVM POTESTATE MAGNA ET MAIESTATE. Videtur mihi amantissimus Dominus id obseruasse, quod vos patres plerumque factitatis. Non enim vobis satis est, semel & iterũ filios proteruos castigasse, sed consueuistis etiam flagra quibus puniti sunt, propalam asseruare, vt pueri eorum intuitu se à petulantia cohibeant. Simile quid legim⁹ fieri in antiquissima Chinensium Repub. Ibi enim certis anni temporibus,

ribus, catenæ ferreæ, compedes & exquiſita quæq; excarnificandorum corporum inſtrumenta, per plateas ciuitatis raptantur, & in ſaxis eliſa terrificum ſonum excitant;imò obuij etiam quique impeti & percuti ſolent. Ea ratione vulgus mirum in modum in officio continetur. Non aliter profectò Chriſtus Saluator, ea quæ ſuperuentura ſunt interituro mundo,& nunc peccanti cuilibet obtingunt, promit, & ordine recenſita, velut in edito loco ſpectanda defigit: omnia inquam prodigiorum genera, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari, quæ in hominibus, quæ in Angelis, quæ deniq; ipſo iam aduentante prouentura ſunt, vt hæc conſiderando per timorem ad amorem inducaris.

Neq; ſatis eſt vrgere ſegnes his territamentis:additur in iſtis poſtremis verbis remedium duplex, videlicet recordatio vniuerſalis extremi iudicij & particularis, quod ſtatim obitam conſequitur mortem: imò etiam earum quæ ſuſtinentur patrato ſcelere affectionum, de quibus paulò ante diſſeruimus: qualis eſt intellectus obnubilatio, voluntatis impetus, male in vitia pronæ; imagines abſurdæ memoriam infeſtantes, corporis & ſenſuum rebellio maxima, fœdè exæſtuans libido,& alia. Adde his quod iam audiſti. *filium hominis venientem,* imò etiam monentem te non ſolùm per Angelos; ſed etiam per ſeipſum, vt ſui curam geras. Quid enim ſibi vult illa Syndæreſis, illa, vt cum

VII. Remedia data.

Syndęreſis.

Rom: 2. 15: vt cum Apostolo loquar, *conscientia inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus?* & veluti coram summo cognitore disceptantibus? vix vnquam peccator sine conflictu & tumultu eiusmodi cogitationum viuit. Magnam certè *potestatem* & maiestatem suam Christus hic quoque declarat, cùm inter medias epulas & voluptates irruat super eos pauor, & amara quædam mœstitia peccatricis animæ intima fodiat. Maiestas certè & digitus Dei est iste, qui tam valide se in confertas voluptates insinuat. Vtinam non obruamus castigantis nos conscientiæ vocem, sed sincera conuersione nostra, gratiam in hac die gratiæ obtineamus. Hucusq; Dominus monuit bonos & terruit malos, iam sermonem suum suauissimum ad bonos conuertit.

VIII. Spes & solatia bonis oblata.

HIS AVTEM FIERI INCIPIENTIBVS, RESPICITE ET LEVATE CAPITA VESTRA. Vos ad fructum faciendum electi peculiariter, & non solùm vos, sed etiam omnes, qui Ioan: 17. 20. per vos & successores vestros *credituri sunt in* Ioan: 15. 14. *me*, & facturi *quæ ego præcipio vobis*, ne terreamini, sed consolamini; ne abscondite facies vestras, quod male sibi conscij solent: sed leuate capita vestra, & intuemini vestrum Patronum A simili. potiùs quàm vindicem. Quemadmodum enim qui ab hoste capti in carcere detinentur, quando audiunt à sibi fauentibus captam esse ciuitatem in qua detinentur, omnibus ciuibus tristitia affectis, flentibus, eiulantibus, ipsi non so-

non ſolùm non contriſtantur, ſed cum lætitia operiuntur eos, qui ſe de carcere liberent. Idem faciendum cenſet Dominus iis, qui ſecum amicitiæ ſtabili fœdere iuncti ſunt, ſiue iis qui hæc ſigna ante ſuum aduentum quandoq; viſuri ſunt, ſiue iis qui ea duntaxat fide & cogitatione præuident, iiſque permoti ab omni ſpecie mali ſe continent: Hos inquam monet, dicens: ne terreamini, non in deſperationem propter obiectos terrores & tribulationes ingruentes vos immergite, ſed alacres potius ſingulari lætitia exultate.

QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Illa vtiq; abſolutiſsima, cui nil addi poteſt ad cumulum, qua nil fælicius. Quia tamen ea prius euenire non poteſt, quàm terribilia quæ dixi præceſſerint; Cùm iſta videritis aliis eiulantibus, vos redemptionem ſperate, & ſperantes exultate gaudio inenarrabili. Exultauit plurimum Iacob, quando Iſaac illi benedixit: at fleuit Eſau, Iſaaco neganti ſibi benedictionem, dicens: *Num vnam tantùm benedictionem habes pater?* Noſter autem Dominus & Pater Chriſtus Ieſus, non vnam habet benedictionem, quia non vnam habet redemptionem. Redemit enim nos, naturam & carnem noſtram in vtero Virginis aſſumendo, & Patri dicendo: *Ecce venio.* Redemit conuerſando & docendo, ideo inquit ad Apoſtolos; *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Mundicies

IX. Perfecta redemptio promiſſa.

Ge: 27. 38.

Redẽptionis & eius applicationis varia genera.

1. Pſal: 39. 8.

2. Ioan: 15. 3.

3.

cies autem ſine redemptione, eſſe non potest. Redemit nos ſanguine ſuo, de qua D. Io-
Apoc: 5. 9. annes: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo & natione.* Et hæc redemptio eſt fons & origo cuiuſuis redemptionis. Ideo non ſolum ipſa, ſed etiam participatio ac applicatio huius redemptionis, id eſt ſanguinis Chriſti, redemptionis in-
4. ſignitur nomine. Quod fit varie: dum in ba-
5. ptiſmo ex filiis iræ filios Dei nos efficit: dum pœnitentibus peccatorum remiſſionem do-
6. nat: dum per alia ſacramenta, & maximè Eu-
7. chariſtiam cumulatè auget gratiam: dum bo-
8. na opera noſtra remunerat: dum piè ex hac
9. vita decedentium primò animas, deinde poſt reſurrectionem etiam corpora coronat, & beatitudine impertit. Et hæc eſt, quam præcipuè dictis verbis Chriſtus Dominus ſuis promittit, Redemptio plena. Cæterùm quia nunquam Chriſtus Dominus cuiquam redemptionem ſuam applicat, quin benedicat; nunquam benedicit, quin aliquid largiatur: quàm variè & cumulatè ab eo redempti ſumus, tam variè quoque & vbertim benedicimur. Feſtinemus igitur dilectiſſimi, cum Iacobo Patriarcha, non ad terrenas, ſed ad cœleſtes capeſſendas benedictiones, vt liberaliter in nos effuſis; vti cum gaudio valeamus. Capiamus eas æquè per amorem; ſicut per amorem dantur. Ad quem vt incitemur magis, duas ſimilitudines à Domino datas excutiam. Subiungit enim,

VIDE-

VIDETE FICVLNEAM ET OMNES ARBORES. X. SIGNVM AMORIS.

Hæc eſt altera, primam autem paulo ante audiuiſtis, ſumptam, ab iis, qui velut è ſomno exciti profundo, leuant capita. Vt enim ij primùm quidem clamoribus excitantur, deinde oculos aperire & aſpicere incipiunt; poſtmodum capita leuant, ac demum ſurgentes opus aggrediuntur: ita ſomno ſpirituali per peccatum immerſi, primum quidem terroribus, & illis clamoribus, de quibus in prima Concione dictum eſt, à pernicioſo lethargo excitantur, deinde per fidem oculos aperiunt: (Fides enim dum in hac vita degimus, in intellectu ſita, eſt quaſi oculus animæ) poſtea per Spem leuare incipiunt capita ſua, ac demum per Charitatem opus diuinum aggrediuntur. Quod vt & nos fœliciter aggrediamur, in eoq; vt par eſt proficiamus; quæ altera hac ſimilitudine notantur, diligẽter attendamus. Ea verò ſumpta eſt è ficulnea & aliis arboribus: in qua lego alibi & hic Chriſtum Dominum tria ſigna æſtatis appropinquantis dediſſe. Primum, *cùm iam ramus eius tener fuerit*. Secundum, *Et folia nata*. Tertium, quod ſolus Euangeliſta noſter habet:

Tepor noſter ſimilitudinibus excitatus. Dormientis.

Ficulneę.

Matt: 24. 32.
Mar: 13. 28.

CVM PRODVCVNT IAM EX SE FRVCTVM, SCITIS QVONIAM PROPE EST AESTAS. XI.

Per fructum verò (licèt in Græco id non reperiatur) iuxta ſenſum literalem intelligit D. Lucas fructum, immaturum & vix inchoatum. Maturus enim fructus, ſignum eſt æſtatis non aduen-

Signa & effectus gratiæ.

aduentantis, sed vel præsentis, vel iam elapsæ. At in sensu spirituali, pulcherrimè omnia quadrant. Sunt enim non solùm signa, quibus aliquo modo cognoscere possumus, an Charitas & gratia Dei sint in nobis: sed etiam quantum in ea profecerimus, gradatim aperiunt. Primum est teneritudo conscientiæ, quæ ramus & propago quædam animæ nostræ est. Qui enim vel duram, vel largam, vel quod peius est, & quod summoperè Apostolus detestatur, *cauteriatam habent conscientiam*, iis non æstas indulgentiæ diuinæ, sed rigor iræ ipsius expectandus erit. Alterum paulo excellentius; cùm iam sunt *folia nata.* Illa folia, quibus ornatum Dauid beatum prædicat: *Et folium eius non defluet*; nempe verba & sermones de rebus diuinis, qui antea insipidi, imo amari, nobis esse videbantur, tum sapere incipiunt, vt & audiantur libenter; & cum gustu aliis referantur. Postremum & perfectissimum est, FRVCTVS bonorum operum. Hæc igitur tria à nobis procuranda sunt, conscientia nempe, non scrupulosa quidem, sed tenera; non timens vbi non est timor, sed ita tamen nos in officio arctè continens, vt parati simus potiùs mori, quàm bonitatem diuinam peccato mortali offendere: lingua non dicacitati, mendaciis, maledicentiæ, detractionibus assueta: denique mens & manus ad omne opus pium sanctum parata & expedita. Hæc si nobis ope in primis diuina, & nostra vigili exercitatione in

Tres gradus horum signorum.

1. Teneritudo conscientiæ.

1. Tim: 4. 2.

2. Gustus diuinorũ.

Psal: 1. 3.

3. Opus ipsum.

Exhortatio.

ene in hac vita obtigerint, redemptionem à Christo promissam, læti expectabimus: fietq; nobis, quod subiungit Christus Dominus:

ITA ET VOS CVM VIDERITIS HAEC FIERI, SCITOTE QVONIAM PROPE EST REGNVM DEI. XII. Regnũ Dei promissũ. Quid propinquius? Erit ante nos, vt de illo continuò cogitemus; eoq; & suspiremus & tendamus. Erit intra nos; quia semen eius, quod est gratia ipsius, nobis inhærebit, de quo ipse Christus: *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Luc:17.21 Erimus nos in illo, primùm quidem anima eo post obitum concedente; deinde & corpore in eandem fœlicitatis societatem ascito. Quid amplius vel desiderari potest à liberalissimo Rege Christo? Pignus certè iam horum, habemus gratiam ipsius, quæ nos nunquam destituet, nisi per summam ingratitudinem vltrò nos ea spoliandos permittamus malo dæmoni. Quàm enim fidum habeamus promissionum suarum assertorem, Christum, & futurorum quàm veracem Prophetam; audiamus ipsum.

AMEN DICO VOBIS, QVIA NON PRAETERIBIT GENERATIO HAEC, DONEC OMNIA FIANT. XIII. Christianæ religionis perpetua duratio prædicta. Quid per generationem intelligatur. Generationem puto, quicquid alij sentiant, hic intelligi Christianam propaginem, & legem gratiæ ad finem mundi mansuram. Si enim series Iudæorum, secundum carnem, generatio à Christo dicitur: cùm inquit; *Sic erit & generationi huic pessimæ:* Nota. Matt: 12. 45. cur non generatio secundum spiritum

Iesu

Iesu ita vocetur? præsertim cùm omnia quæ hic prædicuntur, non nisi ei soli conueniant. Nam generatio quæ vel tunc, vel centum post annis ab eo, quo hæc dicta sunt tempore, vixit, non est experta quæ hic prophetantur. Generatio verò Iudæorum, si non secundum carnem, (quod est incertum) certè secundum ritus suos superstitiosos (quod certissimum est) omnino transibit antequam ista fiant: quia *reliquiæ saluæ fient*, teste Propheta & Apostolo. Denique quod caput est, quia soli Christiani credunt Iesum Christum venturum ad iudicandum orbem. De solis igitur hæc intelliguntur, quibus & prædicuntur solis. Quare duo prædicit Christus, primùm generationem & religionem Christianam non cessaturam in finem; contra Iudæos & Gentiles, qui non solùm desituram sperabant, verùm etiam modis omnibus id effectum dare volebant. Secundum legi Christianæ aliam non successuram, contra hæreticos quosdam, qui sicut legem veterem Patri, nouam Filio, tribuebant; ita à Spiritu sancto tertiam expectabant. Ista ergo commenta præuisa, Christus Dominus vno verbo confutat: & nos vt in fide Catholica stabiliat, addit:

Isa: 10. 21. Rō: 9. 27.

Duo prædicit Christus.

XIIII. COELVM ET TERRA TRANSIBVNT, VERBA AVTEM MEA NON TRANSIBVNT.

Additur promissis iuramentum.

Magna est hic & consolationis plena certitudo. Nam quod ait Apostolus: *Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui,*

filij sui: interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impoßibile est mentiri Deum, fortißimum solatium habeamus; hîc inprimis locum habet. Additum autem hoc duplex quasi iuramentum arbitror, inprimis propter malos, ne putent hæc illius generis esse, de quibus præterita Concione multa disseruimus, quæ sub quadam conditione prædicuntur futura. Quoties enim iusiurandum Dei interponitur, non est ambigendum id quod asseritur absolutè dici; & certa fide credendum esse. Hæc nimirum est quam tenere debemus certa regula discernendi absolutè dicta à limitatis: quam euidentissimè expressam habes, illis verbis; *Volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum.* Sunt igitur aliqua consilia mobilia vt vidimus, alia immobilia, vt hoc. Per duas autem res immobiles intelligit & promissionem absolutè factam, & ipsum iuramentum. Deinde propter bonos hæc addita puto; tum eadem de causa, tum vt *fortißimum solatium habeamus.* Quod habuit ille qui dicit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Si enim ille in tabernaculum & materialem domum Domini ingressurus, (quamuis in sensu spirituali putem illum magis aliam domum aspexisse) tantopere fuit lætatus, quid de iis cogitare oportet, qui ex tot, tantis, tamq; diuturnis ærumnis & periculis erepti, aspicient *domum non manu factam, æternam in cœlis?* Quan-

Heb: 6.17.

NOTA. Regulam discernendi promissa diuina.

Ps: 121. 1.

2. Cor. 5. 1.

topere exultabunt? quomodo tripudiabunt, quàm ſolida exultabunt lætitia? Verè inebriabuntur ab vbertate domus Dei, hauſtis veris conſolationibus, nulla deſolatione permiſtis, nunquam ceſſaturis.

Concluſio per benedictiones capita præcipúa repetens. Cur ergo ad eas non feſtinamus dilectiſſimi? Quid inutiles moras nectimus? cur *abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella?* Exeramus manus noſtras obſecro ad opus bonum, tam fructuoſum; vt etiam Ieſus Chriſtus exerat manus ſuas, ad benedicendum nobis. Extende victricem tuam dexteram dulciſſime Ieſu, extende ſanctiſſimas & mirandorum effectrices manus tuas, ad benedicendum nobis & populo huic. Benedicat te ô popule, qui in nomine Chriſti hic es coactus, *benedicat te Deus Deus noſter, & benedicat te Deus*, vt timor ipſius ſanctus ſemper in te permanens, ſenſim amore Numinis, & reuerentia te imbuat. Benedicat te, qui in cruce manibus expanſis, tibi perfugium certum ab omnibus anguſtiis, tribulationibus, & tentationibus parauit, & te velut ſub alas collegit ſuas. Benedicat te, vt patienter feras caſtigationes ab eo immiſſas; qui pro te patientiſſimè ſuſtinuit tormenta crudeliſſima. Benedicat te, qui & mirabilia operatur in te, & Angelos cuſtodes aſſignauit tibi; vt eis monentibus attendas, & optima deſideria, quæ tibi inſpirant, auidè ſuſcepta impigrè exequaris. Benedicat & conſoletur te, qui Apoſtolos ſuos ſolari voluit, vt ſecurè

Prou: 19. 24.

Pſal: 66. 7.

gaudens, aduentum, eius malis formidolosum præstoleris. Benedicat te, qui modis variis te redemit, vt pignora redemptionis & signa gratiæ ipsius cumulata iugiter in te resplẽdeant. Benedicat deniq; te, qui promissis & iuramentis suis, securum te reddidit: vt iis, fide, opere, & veritate inhærendo, fortissimum solatium habeas in hac via vitæ, ne in ea deficias; & post eundem, quem hic per speculum & in ænigmate contemplatus es, & inchoata charitate dilexisti, Deum nostrum omnipotentem, clarissimè contemplandum, & incessanter amandum placidè euoles: cui laus, honor, & gloria, & gratiarum actio sit ab omni creatura, & à nobis omnibus & singulis, in secula seculorum. AMEN.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Euangelium Matthæi 11.

IN illo tempore: Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus ait illis: Euntes, renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi

audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam. Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

PARTITIO.

Tres sunt hodierni Euangelij partes. Prior continet legationem Ioannis Baptistæ ad Christum Dominum: Altera responsionem Iesu ad interrogata: imò etiam ad cogitata: Postrema habet encomium, quo Saluator D. Ioannem ornauit. His facilè secunda præeminet, tum ob facta, tum propter dicta Christi admiranda, quæ ferè singula vberem integris etiam concionibus materiam præberent. Nos igitur in prima concione, illud dictum Christi: PAVPERES EVANGELIZANTVR, ET BEATVS EST QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME, *considerabimus: In altera tum ex priore Euangelij puncto, tum ex initio alterius, fidem Catholicam confirmabimus. In tertia Euangelium spiritualiter explicatum, spei seruiet. Postrema concio, quæ residua erunt dubia literaria enodabit, & cùm ex Ioannis, tum verò ex Christi dictis factisq́ue, modum conditionesq́ue diligendi proximi nobis præscribet.*

CONCIO PRIMA.

Timor.

Pauperes euangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

SOlius naturæ ratione præditæ proprium est, posse rebus omnibus pro libito vti. Verùm sicut inter rationales naturas, ita in modo quo illæ rebus vtuntur, maxima est discrepantia. Increata etenim natura, quæ est Deus Opt. Max. non nisi optimè rebus vniuersis vtitur; creata etiam abuti illis potest. Cùm verò naturæ rationalis creatæ duo sint genera, angelicum videlicet & humanum; quamuis vtrumque olim & bene & malè vti rebus potuerit: tamen vt nunc sese res habent, soli naturæ humanæ id iam vt proprium est relictum. Spiritualis enim & Angelica creatura, quæ obedire Creatori suo liberè elegit, tam firmiter summo bono, per ipsius gratiam adhæsit; vt non nisi quod Deus vult, ipsa velit. Ideo non nisi bene rebus omnibus vti potest. Et idem de animabus beatis est iudicium. Contrà verò apostatici spiritus, & animæ cum eis damnatæ, posteaquam liberrima quidem, sed peruersa voluntate, à Deo suo recesserunt; in tantum obstinationis & malitiæ barathrum sese præcipitarunt; vt optimis etiam rebus non aliter quàm pessimè vti que-

Sola natura rationalis liberè rebus vtitur

Deus quidem semper benè.

Et Beati, sed aliter.

Damnati omnibus malè.

Homo benè & malè. ant. Sola natura humana, quamdiu in hoc mundo peregrinatur, velut in biuio relicta, vti & abuti, in bonum & malum res omnes trahere poteſt. Hoc nos docet ſententia initio à nobis prolata. Quid melius aut excellentius Chriſto Domino excogitari poteſt? Nihil ſanè: Si enim increatam eius naturam ſpectes, Verbum eſt Patris, æqualis Genitori, Deus de Deo, coæternus & vnus cum Patre Deus. Quod ſi aſſumptam ipſius naturam conſideres; hæc omnia creata infinito poſt ſe relinquit interuallo. Nihilominus re ſummè bona, non tantùm bene vſi ſunt quidam, de quibus ipſe inquit: PAVPERES EVANGELIZANTVR: ſed & abuſi ſunt alij: quos perſtringit dicens: BEATVS EST QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME. In tené, optime IESV, vnquam aliquis eſt ſcandalizatus? Plurimi certè & olim & nunc ſcandalizantur, & quod deplorandum maximè, etiam ij qui honoraria ab ipſius nomine appellatione ducta gloriantur. Quos vt ab enormi hac offenſione reuocemus, in hodierna concione conſiderabimus, primùm quidem, vnde hæc varietas in vſu rerum & ſcandala ortum habeant: deinde quid & quotuplex ſit ſcandalum, ac de quo hic præcipuè agatur: tum quàm grande ſit iſtud malum, & quàm varij variè ex Chriſto ſcandalizentur. Poſtremò quæ pœnæ, & quæ contra illud remedia. Chriſtum oro lapidem viuum, vt hæc mea dicta ſer-

Patet id themate.

Propoſitio quadrimebris.

cta seruiant ad ædificationem corporis ipsius quod est Ecclesia.

Consueuerunt non solùm Hæretici arguere, sed etiam Catholici simpliciores ægriùs id audire, quòd à Theologis dicitur, esse aliqua quæ Deus facere non potest. Ac proinde verendum est mihi, ne quis etiam vestrum offensus fuerit ex eo, quod dixi, Deum malè vti rebus non posse, hominem verò posse; quasi maioris potentię sit creatura quàm Creator, homo quàm Deus. Cæterùm quod ad Hæreticos attinet, cùm certum sit, illos non tam veritatis agnoscendæ causa, quàm calumniandi Doctores præsertim scholasticos libidine in hac re cauillari; non est quod eos tanti faciamus; Præsertim cùm ipsi per summam temeritatem longè audaciùs potentiæ diuinæ limites arctent, & multa eo solùm nomine Deum facere non posse garriant, quia captum eorum excedunt; quæ alioqui fieri posse à Deo, scriptura & rationis lumine cōuincitur. Caluiniani negant posse per diuinam potentiam vnum idemq; corpus esse in pluribus locis: propterea negant corpus Christi in Sacramento altaris contineri Gentilistæ, Seruetiani, & his similes pestes, non credunt posse vnam naturam in tribus personis subsistere; idcirco blasphemant Sacrosanctißimum Trinitatis mysterium. Quæ omnia in Ecclesia Catholica ab omnibus corde creduntur ad iustitiam, oris autem confessione palam prędicantur ad

I. Vnde rerũ vsus & abusus.

Ro:10. 10.

tur ad ſalutem; neque ſolùm creduntur, verumetiam defenduntur efficaciſſimè contra impiorum ſophiſmata, ita vt obmuteſcat os aduerſariorum impudens. Catholici verò nõ eſt quod hac, de qua ago, aſſertione offendantur. Sciant enim non è Theologorum ſcholis, vt Hæretici blaterant; ſed ab Apoſtolo Paulo profectam eſſe. Is enim loquens de Deo ſic ait; *Fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.* Et alibi: *Impoßibile eſt*, inquit, *mentiri Deum.* Quàm diſertis verbis vas electionis teſtatur Deum ſeipſum negare non poſſe, impoſſibile illi eſſe vt mentiatur? quod tamen ita homini eſt poſſibile, vt Dauid exclamet: *Omnis homo mendax.* Neque verò id impotentiam ſed potius infinitam in Deo eſſe potentiam arguit. Sicut enim regulam rectam non poſſe eſſe incuruam, & lucem non poſſe pati tenebras, eſt maxima regulæ & lucis perfectio: ita Deum non mentiri, ſeipſum negare non poſſe, ſemper non niſi rectè vti rebus, è ſumma potentia & perfectione ipſius infinita ortum habet. Non rectè enim vti rebus ſiue creatis ſiue increatis, ex impotentia & debilitate procedit. Propterea non poteſt Deus abuti rebus, quia ſapientia & omnipotentia ſua, omnia in optimum dirigit finem, quod & Angeli boni faciunt: differenter tamen. Nam Deo ex natura ſua, Angelis ex gratia ipſius, id competit. Contrà ſathan & animæ damnatę, nulla re bene vti norunt, idq; non ex natura ſua,

Deus teſte Paulo quędam facere non poteſt.

2. Tim: 2. 13.

Heb: 6. 18.

Pſal: 115. 11.

Id verò nõ eſt impotẽtiæ, ſed omnipotentiæ.

ſua, quæ bona à Deo creata eſt, ſed ex peruerſiſſima & obſtinatiſſimè detorta in malum voluntate, per quam fit, vt Dei creatoris ſui odio exæſtuantes, omnia peſſum euertere, & ſine malo deterrima reddere ſtudent. Homo in biuio conſtitutus, inprimis poteſt bene rebus omnibus vti; cùm ex natura libertateque arbitrii ſui, quam ei bonam Deus in ipſa creatione indidit: tum verò è gratia & adiutorio diuino, quod nunquam illi deeſt. Poteſt etiam rebus abuti & peruerſè agere, quia in libera electione ſua etiam in hanc partem propendere poteſt: quia dum peregrinatur, volubilis eſt; quia debilis & impotēs, quia conditus è nihilo. Quare ſi quid boni homo operatur, id arguit eum eſſe potentem; ſi quid verò mali patrat, hoc ex impotētia mera procedit; quæ quidem impotentia, quoniam in Deo locum non habet, ideo nec malus vſus rerum habere poterit. Quatuor cauſæ à priori cur homo poteſt peccare.

Res exemplo clarior fiat, vt omnes intelligant. Sint tres qui eandem tractent artem; fabrilem verbi gratia, quorum prior cùm vix eam leuiter attigerit, quidquid in ea operatur, peſſimè facit: alter verò ſit artis peritior, qui ſi adhibuerit diligentiam, opus egregium efficiet; quòd ſi negligenter egerit rem, negligentiam ipſa operis ineptitudo monſtrabit: ſit poſtremò quiſpiam ita artem eam callens, vt non niſi opus eximium ſemper efficiat. Quis oro horum trium artis illius peritior, & in ea Exemplū ſeu ſimile. NOTA.

excellentior vobis esse videtur? nonne postremus? Ita sanè; Neq; tamen vllus vestrum impotentiæ id adscribet, quod malum opus è sua officina procudere nequeat, sed potiùs peritiam ipsius suspiciet, qui talem habitum in ea contraxit arte; vt ineptum quid non valeat perficere. Quod artifici habitus; id in Deo summo rerum omnium gubernatore & opifice, immensa naturæ & infinita perfectio præstat; vt omnia operetur perfectè, nec quidquam ineptum inordinatumúe facere possit. Ergo hoc nomine vt summè potens, summè sapiens adorandus est. Dæmon verò non quidem ex imperitia, vt ille ineptus faber; sed ex pura obstinata malitia sua, nil vnquam rectè agit. At homo potest rebus omnibus à Deo creatis, imò ipso etiam Creatore, & bene vti, & abuti. Si enim diligentiam adhibuerit, & gratiæ diuinæ coöperatus fuerit; erit ex numero illorum de quibus hic dicitur: PAVPERES EVANGELIZANTVR: id est, Euangelium recipiunt, non solùm credendo quod dicitur, sed etiam faciendo quod præcipitur: Sin verò salutis suæ curam missam fecerit, & bonis vti malè voluerit; non BEATVS, sed maledictus erit, si FVERIT SCANDALIZATVS IN Saluatore. Id enim à contrario sensu euidenter colligitur. Si enim beatus est qui non scandalizatur, maledictus vtique erit qui scandalizatur: cùm in conspectu Dei non sit medium quid, inter sanctum & maledictum. Si enim

gratiam

gratiam ipſius habes, ſanctus es: ſi in inimicitia eius viuis, maledictus; & hoc facit ſcandalum, præſertim tale, quale hic deſcribitur. Hoc enim ſcandalũ oritur ex fœdiſſimo omnium peccatorum fonte, quod eſt ſuperbia: pergit autem & terminatur in immani vitio quod eſt contemptus Dei. Cur enim Iudæi illi, quibus hæc loquitur Chriſtus, non ſolùm non recipiebant, ſed etiam blaſphemabant Euangelium? Aliam cauſam non reperies, quàm quia PAVPERES, id eſt humiles eſſe nolebant. Qui enim pauperes ſe eſſe fatebantur, Euangelium receperunt, teſte Chriſto. Cur autem ſunt ſcandalizati in vero Meſſia hæc illis exprobrante? Quia contemptui habebant Chriſtum verum Deum.

Origo & terminus ſcandali.

II. Quid ſit ſcandalum

Quæ vt melius intelligantur; præmittam quid & quotuplex ſit ſcandalum. Huius vocis Græcæ notionem ſi Latinè reddas; ſignificabit offendiculum, ruinam, ſiue impactionem pedis. Sicut enim qui ambulando in lapidem ſeu petram impingunt, cadere, vel cõcuti & lædi eos neceſſe eſt: ita qui in via ſpirituali currendo, aliorum factis dictisúe offenduntur, ſcandalizari dicuntur: qui verò ſuis malis exemplis alios ad ruinam impellunt, ij ſcandalizant proximum. Vnde colligimus primò quid ſit ſcandalum: Eſt enim occaſio ruinæ ſpiritualis, ſiue propriæ ſiue alienæ. Deinde ſcandalum duplex eſſe, aliud datum, aliud acceptum: diſcimus præterea de quo nam

Quotuplex

ſcanda-

ſcandalo ſit hic ſermo, cùm inquit Chriſtus Dominus: BEATVS QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME. Euidens eſt enim, cùm paſſiuè loquatur, de paſſiuo (vt vulgò in ſcholis loquimur) illum agere. Poſtremò inde colligimus, qua de cauſa Chriſtus Dominus, in ſcriptura tam noui quàm veteris teſtamenti, frequenter lapis vel petra ſcandali dicitur. Ita enim Dauid: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.* (Iudæos notat, quos & hic ſcandalizatos eſſe, & reprobaſſe imò crucifixiſſe Chriſtum lapidem viuum noſti) *hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Mirabile ſanè inter alia infinita; quomodo res tam excellens & optima, in ſcandalum, ruinam, & interitum eſſe potuerit multorum. Hoc enim prædixit Iſaias dicens: *Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael: in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur.* Hoc ipſum ingeminat & princeps Apoſtolorum Petrus, & ſocius ipſius paſſionis Paulus, vt vix aliquis ſcripturæ veteris teſtamenti locus tam frequenter citetur à Chriſto & Apoſtolis, vt iam notatus, non abſq; maximo equidem myſterio. De quo alias, nunc cœpta proſequamur.

De paſsiuo ſcandalo agendum

Pſ: 117. 22

Iſa: 8. 14.

1. Pet: 2. 8.
Ro: 9. 33.
Matt: 21. 41.
Act: 4. 17.

III. MEMBRVM.
Quàm graue peccatũ ſit ſcãdalũ.

Hinc facilè animaduertere poſſumus, quàm graue peccatum ſit ſcandali, & quàm hæc ſit ſpatioſa, quàm latè patens via, qua totus in

tus in interitum ruit mundus,vt meritò ingemiſcens ipſe Dominus IESVS clamet; *Væ mundo a ſcandalis. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: quod de vtroque tam dato quàm acce- Mat:18.7. pto rectè intelligitur, vtrumq; enim eſt grauiſſimum. Et quamuis datum ſcandalum in eo acceptum ſuperet, quòd tam illum qui ſcãdalizat, & malum exemplum obiicit alteri, quàm eum qui exemplo illo ad lethaliter peccandum inducitur, perimat; acceptum verò ſcandalum impingentem tantùm lædat: tamen ratione magnitudinis peccati, ſæpe datum ab accepto ſuperatur. De vtroque diffuſiùs agere non grauarer: ſed me ratio propoſiti thematis ad illud potiùs explicandum vocat, quod paſſiuum ſiue acceptum dicitur.

Tres grad. ſcãdali accepti.

Scandali igitur accepti tres gradus dari poſſe videntur. Primus eſt, cùm quis peccatis proximi ſui leuioribus (ſi enim grauia ſunt, iſtud datum ſcandalum graue crimen erit) ita offenditur, vt eius exemplo mortiferum non vereatur committere peccatum: Magnũ malum; ſed deterior alter eſt, qui ſequitur gradus, quando ex actibus qui indifferentes dicuntur, & qui bene & malè fieri poſſunt, ad peccandum quis inducitur, vel potiùs ipſe ſeipſum impellit. Poſtremus verò omnium peſſimus eſt, cùm quis optima etiam facta dictaq; alterius, deteriorem in partem interpretando, vt è lethifero veneno interitum ſibi accerſit. Tales fuerunt Phariſæi, de quibus Apoſtoli ad

1. Scandalizari ex paruo peccato

2. Ex re indifferenti.

3. Ex rectè factis quod peſſimum.

Chri-

Mat. 15. 12 Christum: *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? At ille respondens ait: Sinite eos, cœci sunt & duces cœcorum.* Verè cœci & impij, qui ex optimis & saluberrimis dictis, è quibus ad certam salutem institui debuerant, quædam veluti toxica in animum suum deriuàrunt. Quales etiam fuisse aliquos ex iis, qui hæc verba Christi; BEATVS EST QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME, audiuerunt, vero simile est. Num verò tales fuerint illi Ioannis discipuli, propter quos hæc verba dixit in præsenti Euangelio Christus Dominus, non ausim affirmare. Quamuis enim his verbis, tacitè illos perstringat Dominus, quod non rectè è suo communi viuendi modo in dubium apud se vocarint, an ipse esset Messias, inde scandalizari cœperint; cùm alia clarissima documenta non deessent, quibus certò edocerētur, ipsum verum esse Christum: nihilominus quia non constat, & quo animo id illi fecerint, & an ex dictis factisq; Christi conuersi non fuerint; non eos condemnabimus: sed potiùs nobis attendemus, & nosmetipsos examinabimus.

Vbi id reperiatur. Quid enim charissimi, putatisnè inter eos, qui à Christi religiosissimo nomine Christiani, siue verè, siue falsò dicūtur, deesse, qui nō solùm ad primū (quamuis hoc modo nemo è Christo scandalizari potuerit, cùm ipse ab omni penitus peccato immunis fuerit) verùm etiam ad alterum & tertium impiissimum scandali

ſcandali gradum deuoluti ſint? Erratis ſi inueniri non putatis. Nil hiſce lapſibus frequẽtius. Quorum, ni ego fallor, caput & origo illa eſt; quòd nonnulli fingunt ſibi Chriſtum non qualis eſt ipſe in eſſe, ſed qualem illi fieri vellent: alij, & ſi norunt quidem quis & qualis ſit Chriſtus; nihilominus vel commodi honoriſq́; proprij cauſa, vel vt qualicunq; colore & prætextu impiè ſua peccata excuſent & obducant, alium quàm ſciunt ſibi imaginantur. Alij deniq; ludibrio quoq; & oſtentui, ſi non verbis certè factis Ieſum habent. Et hac impietate non poteſt impietas magis ſe intendere; quæ ex eo quod eſt optimum, tam noxium ſibi venenum conficit. Vnde meritò homo peſſimus, & optimus, familiari ſermone ita adumbrari ſolent: vt hic dicatur eſſe velut apicula, quæ ex quolibet flore mel colligit: ille verò vt aranea, quæ ex iiſdem floſculis venenum haurit. At in noſtro propoſito longè quid eſt atrocius. Nam niſi quis in flore lateret humor, qui poſſet à venenata beſtiola conuerti in venenum; nunquam inde venenum promeret. Sed quid eſt quæſo veneni in Medico medicinaq; perfectiſſima? quid mali in ſumma bonitate? quid peccati in Agno innocentiſſimo, qui capitales aduerſarios illa quæſtione laceſſit; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nihilominus tanta eſt hominum peruerſitas, vt id quod eſt optimum, in maximam ſuam perniciem ab eis trahatur.

Origo ſcādali huius triplex.

NOTA.

Atrocitas eius.

Ioā: 8.46.

O miſera-

O miſerabilem, ſummo dolore proſequendam,& quidē Chriſtiani populi calamitatem!

Obnoxij ſunt huic vitio. 1. Iudæi. Non eſſet adeò lugendum, ſi Iudæis hæc euenirent,quibus eſt Chriſtus ex oraculis Prophetarum *ſcandalum*: ſi Gentilibus, quibus
1.Cor:1.23 *Crux* eius videtur *ſtultitia*: illud magis dolore
2.Gentiles. dignum quòd inprimis omnes hæretici &
3.Hæretici. 4.Schiſmatici. Schiſmatici, auulſi ſponte ab Eccleſia, in qua ſola vera eſt Dei Chriſtiq; notitia,pro captu capiteq; ſuo quiſquis fingens Deum, & Meſſiam Chriſtum,in optimo Chriſto offenduntur: Anabaptiſta & Gentiliſta Trinitatis ſacrę myſterium vt prophanum ridet: Chriſtumq; non niſi purum hominem fingit. Schiſmaticus Gręcus & Ruſſus fingitSpiritum ſanctum Deum non procedentem à Filio: negat in terra Vicarium à Chriſto relictum. Caluinianus fingit ſibi Deum liberum arbitrium hominibus auferentem: & Chriſtum ita loci anguſtiis arctat; vt præſens eſſe ſimul in cœlo & in Euchariſtia nequeat. Deniq; Lutheranus, fingit Deum ſponſam fidelem in terris non habentem, Chriſtum verò ſecundum humanitatem vbiq; præſentem. Quæ omnia & mera ſunt figmenta, & grauia ſcandala accepta. Sicut enim, & hi diſcipuli Ioannis, & cæteri ex Iudæis,propterea in Ieſu ſcandalizati ſunt, quia aliter illum animo conceperant quàm in re vera fuit: ita omnino iſti cùm idē & multò faciant obſtinatiùs, grauiori etiam ſcandalo, & væ terribiliori obſtricti tenentur.

Sed ex-

Sed excuſant ſe, quòd talem eſſe credant Deum, & Chriſtum, vt è ſcriptura diſcunt. Hoc equidem inane perfugium, millies iam alias confutatum, praxi ſua vſitata confutant hæretici. Quot enim ſunt ex eis, qui vi veritatis adacti, aliter ſeſe rem habere priuatim fatentur: attamen ne vel loco honorario inter hæreticos priuentur, vel offenſam ſibi magnatum concilient, vel inconſtantiæ alicuius notam incurrant, pergunt in hæreſi vt cœperunt, & publicè ſe gerunt pro veritatis hoſtibus, quam tamen animo & cogitatione vident clariſſimè & colunt. Rem affirmo quam probè ſum expertus ipſe, & à multis idoneis teſtibus didici, inter homines graſſari hanc hypocriſim deplorandam, & ſcandalum ingens malumq; duplicatum, dum alius Chriſtus foris fingitur & fingitur reluctante inuitaq; conſcientia. In hos igitur diuina maledictio primùm deſæuiet. Sed neq; quiuis alij hæretici ab ea liberi erunt, qui dubio procul, Iudæos quos hîc arguit Chriſtus, ipſi quoque damnant: quod ſi ita eſt: neceſſariò hinc ſequitur, vt & ſeipſos in eandem claſſem maledictorum coniiciant, quandoquidem nihilo ſecius agunt, ſed eandem texunt excuſationem quam Iudæi. Hi enim Meſſiam quidem venturum credebant: cæterùm talem qualem ſtolida & vana ſua cogitatione conceperant. Hæretici quoque credunt Chriſtum, ſed non talem qualis verè innotuit mundo, & ſponſæ

Obiectio diluitur.

ſuæ Eccleſiæ. Iactant quidem ſcripturas, verùm eas à ſana intelligentia, ad eam, quæ à ſpiritu perfidiæ ſuggeritur, detorſerunt: vt cum hoc impio additamento, penitus eſſe ſcripturæ à Deo dictatæ deſierint. Sed hæc obiter.

Catholicorum ſcandalum incurrentiũ claſſes.

Ad Catholicos veniamus,& ex ſingulis generibus offenſionum, aliquid attingamus. Dum autem Catholici arguuntur, non putēt hæretici non eſſe in ſe quod caſtigetur: qui præter ſua ſcandala peculiaria, etiam his frequentiùs quàm Catholici inuoluuntur. Imò Catholicis ad eadem ſunt inuitamento. Scandalizantur igitur in Chriſto inprimis illi, qui excuſationes quęrunt in peccatis hac vel ſimili oratione: Non eſſe vtiq; credibile adeò ſeuerum vindicem minimarum noxarum eſſe Deum: quòd quis verbi gratia iniuria affectus, prę nimio dolore inimico iraſcatur: quòd alter mutui nomine quidpiam acceptet; quòd vſitatos vulgo contractus faciat, vel facultates ſuas paulò profuſiùs in luxum & ornatum ſuum liberorumué conuertat; nũmum interea egenis non porrigat; quòd animi cauſa lapſus alienos etiam latentes recenſeat; quòd lepidè quid de aliis confingat: quòd liberiùs, etiam caſtis auribus indigna, quouis præſente proloquatur: quòd imaginibus fœdis animum ſuum titillari ſentiat: quòd ſuſurris, amplexibus, & eiuſcemodi illecebris fomitem, cupiditati ſubminiſtret: quòd in gratiam amicorum frequenter

1. Aliũ Deum ſibi fingentium.

quenter lautas epulas instituat; & inuitatos ad bibendum hilariùs hortetur; & ne inurbanus appareat, ipse vino priùs se largè proluat. Hæc inquiunt in communi vita vsitata sunt, nec est possibile, vt hisce Deus tantopere offendatur, quæ citra inurbanitatis notam non possunt relinqui. At in istis quàm grauia insint vtriusq; generis scãdala data & accepta, quantopere eiusmodi offensionibus, in Christum ipsum incurrant inconsiderati mortales, quis explicabit? quia non talem eum, qualis in se est, sed qualẽ ipsi esse vellent imaginãtur: peccatis conuenientem, nec quicquam pensi de iis habentem, nec suæ infinitæ iustitiæ, quam in sacris scripturis toties testatam esse voluit, satis memorem. Sunt alij qui grauius impingunt in Christum, dum loca & exempla in scripturis quærunt, vt ex eis impiè peruerseq; productis, cachinnos cieant, & suprà recensita, vel his similia vitia tueantur. Atque ea ratione, & se & alios, vel ad peccatum inducũt, vel in peccatis confirmant. Quãtum & quàm horrendum nefas? Triplex omnino: Deum qualis nõ est sibi fingere: sacris scripturis abuti: & salubri antidoto alios mactare: quod fit dum per scurrilem petulantiam, res sacræ ad prophanos & impios sensus detorquẽtur: quod tamen (prô dolor) facetiis & lepori cuidam adscribitur, idq; à Christianis. 2. Scriptura ad id abutentiũ.

Scandalizantur præterea in Christo Deo etiam illi grauissimè, qui dum in profundum 3. Eorum qui culpã suã in Deũ coniiciũt.

peccatorum venerint, & inueteratum in iis habitum contraxerint, ad alias se excusationes conuertunt, culpasq; suas in autorem suum Deum Optimum coniiciunt. Hinc illæ voces; Ego ita fictus sum à Deo: ego à natura ad hoc vitium planè impellor & cogor, vt aliter facere non possim. Quid? Esné diabolus? Is enim solus, & qui in eius venerunt ditionem, bene operari non possunt, vt attigimus in principio. Iamné damnatus es, & dæmonum consortio addictus? Non sum, inquis, viuo enim adhuc in corpore. Cur ergo tua libertate non vteris? cur violētas mali suasoris impressiones, cur titillantem carnem non retundis? cur occasiones malorum non præscindis? Itané militatur Deo in cuius castra concessisti ab infantia? itané regnum cœlorum oscitanter quæritur? itané dæmoni quòd bene facere non possis mentienti, potius quàm Deo te ad pœnitentiam & bene operandum inuitanti & iuuanti, fidem & auditum adhibes tuum? Non possum, inquis, obniti contra impetum corruptæ naturæ. Potuerunt alij tui simillimi, necdum hominem exuerant, æstuabant iisdem illicitis motibus; feruore carnis vrgebantur; erant opes, forma, familiares, conuictus hominum, exempla praua, & cæteræ peccatorum illecebræ. Superarūt omnia modico adhibito conatu: cætera de diuino præsidio confisi. Magnam, inquis, in me ad bene operandum video impotentiam: Bene-di-

Refutantur rationibus obiectiones.

1.

2.

3.

4.

ne dicis: Ab impotentia enim id prouenit. At habes & potentiam, & vires ad benè operandum, habes de cœlo præsidium, modò tibi non desis, & in causa qua de capite tuo agitur, tam diligens velis esse; quàm in foro, litibus, lucris temporariis attentus & sagax esse consuesti. Habes enim liberi arbitrij facultatem à Deo creatore tibi datam; quam si eo iuuante exerces in bono, præclare tecum agitur: dum verò impotentia quæ ex te est, & quam diuturna consuetudine multùm corroborasti & auxisti, vteris ad malum; nulla excusatione dignus es: eò quòd illo potiùs, quod humanum in te fuit, quàm quod diuinũ, vti volueris: cùm vtrũq; in tua situ fuerit potestate.

Accipiant oro qui necdum ista penetrant exempla obuia ex omni vitæ statu, & *resipiscant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur*, prout eos Apostolus admonet. Quis enim militem viribus & armis potentem, si prælio feruente arma non expediens, lethale vulnus accipit, culpa vacare dixerit? Quis aut mercatorem, aut artificem valentem per omnia & industrium, & totos dies qui negotiando agendoq; apti sunt, helluantem, (ô quàm id est frequens inter nostrates) æquo animo ferat, si de suo infortunio conqueratur? Quis agricolam omnibus necessariis ad proscindendam terram instructum, dum tempus arandi instat, aliud agentem aut stertentem, non grauiter accusandum & plectendum ducat, quòd vber solum in-

Et similib⁹. NOTA. 2. *Tim:* 2. 26. 1. Militum. 2. Mercatorũ & opificum. 3. Agricolarum.

lum incultum & syluescens reliquerit, & se redegerit ad inopiam? *Lapide luteo & stercore boum lapidatus est piger,* ait Sapiens. *Et omnes loquentur super aspernatione eius, & qui tetigerit eum excutiet manum.* Quantò magis Deus & Angeli eius, imò & homines omnes prudentes, aspernabuntur & accusabunt illum, qui valens, sed desidia sola renuens bene operari, eligit potiùs otiari, vel quod peius est malum agere, & nihilominus perditionem suam in auctorem naturæ Deum conferre non dubitat? O scelus! Nemo obsecro vos per misericordiam Dei, imitatione eiusdem desidiæ & impietatis, veluti contactu quodam fœdet se; & si quis tetigerit, excutiat citò manum, id est conscientiam suam, ne sordidis eiusmodi exemplis inquinetur.

Deniq; scriptura. *Eccl: 22. 1.*

4. Classis omnium qui peccãt lethaliter. *Heb: 6. 6.* Superbi.

Denique nullus mihi videtur esse lethaliter peccans, qui re & facto ipso non scandalizetur in Christo: quiq; Christum ludibrio & ostentui non habeat: quod etiam D. Paulus testatur. Quid enim quæso facit ambitiosus, arrogans, iracundus, aut qui de ipsis etiam peccatis gloriatur, aut qui famã sibi aliena infamia cõciliat, aut qui falsos honores veris iniuriis quærit & venatur, aut qui vt rabidus canis omnes insectatur, iniuriamq; acceptam millies cupit rependere, illatam nunquam cogitat deprecari? Quid inquam tales faciunt? an non scandalizantur de Christo, qui talia facto & verbo seuerè prohibuit? an non ostentui lu-

rui ludibrioq; habent IESVM, qui *sustinuit cru-* Heb: 12.2.
cem confusione contempta: & cùm pateretur non 1.Pet:2.23
comminabatur? adeoq; arctè, in ipso acerbissimi
cruciatus feruore, hostes suos capitales complexus
est; vt pro eis sollennem ad Patrem deprecationem
interposuerit? Quid auarus, qui Auari.
opes iniuriis & miserorum oppressionibus
vndique venatur: qui iustitiam & iudicium
muneribus euertit: qui inexplebili habendi
cupiditate æstuans, pauperum & pupillorum
inhiat patrimoniis? Quid sacrilegus, bonorū
Ecclesiasticorum prædo, qui reditus Deo dicatos
auertit? quid aliud agit, quàm ostentui
habet Christum; qui Dominus vniuersorum
cùm esset, adeò tamen inopem in terra Matt:8.20
vitam egit, vt neque haberet, vbi caput reclinaret?
Quid luxuriosus, impuritati omni frœna Luxuriosi.
laxans, stupris, incæstibus, ad insaniam deditus,
quæ pudet pigetque recensere, nonné
subsannat IESVM, qui seruis suis legem frugalitatis
& seuerissimæ continentiæ indixit? &
ipse (quanquam ab omni specie peccati immunis,
nulla illecebra tangi posset) inedia, siti,
fatigatione, flagellis, spinis, alapis, denique
acerbissimo crucis tormento, corpus suum affligendum
& lacerandum permisit?

IV. Pœnæ illorum.

Audistis indignas homine Christiano offensiones
eorum, qui proteruè in Christum &
eius intemeratam legem impingunt. Audite
pœnas, quibus meritò impietas hæc plectitur,
quantoq; malo suo id committant. Certè hoc

ipſum, haud inter poſtremas pœnas meritò
1. Irriſio æterna. cenſeri debet, ſcandalizari in Ieſu, ludibrio
habere ſcurrarum more Saluatorem, & propriam
ſalutem: nonnunquam verbis blaſphemis,
ſemper autem factis impiis ſubſannare,
illum à quo viciſſim irridendus eris. Scriptum
Pſal: 2.4. eſt enim: *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus*
Auguſtinus in hūc locum Pſalmi. *ſubſannabit eos.* Quod interpretans D. Auguſtinus
ait: riſum ore, ſubſannationem naſo
fieri: hæc tamen omnia ſpiritualiter intelligenda
eſſe, futuraq́; longè grauiſſima & æterna
2. Excuſatio in peccatis. aſſerit & monet. Sed & illæ quæſitæ excuſationes
in peccatis, nūquid non cœcitas maxima?
nunquid non pœna peccati eſt? Teſtes
ſunt primi parentes, qui eas ante peccatum
ignorarunt; teſtis Dauid, qui hoc malum per
antonomaſiam, ipſam malitiam vocat, ideoq́;
Pſ: 140.4. orat: *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas
excuſationes in peccatis.* At nobis infelicibus
excuſatione in peccatis nihil eſt familiarius.
3. Contemptus piorū. Quid dicam de eo, quòd tales viros pios,
atq; adeò ipſos ſanctos contemnunt. Nec
mirum, quomodo enim ſeruis Chriſti, quomodo
ſanctis parcent, qui Sancto Sanctorum
Deo ipſi non pepercerunt? Inde enim fit, vt
ſi quidpiam præclarum, & quod communem
vſitatumq́; viuendi modum excedat, in vitis
Sanctorum legerint; nequaquam ei fidem habeant:
ſi quem verò næuum, aut lapſum: ſi
quid minùs cautè factum annotauerint; de
hoc tripudiant, id pro ſe inſulſè allegant.

Neq;

Neq; minus excellit illa impietas, & pœnæ ſingularis loco habenda eſt, quod in pios, quibuſcum verſantur ſuaſores, quos patrum loco ducere deberent, à quorum conſilio toti pendere, ita ſunt obliqui; vt ab eis neſcio quam ſanctitatem abſolutam, & perfectionem doctrinæ requirant. Proinde minimis verbis, vel imperfectionibus eorum ſcandalizantur grauiter, dicta pro Concione cenſoria ſeueritate notant, & diſcutiunt, non veri indagandi, ſed carpendi tantùm libidine: Confeſſariis minimè obediunt; cumq; ſint rudes ipſi, & flagitiis multiplicibus impliciti, Doctorũ etiam reiiciunt de conſcientia è tot nodis explicanda conſilium, ne remorſus grauiores ſentire, ne malè occupata reſtituêre, ne cum omnibus optima fide agere, cum inimicis in gratiam redire, conſortio ſuſpecto abſtinere cogantur. Quanta peccati pœna, ea reſpuere quibus à ſeruitute Sathanę expedirentur! media renuere ad ſalutem vnicè neceſſaria!

4. Repudiatio remediorum.

Phrenetico id planè ſimile: qui medicinam corpori adhibitam obnixè recuſat & abiicit, medicumq; ſi poteſt lancinat dentibus: hoc ipſum iſti patribus ſuis ſpiritualibus faciunt. Deſperandum planè hominum genus, nî mẽtem moreſq; mutent: & eò Phreneticis etiam ipſis infelicius, quòd hi ligari poſſunt, ne furant; illi autem nec ſpontè patiuntur alligaturam vulneris; neq; ad eam cogi poſſunt. Libertas enim hominis nullis omnino vinculis aſtringitur vnquam.

Phreneſis ſpiritualis.

5. Pœnæ per Psalmistā inculcatę. Verùm enimuero pœnę istæ quamuis crudeles sunt nimis & acerbæ; quia tamen animum attingunt solum, propterea neq; capiuntur ab hominibus, nec, vt par esset, ponderantur. Afferamus igitur quæ sensus tangant, quæ multæ quidem in diuinis literis extant expressæ: ne tamen solito magis excrescat concio, vno tantùm loco Christum Dominū eas comminantem audi, qui talis es: *Sedens*, inquit, id est sciens, & volens; Christianus videlicet non ignarus legis meæ: *aduersus fratrem tuum*, contra me ipsum; qui assumendo naturam & carnem tuam, fratrem tuum me professus sum; *loquebaris*, vel renuens, vel inuertens & corrigens doctrinam & præcepta mea. *Et aduersus filium matris tuæ*, (idem repetit energiæ causa.) *Ponebas scandalum*; variè dedisti enim ruinę occasionem fratribus meis imbecillibus: eandem accepisti vicissim, non solùm è seruis meis, sed etiam ex me ipso, in quo nullū vestigium scandali apparebat: tua tamē malitia modos inuenit, quibus es SCANDALIZATVS IN ME. *Hæc igitur fecisti & tacui.* Taces optime Saluator, *quia sustines in multa patientia vasa iræ apta in interitum*: tacuisti & taces, quia *non vis mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat*. Verùm quia secus contingit; Iniquus enim tua patientia abusus, & tempus quod dabatur ad conuersionē & pœnitentiam, in malam securitatem trahens; peccata peccatis, scelera sceleribus addidit;

Margin notes: *Psal. 49.20.* NOTA. Examen & iudicium Dei. *Ioā. 20.17.* *Ro. 9. 22.* *Eze. 33. 11*

didit; quid ergo talis ex te audiet? Hoc nempe quod ſequitur apud Dauidem: *Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis?* vel ignorando peccata tua, vt tu aliorũ ignoraſti; vel ea probando, & nunquã puniẽdo, vt tu me ea nõ puniturũ existimaſti? ſed falſus es, quia *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*: conuincam ſcilicet adeò efficaciter, vt qui nunc nõ vis cognoſcere te, tum temporis non ſolũ agnoſcas, ſed etiam ipſe te condemnes. Conſcientia & ſyndæreſis, quam remordentem audire noluiſti, accuſabit te: facta impia prodent te, os deniq; tuum futile, os mendax, condemnabit te. *Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Subditur apud Dauidem: *Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum,* comminantem & eundem inſuper obliuioſum facitis: *Obliuiſcimini Deum,* qui ita viuitis, ac ſi Deus vltor potens in rerum natura non eſſet. Obliuiſcimini minarum, quia non conſideratis *quòd reddet vnicuiq; ſecundum opera eius.* Obliuioſum denique facitis Deum, nec operum veſtrorum, nec iniuriarum ſuarum ſatis memorem. Quid igitur ſequitur? Reſpondet in illo ſuo carmine Dauid; *Ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Dicit quidam: Cùm diabolus rapit, Deus eſt qui eripit: cùm autem Deus rapit, non eſt qui eripiat. Quis enim eripiet quenquam de manu omnipotentis? Nemo vel poterit, vel volet. Non Angeli boni, quia iſti per omnia diuinę conformes voluntati, idem volunt noluntq;

Pſ: 49 21.

Mat: 12. 37

Rom: 2. 6.

luntq; quod Deus. Non maligni, quia his nihil est optatius, quàm vt socios habeant pœnarum, in quos exerant & exerceant horrendam & immanem suam crudelitatem. Audis ô peccator? Audis qui scandalizaris in Christo Iesu?

Remedia. Quid igitur remedij, tot & tam atrocibus malis, inquies? vtinam ex corde id quæras? Nullum arbitrarer illo potentius & efficacius; quod in principio prolati Thematis à Christo audis: PAVPERES EVANGELIZANTVR, quod explicet illa Sapientis oratio: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum*: quasi dicat: Nolite vt liberiùs mala patretis, de optimo Deo malè sentire: conformamini sanctissimæ voluntati eius, & estis per omnia securi. Simplicitas, versutiam cordis excludat: humiliamini coram Domino, & vt verè pauperes, eius iudicium vestro anteponite. Dato quisq; id saltem Deo, quod ipse ab aliis requiris. Exempli causa: Suntné tibi famuli, liberi, vxor, familia, subditi? Gratumné habes, si ij tua iussa & sancita proteruè negligant? Nequaquam: multò minùs probas, si illis offendantur, & scandalizentur: si perperam ac sinistrè ea interpretentur. Maximè verò te id moueret, si quæ tu sapienter ad eorum vtilitatem sanxisti, ipsi insipientes, vel ioco dicta esse, vel alienum prorsus sensum habere iudicent; proinde eis spretis, contraria planè facerent: tunc præ dolore vix tui compos esses; quia de te hero

1. Submissa paupertas.
Sap: 1. 1.
2. Simplicitas Cordis.
3. AEquitas.
Exemplũ notandũ.

te hero ſuo, qui illis bene conſultum velis, tam improbè ſentiant, obſtrepant, imperia detrectent, & mẽdacem, te aliud in ore, aliud in mente voluentem, reputant: quia ſuperbè nimis & ſtolidè quæ tu in eorum rem vtiliſſima decreuiſti, reiiciunt, doniſq; ac fauore tuo paterno tam impiè abutantur. Quis hæc ferat, inquies? Rectè dicis. At vide, & nota tuam longè magis deteſtandam maleuolentiam, qui de ſummo Deo, tibiq; optimè conſultum volente, tam malè ſentis; vt eum vel mendacem, vel negligentem, vel obliuioſum mandatorum ſuorum exactorem eſſe æſtimes; qui plus tibi tribui velis, quàm tu diuinæ maieſtati tribuis: qui duplici es corde, & altera ſtatêra iniurias tuas, altera diuinam à te profectam offenſam ponderas: qui ſtolida ſuperbia, iudicio Dei tuum anteponis, & quæ ille punienda cenſuit, quibus comminatus eſt æterna ſupplicia, ea tu & in aliis diſſimulas, & ipſe ludibundus committis. Frontem tuam, iudicium tuum requiro. Poteſtné altiùs efferre ſe arrogantia? Renuntia proprio amori: Cœcitatem, quæ menti tuæ offuſa eſt, diſcute: & patebit huius delicti enormitas.

Quod vt à te amoliri valeas; audi conſiliũ diuinum, quod Regius Propheta paulò ante te præmonendo recitauit; ne expectes donec Deus ſtatuat *te contra faciem tuam*: tu ipſe re dum integrâ id effice, ſtatue te contra te, agnoſce, argue, & condemna te ipſum: luge ne æternùm

Epilogus ſummam concionis continens.

æternùm lugeas & luas. Si enim id ſponte non feceris, præſtò ſum, ait Deus vindex, exſpecta pauliſper. [Faciam vt agnoſcas te, & tunc diſplicebis & mihi & tibi, mihi cùm iudicaberis, tibi cùm ardebis.] Ergo nunc ſponte & vtiliter diſpliceas tibi, te cognoſcendo & improbando vt Dei cenſuram euadas in æternum reprobantem. Humilia te ſub potenti manu eius, quia PAVPERES EVANGELIZANTVR, recipe igitur Euangelium, & factus pauper ſpiritu de te infima, de Deo vero, vt par eſt, optima & ſumma ſenti: voluntati ipſius te ſincerè ſubmitte: neq; tuæ impotentiæ, quæ ad peccatum continuò te impellit; ſed omnipotentiæ ipſius adiutrici innitere. Caue, ne aliis ſcandalum minus Chriſtianè viuendo dederis: nec datum acceperis, bona malam in partem interpretando: Caue, SCANDALIZERIS IN Chriſto humili, paupere continétiſſimo, eumq; peccata peccatis cumulando habeas oſtentui. Caue, Deum accuſes eiuſq; dicta perperam interpreteris. Caue, ſcriptura ſacra ad excuſanda tua ſcelera abutaris. Caue deniq;, medicinam & antidotum ſalutiferum in toxicum & venenum peſſimum & tibi & aliis conuertas. Hæc ſi vnquamadmiſiſti; è veſtigio pœnitentia, dolore, lachrymis, expia: nec vnquam in poſterum admitte. Recole, obſecro, mente & cogitatione, quot ſint in orbe terrarum myriades Idololatrarum, quot Iudæi, quot Mahometo dediti? quantus & quàm

Augu: in hunc Verſum.
Pſal: 49.

quàm ingens numerus Christum blasphemã-
tium? Sed & quot & quàm dissonę hæreticorũ
sectæ? quot Schismatici? Accipe vel è sola
hac vrbe Vilnensi coniecturam, in quam his
penè omnibus abominationibus ope poten-
tium patefactus est aditus: & iudica, quid de
toto orbe sentire debeas. Inde ingemisce, teq;
lachrymis prolue, sciens & credens, hos om-
nes scãdalizari in optimo, clemẽtissimoq;, Pa-
rente & opifice tuo Christo: ludibrio habere
Iesum Saluatorem tuum. Nemo enim illo-
rum (glorietur quantùm velit perfidia) credit
Christo: ideo Apostolorum principe teste, Ie-
sus factus est illis *non credentibus lapis offensionis* *1. Pet: 2.7.*
& petra scandali. Ne ergo tu ô cœtus Catholi-
ce, *ô genus electum, regale sacerdotium, gens sancta,* *1. Pe: 1.18.*
populus acquisitionis, ne inquam tu ad cumulum
huius impietatis aliquid addito; ne commi-
scare sacrilegis, ne eos irrita, vt propter tuam
viuendi licentiam, maiestas Dei tui contem-
natur & prophanetur. Recordare quanto te
acquisiuit precio Christus IESVS; sanè non
*corruptibilibus auro vel argento, sed precioso sangui-
ne*: proinde non reponas illi pro bono tanto,
tantam ingratitudinem: non refunde sangui-
nem peccatorum tuorum, (à quo Dauid libe- *Psal: 50.16*
rari petiit) pro purissimo ipsius redemptionis
sanguine: non regere blasphemiam pro bene-
dictione. Nosti enim quid dicat Apostolus,
quod propter malè viuentes Christianos, *no-* *Ro: 2. 24.*
men Dei blasphematur inter gentes. Quod si fece-
ris; si

ris; ſi te continueris ab operibus mortuis, & in futurum conſtanti animo Deo adhæſeris: ſi pro iis, quos perſtare vides in perfidia & cœcitate, ardenter oraueris, eosq; probis vitæ exemplis à malo retraxeris: fiet tibi Ieſus Chriſtus, *lapis quem reprobarunt ædificantes, in caput anguli*, in quo funderis: & hic in terra per fidem viuam, & in cœlo per æternæ gloriæ fruitionem eidem adhærebis: qui cum Patre & viuifico Spiritu regnat Deus in ſempiternum. AMEN.

CONCIO SECVNDA.

Fides.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. &c.

Plura ſigna Eccleſiæ in hoc Euangelio.

PErmultæ equidem, & ad cognoſcendum vbinam ſit in terris vera Chriſti Eccleſia, efficaciſſimæ notæ, reperiuntur in hoc Euangelio: ita vt ſi omnes explicare vellemus, non dico vnius horæ, quæ nobis ad dicendum aſſignata eſt; verùm
1. etiam integræ diei tempus non ſufficeret. Dicendum enim eſſet nobis de paupertate ſpiritus ſiue humilitate, ſine qua nemo recipit Euangelium, teſte Chriſto, neque in Eccleſia eſſe po-

esse potest quæ in humilitate fundata est: de 2.
scandalo Fidei, quod apud fideles locum non *Matt. 11.*
habet, licèt alia morum reperiantur: de inor- 24.
dinato ad aliquam personam affectu, qui ma- 3.
ximo ad intuendam veritatem est impedimẽ-
to: vt in his discipulis patet, magistro suo Io-
anni æquo plus addictis: de præpostero Hære- 4.
ticorum iudicio, quo sibi quisque Christum 5.
fidemq; ipsius ad captum & placitum animi,
imò persępè secundum rationem vitæ suæ ini-
què fingit. Quot enim inuenies qui ad nor-
mam vitæ voluptuariæ, quam sequendam sibi
proposuerunt, vellent Fidem & instituta Chri
stiana confirmari? Nec esset leuis Christianæ 6.
veritatis nota ordo in rebus; necnon constans 7.
illa & inuicta firmitas in diuino famulatu; vi- 8.
ctus item vestitusque sobrius & frugalis, quæ
duo à Christo in D. Ioanne laudantur. Latus
omnino campus, & vber de his agendi mate-
ria. Verùm ego missis omnibus, duo alia vni- **De duobus**
uersalissima & luculentissima signa verę Chri- **agendum.**
sti Ecclesiæ prosequenda, Concione hac insti-
tui: quæ cùm sint admodum fœcunda; ne mul
titudine dictorum aliquem obruam, & fasti-
dium pariam auditori, in duas partes vel Con-
ciones ea partiar. In priori, causam & origi- 9.
nem schismatum ac hæresum inquiram: in 10.
altera ostendam vestigia cognoscendi Verbũ,
quod ipse Deus nobis per Prophetas suos lo-
qui dignatus est. Primùm docebit nos prima
pars Euangelij, id est Ioannes Baptista, legatio-

nem adornans; secundùm, Christus eidem, facto respondens.

Pandat Deus præpotens, & os meum ad eloquendam, & aures vestras ad hauriendam, hanc salutiferam veritatem.

PRIMA PARS.

EGimus in Euangelio superiori, vt meministis, de vniuersalissimis Fidei & perfidię fontibus; & ostendimus, fontem quidem veræ Fidei esse Deum, cuius effata diuina dum per consensum recipimus, ista virtus eximia formatur in nobis. Infidelitatis verò impuram scaturiginem, esse diabolicam suggestionem, exceptam à mentibus incautorum. Nunc verò, vt cœpta disputatio vtiliter cõtinuetur, inuestigandum erit nobis: Inprimis quot modis in hac vita certa veritas à nobis haberi possit. Deinde in quo horum modorum fundetur Fides diuina, de qua hic nobis est oratio, & contraria ei perfidia. Præterea quot sint infidelitatis species, & qua ratione conueniant vel differant mutuò. Postremò quod sit his antidotum & remedium efficacissimum.

Propositio primæ partis quadrimembris.

1\. Veritatis igitur certa cognitio, non nisi duabus viis haberi potest, nempe scientia & Fide. Illa euidentior, quia basim seu fundamentum habet humanam rationem. Fides verò, quia nititur authoritate Dei, qui nec fallere nouit, nec falli potest, tantò est certior, quàm scientia, quantò diuinum iudicium iudicio huma-

Veritas duabus viis habetur.

humano est excellentius. Scientiæ etenim facem præfert lumen naturale, Fidei verò lumen quod omnem naturæ ordinem superat, ideoq; supra naturale dicitur. Ad scientiam opus est ingenio & iudicio acri: sed quia id mutabile & erroribus obnoxium est; ideo fit nonnunquam, vt quæ aliquibus demonstrationes scientificæ videntur, aliis vix argumenta probabilia appareant. Falli etenim & decipi omnis homo potest. At Fides innititur iudicio Diuino, mutationis omnis & erroris experte, qui dum voluntatem & mysteria sua nobis manifestat, ea fideles auditu percepta (quamuis non omnia intelligẽdo penetrent) tam firmiter credunt, vt nemo etiam Mathematicis demonstrationibus talem vnquam assensum præbeat.

Vnde facilè concluditur, cuinam ex illis duobus veritatis firmamentis Fides innitatur; nempe quòd non rationi, quæ ad res tam sublimes comprehendendas pertingere non valet: sed auctoritati Dei solius: & quanta Fidei Catholicæ sit maiestas, tam sublimi principio nixæ. Quanquam & ratio non penitus est aspernanda, sed præuiam authoritatem diuinam sequi debet. Secus fit in scientia, vbi nihil firmiter creditur, nisi ad quod intellectus euidenti conclusione adigitur. Proinde in scientia assensus sequitur rationem: at in rebus Fidei prima est assensio, qua adhæremus iis omnibus quę nobis credenda proponũtur,

II. Fides soli diuinæ authoritati innititur.

Rationes quomodo adhibendæ.

2. Cor: 10. 5. *in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi*, & eius sanctæ Fidei, vt nos admonuit Apostolus: postmodum rationes quæruntur, quæ & res abditas illustrent, & aduersariorum temeritatem conuincant validè.

Duo hic extrema fugienda.

Duo etenim hîc quoq; sunt extrema fugienda: alterum nihil velle credere, nisi quod liquidò sensu vel ratione compertum habes: alterum, rationem ita deprimere, vt putes Fidei capita intellectui humano esse planè contraria. Vtrumque abominatur Ecclesia Catholica: tum in Philosophis, tum in hæreticis.

Nota. Similia. 1.

Nam res Fidei inprimis intellectu nostro non sunt metiendæ, quia illum excedunt. Quis enim non stultum putaret eum, qui situla exigua præsumeret omnes vasti Oceani vndas exhaurire? atqui minor est intellectus nostri capacitas ad exhauriendam immēsam mysteriorum diuinorū profunditatem. Nequaquā tamen ita ratio deserenda est, quasi dogmata Fidei sint illi contraria. Omnia enim sophismata, quæ contra veritatem Catholicam effingi possent, ratio Fide illuminata, optimè

2.

dissoluere potest. Et vt ars coquendi lateres architectonicæ subordinata est: ita lumen naturale, lumini supranaturali & diuinarum rerum cognitioni non contrariatur sed famulatur, eiq; præstò adiumenta suppeditat.

Principiū Catholicum.

Est igitur extra controuersiam apud nos, nihil FideCatholica credi, nisi quod ex ore altissimi prodiit. Quam assertionem, non ob-

stante

ſtante impudentia hæreticorum, qui more ſuo calumniantur, nos non niſi Philoſophiæ & rationibus ac traditionibus authoritatibuſque humanis Fidem habere; iterum iterumq; repetimus, conteſtanter aſſerentes, id nos duntaxat fide diuina credere, quod Deus ad credendum nobis propoſuerit. Hoc eſt fundamentum ſanctæ Fidei noſtræ vnicum, cui innititur Eccleſia, *columna & fundamentum veritatis*: Fundamentum, inquam, Fidei noſtræ, non eſt ratio humana, ſed auctoritas Diuina; non id quod nobis intellectu noſtro formamus, ſed quod Deo docente audimus. Quonam modo autem vel quibus viis cognoſci poſſit, quod Dominus locutus eſt, cùm in eo tota controuerſia & difficultas noſtra ſita ſit; meritò in eadem elucidanda præcipuè conciones noſtræ verſantur. In hunc finem & iſta præmittimus principia, & velut fundamenta iacimus; daturi operam, vt ſemper deinceps preſſiùs loquendo, ſtringamus aduerſarios, neque tamen diſcedamus à propoſito. Nam & eorum quæ dicta ſunt hactenus, habes in themate non obſcuram effigiem. Ioannes enim Baptiſta MITTENS DVOS DE DISCIPVLIS SVIS ad Chriſtum; quid aliud facit, quàm digito demonſtrat, res & controuerſias Fidei, qualis iſta fuit, non è ratione ſed ex auctoritate pendere? Verùm hac de re paulò poſt plura: nunc quæ promiſimus proſequamur, & de infidelitate aliquid dicamus.

Et impudentia hæretica.

1. Tim: 3. 15.

Cardo omnis controuerſiæ.

III. PVNCTVM. Infidelitatis species tres.

Infidelitatis igitur à Theologis tres omnino numerantur species. Prima est Gentilium, Idololatrarum, quorum magistri poëtæ & Philosophi: Secunda Iudæorum, quorum Rabbini & Talmudistæ sunt doctores: Tertia hæreticorum, quorum licèt singuli tantùm greges diuersos videantur habere antesignanos; tamen si bene rem consideres, tot sunt inter eos dissoni magistri, quot scioli, quique sibi paulò plus quàm rude vulgus sapere videntur.

Sectæ cur dictæ. Gal: 5. 20.

Ideo enim ab Apostolo *sectæ* dicuntur, quia discindunt non modò Ecclesiæ vnitatem, sed etiam suas discerpunt synagogas & conuenticula.

Fundamētū infidelitatis ratio & fides humana.

Omnis verò perfidiæ firmamentum & basis est partim ratio, in qua Philosophi & quidam hæretici maximè fundantur: Partim authoritas humana, cui omnes innituntur. Hoc tantùm est inter eos discriminis, quòd Gentiles & Iudæi sint extra Ecclesiam, de quibus non agemus, Apostolum imitati, qui ait:

1. Cor: 5. 12. 1. Ioan: 2. 19.

Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Hæretici verò & Schismatici, quia *ex nobis prodierūt*; aliquo saltem modo pertinent ad Ecclesiam; quæ in eos vt in militiam Christi asscriptos, & charactere Baptismali insignitos, ac postmodum transfugas factos, potestatem sibi meritò vsurpat: cum quibus nobis controuersia.

Qui differt ab Hæresi Schisma.

Conueniunt autem Hæretici & Schismatici vt diximus, quia vtriq; prodierunt ex Ecclesia, & eius indiuisam vnitatem scindunt. At verò in eo differunt: quod vt est duplex

vinculum, quo Christus Dominus filios suos colligat conglutinatq; in Ecclesia; Fides videlicet, & vnio per charitatem: ita duobus discinditur modis vnitas Ecclesiæ. Hæretici enim Fidei, Schismatici verò nexum Charitatis in ea rumpunt. Vnde omnis hæreticus est etiam schismaticus, quia sine Fide vnio charitatis esse nequit. Schismaticus tamen, absque hæresi esse potest, vt Doctores consentiunt. An verò vnquam fuerit quis ita puro schismate auulsus ab Ecclesia, non immeritò dubitarem: cùm & illi celeberrimi tempore D. Augustini schismatici Donatistæ, nequaquam ab hæresi excusarentur, credẽdo Ecclesiam Christi in sola Africa reperiri, contra totam scripturam & consensum Ecclesiæ. Vt autem hac tempestate sese res habent, arbitror nullum schismaticum esse ab hæresi liberum. Nam nostri Russi, Græcorum erroribus imbuti, & Spiritum sanctum à Filio procedere negant, & multa ab orthodoxis dogmatibus aliena concedunt. Nihil eis infœlicius, qui optimis cõditionibus oblatam Ecclesiæ concordiam, & ab insigni religiosissimoq; viro Metropolitano aliisq; Episcopis, magna vrbis Romanæ & orbis Christiani lætitia acceptatam, stultius an pertinacius nescio, repudiarũt: millies hęretici, millies schismatici, qui non tantùm in Latinam, sed & suammet vnionem & pacem, impetum fecerunt, nouam sibi synagogam fabricârunt, & altari contra altare extructo

D. August. de fide & symb: capit. 10. Hier: in 3. cap: ad Titum.

Vtrũ Schisma sine hæresi possit esse.

Vnionis hostes notati.

Defensio eorum inanis. Popos illegitimè consecrarunt. At, inquiunt, nos antiquo ritu, in obedientia Constantinopolitani Patriarchæ persistimus: alij sese à nobis auulserunt. Nouimus bene qualem obedientiam & reuerentiam præstiteritis Patriarchæ vestro Hieremię, dum ante paucos annos Vilnæ vos visitaret; nec ignoramus cui nunc fidatis & obediatis. Non est ergo cur inde gloriemini: sed est quod vestram cœcitatem defleatis, & ad fratres vestros ac vnionem sanctam recurratis.

Patriarchatus Constantinop. errorum fæcundus. Isa: 36. 6. Sed esto, sitis Constantinopolitano obedientes, nunquid non occinam vobis illud Prophetæ: *Confiditis super baculum arundineum confractum istum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam?* Nil magis vobis quadrat. Nunquid non baculus arundineus est Patriarcha Constantinopolitanus? cui à petra solida auulso, quicunq; innixi estis, nil aliud quàm perforatam, vel vt Apostolica voce 1. Tim: 4. 2. vtar: *Cauteriatam conscientiam* retulistis, in quam omnes falsarum opinionum sordes deriuentur & confluant. Quot sunt myriades mortalium, quorũ conscientia ita fœdata est propter Patriarchas Constantinopolitanos, & animæ in æternum adductæ discrimen? Equidem negare non potestis; vestri enim testes, Sedecim Patriarchæ Constantinopolitani hæretici. vestri historici & concilia œcumenica in Græcia celebrata testantur; tot fuisse in illa sede non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas, & authores turpissimorum contra fidem

errorum.

errorum. Macedonius blaſphemam contra Spiritum ſanctum adinuenit hæreſim, aſſerẽs illum non eſſe Deum. Neſtorius in Christo duas commentus perſonas, beatiſſimam Virginem Mariam Deiparam eſſe dicendam negauit. Quid dicam de Eudoxio, Euſebio, Demophilo, aſſeclis Arrij, qui Chriſtum Deum eſſe nęgarunt? Quid de Acacio & Antimio ſymmiſtis Eutychij Archimandritæ eiuſdem vrbis; qui vnam tantùm in Chriſto naturam, è duarum commiſtione reſultantem ponebant? Quid de Petro, Sergio, Pyrrho, Paulo, & Theodoro Monotelitis? Quid de Anaſtaſio, Conſtantino, Niceta, Theodoro, & aliis hoſtibus imaginum, quas nunc vos magna reuerentia, vt par eſt colitis? Quot putatis ſedecim iſti, velut arundinei paxilli, millia animarum perforata morti æternę addixerunt? Clamabo cum magno Moſe, vtinam non obduretis corda veſtra; *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Recedite, obſecro, & accedite ad fratres veſtros adhærentes petræ ſolidæ veræ Romanorum Eccleſiæ. [Ad quos (inquit quidam Sanctus) perfidia non poteſt (notate verbum) habere acceſſum.] *Nu:16.26.* *D. Cypria. lib:1.ep:3.*

Quid autem caro veſtra fratres veſtri, Ruſſi fecerunt? Nihil certè aliud, quàm quod ſancti veſtri, quos meritò colitis, & quorum ſolenni memoria poſcitis orationes, præſtiterunt: Vniti Ruſſi veterum SS. Græcorum imitatores.

runt: S. Athanasius, S. Basilius, S. Ioannes Chrysostomus, qui & cæteri verè orthodoxi omnes, quoties sedes Constantinopolitana, vel alia Patriarchalis in fide & decretis ferendis errabat, toties ipsi ad Romanam sedem, ad Petri Cathedram recurrebant; quę priuilegio inuictę soliditatis munita æternùm durat: toties sub Patris Patrum, regimen concedebant? Hoc ipsum fratres vestri, boni vtiq; parentum optimorũ imitatores, nunc effecerunt; ideoq; ipsi in auitæ sanctorum Græcorum fidei possessionem se restituerunt: à qua cùm vos excideritis, & vmbram laruamq; potiùs eius extrinsecam habeatis, frustrà gloriamini vnà cũ vestris Patriarchis, & vobis complacetis quadam effigie peruetusti Græcanici ritus, quam non vulgari perfidia & rebellione fœdastis: idq; persuasi à malesuasis vicinis vestris hæreticis: qui vt ipsi odio in matrem suam quam deseruerunt flagrant, ita eundem affectum vobis instillant, vosq; præterquam quod in schismate confirmant, nouis etiam afflant hæresibus.

Cùm Ioannes miserit ad Christum, non dubitando, quod ex rationibus probatur.

Quod si scire vultis quàm grande sit & vnde prodeat malum schismatis; legatio ista Ioannis Baptistæ vobis ob oculos ponit. Cuius quidem legationis, non dubitatio aliqua (vt quidam ex antiquis quidem, sed notatis senserunt) verũ charitas, causa fuit. Absit enim quicquam vel inconstantiæ adscribere illi, quem hic à constantia Saluator laudat; vel inscitię,

Tertullianus:

quem

quem PLVS QVAM PROPHETAM fuiſſe affirmat. Quomodo enim Ioannes de illo potuit dubitare, quem clauſus adhuc vtero matris tanquam Meſſiam adorauit? ſupra quem in Iordane baptizatum cœlum apertum, & Spiritum ſanctum deſcendentem vidit? quem præterea toties Agnum Dei tollentem peccata mundi digito monſtrauit? cui deniq; Andream & alios ſuos diſcipulos addixit? Et hæc ipſa cauſa huius legationis fuit, nempe vt Ieſus hoſce diſcipulos ſuos faceret. Exorta enim fuit inter Ioannem & diſcipulos ipſius quæſtio; An Meſſias iam veniſſet? & ſi venit, quiſnam eſſet? Quibuſdam eius ſtudioſis dicentibus, vel necdum comparuiſſe Meſſiam, vel hunc ipſum eſſe Ioannem Baptiſtam: & iiſdẽ Chriſtum Dominum coràm accuſantibus, quòd Ioannis honorem rebus ſuis geſtis: baptizando, docendo, miracula patrando obfuſcaret; Ioannes Baptiſta contrà palam admonuit; & iam veniſſe, & non ſe, ſed Ieſum eſſe Meſſiam in lege promiſſum. Cui cùm diſcipuli hac in parte fidem adhibere cunctarentur; dubitatione illorum veluti ad ſe deriuata, mittit eos ad Chriſtũ, à quo & ipſi inſtruerentur, ne in ſchiſmate remanſerent, & nos multa doceremur.

Luc. 1. 41. *Mat. 3. 13.* *Ioã. 1. 29.*

Sed diſcipulis conſulendo.

Ioã. 3. 2[?]

Primò namq; ſchiſmaticorum & hæreticorum viuam imaginem exprimunt nobis hi legati, parùm certè prudentes: qui cùm Ioannem virum ſanctum, Prophetam, imò Meſſiam eſſe

Schiſmaticorum & Hæreticorum imago.

ſiam eſſe

ſiam eſſe exiſtimaſſent: nihilominus eum mendacij arguebant. Dum enim ei non credunt, digito Chriſtum oſtendenti, mendacij vtiq; ſuſpectum habebant. Tales nempe ſunt omnes Schiſmatici & hæretici, qui ſuos Anteſignanos, Prophetæ, Eliæ, viri Dei, & ſimilibus ornant titulis. At quando ex eorum ſcriptis adfertur quidpiam, quod eorum obſtinatos animos pungat; tum contemnũt eos penitus, dicentes: quid mihi cum Luthero? quid cum Patriarcha Conſtantinopolitano? quid cum Caluino? ego Euangelicus ſum, Euangelio tantùm credo.

Quid Schiſma. Deinde habemus inde, Schiſma nihil aliud eſſe quàm concordiæ & vnionis ſpiritualis diſciſſionem. Ioannes vnitus Chriſto Domino & eius Eccleſię, vinculo charitatis arctiſſimo, cùm videret quoſdam ex diſcipulis ſuis hoc vinculum & vnionem diſrumpere, & ſub nomine ipſius Ioannis, velle Schiſma in Eccleſia facere; quantopere indoluit? quantopere angitur? quomodo omnem dat operam, vt eos à malo reuocaret; & cùm omnia tentaſſet, nec quicquam profeciſſet; vltimum adhibuit remedium. MITTENS DVOS EX DISCIPVLIS SVIS, AIT Chriſto: TV ES QVI VENTVRVS ES? Quaſi dicat: Ego Domine Ieſu cum eis nequicquam proficio: tu ſolus qui omnipotens es medere illis.

Quã grande malum. Vnde etiam grauitas peccati Schiſmatis facilè liquet, tum quòd vnionem Eccleſiæ, excellentiſ-

cellentissimum quid rumpat, & se & alios perdat.: quod sciens Apostolus Paulus & ipse æstuauit admodum, vt schismata suo exorta tempore è medio tolleret, grauiter obtestans: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: tum, ex eo quòd IOANNES IN VINCVLIS constitutus, & sciens vicinam sibi adesse mortem, de hoc solo erat solicitus, vt tantum malum è mentibus discipulorum euelleret. Liquet & periculum: quia schisma proximus ac necessarius quasi gradus est ad hæresim, & nec à Sanctis quidem submoueri potest, nisi omnipotentia Dei accedat. Quis enim sanctior Ioanne Baptista? qui tamen carissimis discipulis opem ferre hac in parte non potuit? Solius opera Dei profuit eis. Neque tamen ij, qui se Magistros & præceptores fidelium à Deo factos agnoscunt, media ad conuersionẽ eiusmodi hominum apta omittere debent, quin ea adhibeant seriò D. Ioannis exemplo. Accedat etiam bona conuersatio & iuges pro eis orationes omnium, & spes de bonitate & misericordia diuina.

1. Cor: 1. 10.

Quàm periculosum.

Deniq; (quod primum esse debebat, & propter quod hæc omnia præmisi.) habetur hinc & origo schismatis omnis proindeque hæresis, & remedium omnium efficacissimũ. Caput est quod memoriç vestræ imprimi percupio; est enim ex primis principiis Ecclesiæ, & ex hoc facto D. Ioannis & Christi Dei necessariò

IIII. PVNCTVM Remedia continet. Statuscausæ & PROPOSITIO Iudicem visibilem cõtrouersiarũ debere esse in Ecclesia.

ceſſariò deductum. Eſt autem illud: dandum eſſe omnino aliquem ſiue aliquos (qui & quot ſint tales, nunc non diſputo) viſibiles in mundo Diuinæ voluntatis interpretes, & qui de omnibus quæ occaſione fidei in controuerſiam veniunt, abſq; vllo errore deçernere & determinare poſſint. A quorum definitione quicunq; pendere nolit, primùm ſchiſmaticus, poſtmodum pronuntietur hæreticus; quod equidem nomen, nemo meretur magis, quàm qui negat omnino talem poteſtatem reperiri in Eccleſia; quam certò eſſe fuiſſeq; ſemper ſic confirmo.

1. Probatur ex iactis fũdamentis.

Primùm quidem ex iam iactis & probatis fundamẽtis. Conſtat enim inprimis Fidẽ no-
1. ſtram qua ſaluamur, eſſe certiſſimam & certiſſimæ veritatis cognitionem. Qui enim id negaret, palam profiteretur ſe eſſe infidelem: cùm infidelis ſit, ſiue falſa ſiue ea quæ incerta
2. ſunt credere. Conſtat deinde certam veritatis cognitionem, non niſi duabus viis haberi, ſcientia videlicet & Fide: ſcientia demonſtrationi, Fides authoritati innititur. Inueniant
3. Nouatores ſi poſſunt aliquid tertium. Conſtat præterea Fidem noſtram in demonſtratione, ideoq; in ſcientia fundari nõ poſſe, tum quòd Fides vniuerſaliſſimis ex lumine naturali deſumptis careat principiis: tum quòd naturam omnem ſuperent quæ creduntur. In auctoritate igitur alicuius dicentis fundanda
4. erit. Conſtat quarto non in quauis auctoritate funda-

te fundari fidem nostram, sed in summa omnium, id est in solius Dei loquentis, & quod credi à nobis vult, nobis manifestantis. Id omnes libenter concedunt. Constat quintò, De- 5.
um passim ab omnibus non videri, (imò dicit scriptura: *Deum nemo vidit vnquam*) vt ad illum 1. Ioan: 4.
in dubiis recurrere possimus. Constat sextò, 12.
siue in internis, siue in externis loquutioni- 6.
bus quæ Dei nomine nobis proponuntur, nos ita decipi posse, vt vice Dei, diabolo ac ministris eius commodemus auditum. *Ipse enim sa-* 2. Cor: 11.
thanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo 14.
magnum si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ. Vnde quanta strages animarum? Constat septimò, Deum in necessariis nun- 7.
quam deesse suæ creaturæ: alioqui falsum esset, quod alibi idem Apostolus ait: quòd Deus *omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Deesset autem mihi Deus, si ego, verbi gratia, qui veritatem agnoscere volo, quia teneor, non haberem qui Dei nomine, quæ sit veritas, quæ falsitas, mihi manifestaret. Concluditur igitur euidenti conclusione collecta ex scripturis; debere esse aliquem, vel aliquos tales in Ecclesia omnibus propositos, ad quos fiat recursus.

Respondent ad hæc omnia hæretici; Præstò esse scripturam diuinam, per quam Deum nobis loqui constat; hanc sufficere. Verùm hoc non est ad rem respondere, sed est malitiosè & sophisticè cauillari. Et vt alias omittam captio- NOTA. Celebris obiectio soluitur, quia sophistica.

captiones, de quibus paulò post, vnam hîc & celebrem illam fallaciam vrgeo, quam vocant petitionem principij. Hoc ipsum enim quærimus, & de hoc inter nos est disceptatio; Vnde nosse possimus hanc, quam vocamus, scripturam, esse verè scripturam diuinam, & Deum nobis per eam locutum esse, non per aliam; cùm plurimæ aliæ circumferantur scripturæ, etiam sub nomine Apostolorum, quas nemo nostrum recipit. Istum igitur quæro certum iudicem; Responde, nomina aliquem qui fuerit, vel etiam nunc sit in mundo tantæ authoritatis, qui absque errore definiat, hanc esse veram, illam verò falsam scripturam: aliàs me & orbem vniuersum periculo errandi euidentissimo exponis; Idque non in re leui, sed omnium maxima, in ipso fundamento scilicet. Si enim falsam scripturam pro vera semel recipiam: quis erit errandi modus? Quanquam non solùm ad istud determinandum, verùm ad multò plura, hæc authoritas est necessaria: de quibus post: nunc cœptas probationes prosequamur.

2. Probatur dari Iudicem è facto Ioannis

Secundò hoc ipsum habemus ex ista legatione Ioannis Baptistæ; qui duo sciens, alterũ debere aliquem in mundo reperiri, qui quæstiones de rebus Fidei inter quosuis exortas, (en habes aliud quid excellentissimum & pernecessarium præter scripturam, ad quod authoritas determinans est necessaria) sine vllo errore decidere possit: alterum hunc ipsum

tum

tum temporis fuisse Christum Dominum, omnibus visibilem & palpabilem: ideo ad eum, MITTENS DVOS EX DISCIPVLIS SVIS, proponit illi quæstionem, de qua cum suis controuertebat; TV ES QVI VENTVRVS ES, vt ego Ioannes certò esse scio & doceo? AN ALIVM EXPECTAMVS, vt isti mei discipuli falsò autumant? decide, quæso, IESV, qui id sine errore facere potes, & cui omnes assentiri tenentur. Dicent hæretici; Hoc ipsum nos facimus, qui ad solum Christum appellamus, & solam scripturam, per quam nobis ipse loquitur, interpretem dubiorum habemus. Scio id eos magnis clamoribus contendere, sed enim in hac responsione duplici vel triplici fallacia teneri. Prima est iam dicta, petitio principij. Altera, quia id probant, de quo non est nostra disceptatio. Quæstio etenim nostra est, de visibili; visibili, inquam, iudice controuersiarum Fidei, quem dari debere in terra, è facto Ioannis confirmamus: qui ad visibilem tunc & palpabilem omnibus Iesum, suos discipulos misit: Illi verò ad scripturam ablegant, quæ vtiq; nec sententiam dicit pro alterutro contédentium, & de qua, vt diximus, interrogati, vnde sciant quòd hi & non alij sint Canonici codices, nec falsò his authorum nominibus insigniti, vt cæteri apocryphi: illi ne vnum quidem verbum ad rem respondēt, sed ad cauillos & contentiones proripiunt se, ne suis indocti esse videantur. Quid ista Sophistica

Obiectio hæretica, tripliciter Sophistica.

Petitio principij.

Ignoratio Elenchi duplex.

NOTA. Hæreticorum verbũ Dei quale sit.

phiſtica techna magis eſt impudens? Niſi fortè tertium, quod ex hac veſtra reſponſione colligimus, nempe quod vos pro ſcriptura & verbo Dei, veſtrum, veſtrum, inquam, veſtri capitis verbum venditatis illis, quos decepiſtis. Non enim, inter nos eſt tanta diſceptatio, qui ſint libri Canonici, & Dei nutu exarati, quanta eſt controuerſia, exempli gratia, an iſtud; *Hoc eſt corpus meum*, quod pro verbo Dei omnes agnoſcimus, ſit intelligendum Catholicè, vt verba ſonant: an verò aliter, pro veſtri cerebri interpretatione, quam ſcilicet interpretationem, per extremam impudentiam, pro verbo Dei habetis & veſtris inculcatis. Hic eſt nodus & vis quæſtionis inter nos; de huius loci & de ſexcentorum aliorum intelligentia diſceptamus: hic eſt ſtatus cauſæ, & punctum difficultatis, quam vos per prærupta vagantes declinatis, & eos qui vobis credunt, miſerè præcipitatis in orcum. Edite Ioannis exemplo vocalem & viſibilem iudicem, quia mutam ſcripturam appellando, videtis, quàm nil proficimus? teſtes vos eſtis pſeudo-Euangelici; qui in mille ſectas diſciſſi, tamen vnum crepatis Euangelium. vtinam aliquando tandem viam veritatis agnoſcatis.

3. Probatur iudicis necesſitas è lege naturæ.

Tertiò hoc ipſum habemus ex tota ſcriptura, addita etiam pœna iis qui tali delegato iudici recuſarēt obedire. Et quod mirandum, magis, quò lex eſt poſterior, eò pœna grauior, cùm in aliorum peccatorum mulctis in lege

Chriſti

Christi suauissima, secus vsu venire soleat. Triplex à primordio mundi lex extitit. Prima naturæ, quæ durauit à primo parente Adamo, vsque ad Mosen, solo lumini naturali, & quibusdam reuelationibus, quæ non nisi traditione habebantur, innixa. Altera quam Moses scriptis mandauit. Postrema gratiæ, ab authore gratiæ Christo IESV promulgata, ac demum per Apostolos & Euangelistas in parte conscripta: quę duratura est vsq; *ad consummationem* *Matt: 28. 20.*
seculi. In omnibus istis legibus, notamus semper fuisse aliquos visibiles Doctores & iudices, in rebus ad diuinum cultum pertinentibus. *Exempla 10. Patriarcharum.* Talis fuit inprimis Adam, qui filios suos Cain & Abel sacrificare docuit. Vnde enim id *Gen: 4. 2.*
didicissent, nisi à Patre? Talis *Seth* filius eius, à *Ibid: Ver: 25.*
quo omnis piorum progenies. Talis *Enos* filius Seth, *qui cœpit inuocare nomen Domini.* Addi- *Ibid: Ver: 26.*
dit ergo aliquid ad priora. Talis *Henoch*, qui *Gen: 5. 24.*
ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus; qui etiam ante extremum iudicium reuersurus creditur. Talis *Noë*, paulò post raptũ *Gen: 6. 8.*
Henochi natus, qui *inuenit gratiam coram Domino, & vir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Potuit proinde bene alios docere. Talis post diluuium *Melchisedech* *Gen: 14. 18.*
Rex & sacerdos, tantæ auctoritatis; vt Abraham & decimas ei daret tanquam superiori, & *Heb: 7. 8.*
benedictionem ab illo acciperet. Huic successit Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & cæteri Patriarchæ vsque ad Mosen. Ab his in lege

naturæ, homines & ſimilibus, quo ad res diuinas regebantur: ad eos in dubiis recurrebatur, erantq; omnibus qui tunc viuebant notiſſimi; iis internuntiis Deus loquebatur, quia nulla adhuc fuit ſcriptura. Potentiſſimum ſanè argumentum. alias enim qui tunc erant homines, omni fuiſſent deſtituti auxilio, ad ſalutem neceſſario, quia nec ſcripto, nec viua voce teſtatam habuiſſent diuinam voluntatē.

4. Ex lege ſcripta. Sequitur lex per Moſen data: in qua multò id etiam clariùs enituit. Ibi enim eſt conſtitutus vnus, nempe ſummus ſacerdos, ad quem recurrere iuſſit Deus, edicto graui per Moſen promulgato: *Si difficile aut ambiguum eſſet iudicium*, & diuerſorum diuerſa opinio, de re vel quæſtione aliqua; recurratur ad ſummū Pontificem. Quem etiam tali priuilegio muniuit: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Superbia, faſtus, caput hæreſeos, apoſtaſiæ, & ſchiſmatis, truncatur hac ſeuera lege. quæ lex & priuilegium durauit vſq; ad aduētum Chriſti, ad quem & hic mittit Ioannes DVOS EX DISCIPVLIS SVIS pari in negotio.

Deut: 17. 8

Ibid: ver: 12.

5. Ex lege Chriſti. Idem priuilegium Chriſtus IESVS in lege gratiæ renouatum auxit etiam plurimùm his verbis: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Ex his omnibus habemus:

Matt: 18. 17.

mus: Primò, fuiſſe toto ab exordio mundi tempore vnum ſaltem, per quem Deus fidelibus ſuis loquens, voluntatem ſuam manifeſtaret. Secundò fuiſſe viſibilem, & omnibus qui eum opus haberent, cognitu facilem. Tertiò, eundem in ſuis deciſionibus errare non potuiſſe; quod patet tum ex eo, quia alias error & deceptio in Deum, qui illum ſui vice ſubſtituit, redundaret: tum ex pœnis quas nec in lege naturæ defuiſſe conſtat. Habemus enim eos, qui Noë Dei iuſſu docenti pœnitentiam, & verbis factisq; per centum annos prædicenti diluuium, credere noluerunt; omnes ad vnum aquis ſuffocatos eſſe. Magna equidem pœna. ſed euidentior in lege Moſi & maior, vbi *nolens obedire ſacerdotis imperio*, occidi præcipitur. At in noua gratiæ lege, multò etiam atrocior: vbi nolens obedire Eccleſiæ, ethnicis & publicanis ore Chriſti IESV aggregatur. Vides quantopere intenditur pœnarum rigor contra rebelles? Nam in lege naturæ ſemel tantùm puniti fuerũt hoc nomine, quod ſcimus: in lege ſcripta, durauit pœna plus quã bis mille continuis annis: pœna tamen fuit tantùm corporalis: at in lege Chriſti, ſæuit in animam, quando rebellem ethnicis aggregat, & vſq; ad cõſummationem ſeculi perdurabit. Errare verò illos non potuiſſe, hinc euidenter liquet. Quomodo enim vel Deus iuſtus præcepiſſet mactare hominem in veteri teſtamẽto, ſacerdoti non parentem? vel Chriſtus IE-

6. E pœnis contra inobedientes latis.

Deut: 17. 12.

svs miſericordiſſimus, condemnari & inſtar ethnici haberi iuſſiſſet eum, qui tali Prælato nollet obedire, quem certò ſciret errare poſſe, & ſuſpicaretur in tali determinatione erraſſe? Nunquid eum, à quo prorſus abeſt temeritas, Deus condemnabit? Et vbi ſunt quæſo illæ tot & tam exaggeratæ prophetarum voces, Deum eſſe iuſtum; iuſtitiam diligere; vias eius eſſe æquiſſimas; ſi innocens & in corpore & in anima tam rigidè plectitur? Ne igitur per ſummam blaſphemiam, Deo ſummè iuſto iniquitas affingatur; dicamus potiùs blaſphemos & mendaces eſſe hæreticos. Blaſphemi ſunt, quia mendacii arguunt Deum, tanquam oblitum adeo conſtantis regulæ ſuæ; & iniuſtitiam ei affingunt, qui innocentes damnat. Mendaces etiam ſunt, dicentes ſe ſoli ſcripturæ credere, cùm tot teſtimoniis ex ea depromptis, adhibere fidem nolint.

7. Rationibus idem euincitur. Poſtremò debere eſſe in mundo eum, per quem nobis loquitur Deus, patet ex aliis rationibus euidentiſſimis. 1. Primò, quia alioqui optimus & ſummus rerum gubernator Deus, peſſimè conſtituiſſet ſuam Remp. quod nefas eſt dicere. Deinde cùm docet Apoſtolus, Eph: 4. 4. quòd Eccleſia Chriſti ſit *vnum corpus*, & quòd in illa ſit *vnus Spiritus*, *vnus Dominus*, *vna Fides*, *vnum Baptiſma*. Cumq; idem ſeuerè prohibeat dicens; *Fratres non ſint in vobis ſchiſmata*: Impoſſibile, ſit autem vel Fidem vnam eſſe vel ſchiſmata deeſſe, niſi demus talem quem depinxi-

pinximus iudicem. Inde has formamus rationes. Prima ſit ex ipſa experientia deſumpta. 2.
Id enim in omnibus ſectis, oculis videmus, manibus palpamus, & ratione ipſa tenemus.
Deinde ex fundamentis ſcripturę allatis. Quo- 3.
modo enim erit corpus viſibile, cui deeſt caput viſibile? Quomodo vnus ſpiritus in tanta 4.
diſſonorum ſpirituum colluuione, quorum ſinguli ſe à numine agi glorianrur? Quomo- 5.
do vnus Dominus in tanta capitum varietate, quæ ſibi dominatum arrogãt obſtinatiſſimè?
Quomodo vna Fides, vnum Baptiſma, in tan- 6.
ta credentium & baptiſmatum diſparitate?
Quomodo autem deerunt ſchiſmata; ſi deerit 7.
in Eccleſia Chriſti, qui quid ſit ſchiſma, quid vnio, ſine errore decernere queat, & cuius decretoria ſententia omnes inſolentes & ſuperbæ contentiones amputentur? Dandus igitur eſt præſes quiſpiam, quo moderante Chriſti imperium non diſſoluatur, & populus eius, factione impiorum in diuerſas non abeat ſententias. Quis verò ſit iſte, & vnuſné an plures, aliaq; id genus, magnum erit curæ precium videre aliquando.

Nunc ea quæ dicta ſunt, in pauca ſi contrahantur; ex eis Auditores habetis inprimis, apud Catholicos Eccleſiam eſſe, vbi eſt veritas & Fides, in ſola authoritate diuina fundata: cùm alibi infidelitas, non niſi ſenſibus & humanis ratiunculis innixa ſit. Excutite argumenta hæreticorum contra Trinitatem, con-

Concluſio & ſumma Concionis

Vbi Eccleſia ſit.

1. Nota.

tra Verbi incarnationem, contra Deiparæ in-
temeratam virginitatem, contra veram in SS.
Euchariſtiæ myſterio corporis Chriſti præſen-
tiam. Prætenditur quidem authoritas diuina-
rum literarum, dum hæ Catholicæ aſſertiones
impugnantur: reuera autem nil aliud, quam
brutis ſenſibus, & proteruis obſtinatisq; capi-
tibus quæritur præſidium. Cur Lutheranus
credit panem in Euchariſtia remanere? Cur
Caluinianus inde funditùs tollit Chriſtum?
quia nec ſenſus, nec intellectus eorum capit
omnipotentiam Dei, valentis & volentis acci-
dentia ſine ſubiecto ſeruare, & vnum corpus
ſtatuere in pluribus locis: quia perfida teme-
ritas mentis oculos excœcauit; vnde ſol veri-
2. tatis nequicquam aſpicitur. Habetis præte-
rea, Catholicam veram eſſe Eccleſiam; quia
in ea ſola nullum ſchiſma inuenitis, ſed vnum
ſpiritum, vnam Fidem, vnum baptiſma, vt
3. monuit Apoſtolus: quia ad eam infidelitas
4. non habet acceſſum: quia hic ſophiſmatibus
& technis mendacio ſuffultis nullus locus.
5. Quia hic è ſacrarum literarum teſtimonio,
creditur eſſe in terra diuinarum rerum certiſ-
ſimum interpretem, cui grex Chriſtianus in
tot ambagibus difficultatum ſententiam fe-
rēti citra periculum erroris, dicto ſit audiens.
Id enim nos docent omnium ætatum exem-
pla. Quid vultis amplius? initia, media, &
extrema tempora in hanc veritatem conſpi-
rant, nuſquam grex Dominicus tali Præſide,
tali vo-

tali voluntatis diuinæ promulgatore orbus fuit. Habemus statum veteris Ecclesiæ: habemus nouæ, & Christi promissa confirmantis, tales præsides & magistros Ecclesiæ sponsæ suæ nũquam defuturos. Cui laus in æternum.

SECVNDA PARS.

OStendimus, auxiliante Deo, & vestris auribus fauentibus, in prima huius concionis & Euangelij parte, nempe legatione D. Ioannis, debere esse & fuisse ab exordio mundi aliquem semper, ad quem in rebus fidei recurrendum esset, quiq; eas sine vllo errore decidere posset, & per quem, vt vno verbo dicam, Deus hominibus veritatem suam manifestaret. Sequitur Christi Domini responsio: è qua eodem iuuante Domino, inuestigabimus signa, ex quibus cognoscat quilibet, quisnam sit ille nostra tempestate, vel olim fuerit diuinorum oraculorum certus interpres. Res quidem hæc in se fusissima est: & pluribus locis à nobis (si ita Domino fuerit visum) tractabitur. In præsentia verò vnicum solum considerabimus euidens & illustre signum, quod præcipuè propositum thema nobis ponit ob oculos.

Proinde videbimus inprimis quænam sit ista nota, & quàm vetus ac stabilis: deinde quanti sit momenti: postremò vbinam reperiatur, & quomodo Ecclesiam certò indicet. Propositio tripartita.

1. Et primùm quidem tanquam pro funda-

mento præmittendum nobis esset, quot & quibus modis nobis loquatur Deus in Ecclesia sua. Verùm quia id plusculum temporis requireret, nos verò in priore parte prolixiores fuimus; hoc in aliud tempus reiecto, duo breuissimè & necessariò præmittimus. Alterum est, quòd per neminem Deus nobis loquitur, nisi per eum, quem tanquam nuntium suum ad nos hoc nomine mittit. Hoc enim & ratio docet; quia correlatiua sunt legatus & legatio; relatiua autem, vt est receptum axioma, sunt simul natura, & scripturæ authoritas. Sic enim Paulus; *Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Loquitur autem de veris & à Deo missis prædicatoribus. Quot enim sunt surreptitij, hoc præsertim nostro deplorando seculo, qui prædicant, licèt non mittantur? quot impostores qui sibi Deum in secreto loquutum sacrilego mendacio fingunt? quot mulierculæ, quæ nonnunquam visiones se videre asserunt, & tam se quàm alios malè credulos sæpè dementant? De iis, inquam, & de signis, quibus certa visio ab illusoria discernenda sit, erit nobis aliquando sermo longior & accuratus instituendus. Iam verò de iis tantùm agimus, per quos nobis in Ecclesia mentis suæ arcana manifestat Deus. Alterum est quod præmitto; Deum ad homines duplici ratione suos expedire Legatos: aliquando enim mittit ad nos nuntios suos homines, per alios homines: eaq; missio vsitata est & ordinaria.

Vide Dominic: 4. Aduent. Conc: 2.

Per legatos suos agit nobiscū Deus.

Rom: 10. 15.

Missos vel per homines ordinariè.

dinaria. Quandoq; eos destinat per seipsum immediatè: quod est rarum admodum & extraordinarium. Vtramq; expressisse mihi videtur Apostolus paucis verbis, imò & tertiam addidisse improbam, illegitimam & peruersam. Verba Apostoli sunt: *Paulus Apostolus nō ab hominibus, neq; per homines, sed per Iesum Christū & Deum Patrem.* Triplex hic notatur missio. Prima non à Deo, sed *ab hominibus*, id est à solis hominibus, sine Deo. Talis est omnium hæreticorum & pseudo-prophetarum, de quibus conqueritur Deus apud Hieremiam: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Altera missio est, nō quidem præcisè ab hominibus, vt fuit prior; est enim à Deo, verùmtamē *per homines*. Hanc secundo loco posuit Paulus, & pulchrè distinxit à priore, vt patet legenti. Et hæc missio bona est & ordinaria. Postrema verò est optima, sed extraordinaria: *Per Iesum Christum & Deum Patrem*, quæ fit immediatè à Deo: quam in se deriuat Apostolus, quantùm ad prædicationē Euangelij. Nam quantùm ad Episcopatum, per homines illum habuisse ostendam aliàs.

Vel immediatè à se extraordinariè.

Gal: 1. 1.

Hier: 23. 21.

Noster igitur sermo erit, & in hac & in duabus sequentibus Dominicis, de hac postrema legatione, quam Deus ad homines, ne errent in fide, per seipsum immediatè expedit. Inuestigabimus autem signa euidentissima, quibus velut Regiis insignibus vel diplomatibus authenticis Deus huiuscemodi nuntios ornat;

De extraordinaria legatione hic agi.

nat;

nat; vt per has velut vestes & symbola fideles eos clarè cognoscăt, ne vnquam à pseudo-prophetis decipiantur. Prima itaq; vestis qua eos vestit, & primum sigillum, quod literis quas vocant fidei, illis datis appendit, sunt MIRACVLA. Absq; his enim, nullum vnquam eius ordinis nuntium à se proficisci Dominus permisit. Miraculi nomine autem hic accipio, non solùm facta, quæ omnem naturæ ordinē excedunt, verumetiam dicta atque adeò prophetias, quæ non nisi Dei ipsius virtute suggeri & sciri possunt: proinde apud Prophetam legimus. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Hoc miraculorum signum tam antiquum est; vt cum ipso mundo ortum habuerit, adoleueritque; ac nō nisi cum ipsius interitu finem sit habiturum.

Cuius signum primum miracula.

Isa: 41.23.

II. MIRACVLA. Signū celeberrimū in quauis lege. Quod probatur. 1. Ex lege naturæ.

Meritò igitur signum miraculorum à nobis primum ponitur, quia ab ipso Deo in capite cuiusuis legationis & legis est collocatū; meritò celeberrimum dicitur, quia per omnes ætates increbuit & celebratum est. Ostendit id omnis antiquitas è sacris eloquiis petita. Ab initio primæ legis; quæ fuit naturæ, primus fuit Adam omnium parentum ipse Parens, ideoq; Doctor & Magister omnium posterorum. Hunc fuisse Prophetam, & illa verba: *Quapropter relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carne vna*; instinctu Dei pronuntiasse, Christus Dominus testatur. Adami nepos *Enos iste cœpit in-*

Gen: 2.24
Mat: 19.5.
Gen: 4.26

pit inuocare nomen Domini, tanquam à Deo miſſus, ad declarandum & augendum cultum ipſius. Cui omnes obediebant. Quartus ab eo fuit *Enoch*, de quo ſcribitur: *Ambulauitq́, cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Magnũ miraculũ. Enochi pronepos fuit Noë prophetes eximius, cui qui obedierunt, ſaluati ſunt; qui verò contempſerunt, omnes aquis diluuij perierunt. Poſt diluuium ſecuti ſunt Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Patriarchæ: qui omnes Prophetæ fuerunt Dei altiſſimi, quia & Deus loquebatur cum eis, & ipſi diuina oracula & promiſſa alios edocebant, vſq; ad Moſen. Quo tempore intermedio licèt non extet tam clarè, per quos & Deus loquutus ſit ad populum, & miracula patrarit: tamen quia neq; legitur contrarium; ex dictis iudicare poſſumus, nec tunc defuiſſe aliquem à Deo miſſum addita illi gratia, vel prophetiæ, vel miraculorum.

Gen: 5. 24.

Gen: 5. 29.

2. Ex lege ſcripta.

Princeps alterius legis quæ ſcripta nuncupatur, fuit Moſes magnus Propheta, ab ipſo Deo immediatè ad populum illum miſſus: qui ſciens regulam hanc infallibilem, videlicet nemini qui ſe miſſum à Deo aſſereret, credendum eſſe, niſi faciat miracula, ſic alloquitur Deum; *Non credent mihi, neq́, audient vocem meam, ſed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Quid ad hæc Deus? Portentis virgæ verſæ in colubrum, & iterum reſtitutæ; manus factę leproſæ & rurſum ſanatæ, munit eum & addit; *Si*

Exo: 4. 1

non cre-

non crediderint tibi, nec audierint sermones signi prioris, credent verbo signi sequentis. Acsi diceret: Scio non credituros, quia nec tenentur credere, nisi signa facias; habe ergo quæ tibi fidem concilient prodigia. Quæ postmodum per Mosen quo pacto multiplicata fuerint coram Pharaone in Ægypto, & populo Israëlitico in deserto; legitis è libris illius quatuor. Verùm ignoro an omnes id annotaueritis quonam modo hanc regulam & signum seu indicium veri Prophetæ muniuerit Deus; Audite igitur quid dicat per eundem Mosen: *Quòd si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est loquutus? Hoc habeas signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est loquutus: sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Ex hac euidentissima diuina regula multa habemus. Primùm, quærenda esse signa vel prophetiam ab eo, qui se dicit missum immediatè à Deo. Secundùm, si fefellerit semel, ampliùs non esse audiendum. Tertiò, habemus originem pseudo-prophetarum, quæ non est alia quàm superbia & tumor animi illorum. Postremò edocemur non esse timendum talem, sed occidendum. Nam ibidem Deus edicit vt *interficiatur.*

5. E regula diuina notanda.

Deut: 18. 21.

Hanc à se regulam ita Deus in illo testamēto seruauit exactè; vt omnes qui ab illo extraordinariè missi fuerant, siue prophetiis, siue mira-

4. Exēplis varij generis in illa lege.

miraculis, siue vtroq; fuerint insignes. Ideoq; propter diuinas reuelationes, quarum erant conscii, Videntes dicti sunt. Erant autem in eo genere insignes non solùm viri, sed & fœminæ, non inferioris tãtùm ordinis homines, sed & Reges: & omnia quæ prædixerunt opere expleta sunt; nisi talia fuissent, quæ mortalibus ad terrorem proposita, postmodum placato Deo, mutata fuerant. Recẽseamus quosdam hac ratione à Deo missos. Sit prima *Debora* prophetissa, quæ prædixit & victoriam Baraco, *& Sisaram principem exercitus Iabin* Regis inimici Israëlis à fœmina mactandum: quorum vtrumq; euenit. Debora autem *iudicabat populum in illo tempore*, tanquam à Deo missa, vt dubia occurrentia nomine ipsius dissolueret. Sequitur *Anna*, quæ & Samuelem precibus à Deo impetrauit, & edidit canticum prophetiis plenum. Ipse verò Samuel eius filius, ad restaurandam gentem illam afflictam, & in fide auita confirmandam, à Deo immediatè missus, quid non vidit? quid non prædixit? quomodo Reges creauit, & exauthoratos puniit, & post mortem etiam prophetauit? Succedunt ei *cunei Prophetarum*: deinde Dauid quem Samuel in regem vnxit, cuius filius fuit Salomon: vterq; & rex & Propheta, mysteriorum diuinorum peritissimi, in eis præcinendis & celebrandis penè infiniti: quæ partim sunt expleta in Christo, in reiectis Iudæis, in receptis gentibus, in dilatata vera religio-

Iud: 4. 5.
1. Reg: 1. & 2. cap.
1. Reg: 3. &c.
Eccl: 46. 23.
1. Reg: 16. 13.
1. Reg: 28. 14.

religione per totum orbem: partim pòst futuris temporibus, eorum veritatem comprobabit euentus. Reliquos Prophetas & à Deo
2. Re: 12. 1. verè missos legatos quis enumerabit? *Nathan,*
3. Reg: 11. 30. *Abiam, virum Dei de Iuda.* (non enim proditur nomen) *Eliam Thesbitem, & Eliseum* maximos
3. Re: 13. 1. Prophetas, *Michæam & alios.* Horum aliqui suas prædictiones integris voluminibus complexi sunt. Aliqui præterea mira, naturæ ordinem & vim excedentia, patrarunt. Alius manum regiam impiè contra se extentam arefe-
3. Re: 13. 4. cit & restituit, aram idolis dicatam diffodit.
3. Re: 17. 1. Luc: 4. 25. Elias tribus & amplius annis cœlum clausit ne plueret: ignem euocauit è cœlo, qui aqua per-
3. Reg: 19. 38. fusam immolatitiam carnem absumpsit, & bis quinquagenos satellites flammis è cœlo demissis puniuit, ad extremũ ipse curru igneo
4. Re: 1. 10 è mortalium conspectu sublatus est. Eliseus
4. Reg: 4. &c. guttis aliquot olei vasa plurima impleuit: leprosos, ne visos quidem sanauit: ferrum è fundo fluminis eduxit: eiusdem vita functi cada-
4. Reg: 20. 7. uer mortuum, vitæ reddidit. Isaias Regi vitæ spatium ad quindecim annos protraxit, solisq; cursum decem retrò gradibus egit. Aliis ine-
Dan: 4. & 5. & 14 cap. rat potestas futura prædicendi, somnia interpretandi, ora leonum claudendi, in ventre piscis hymnos decantandi. Neque tamen hisce
Ionæ 2. limitibus circumscripta esse Prophetiæ miracula. Plura fuisse, quam quæ sunt literis consignata, nemo fidelis dubitabit. Iam ad Nouum testamentum veniamus.

Caput

Caput & author legis gratiæ, est Christus Dominus, idem qua verus homo, à Patre, salutis nostræ assertor in mundum missus. De quo Moses: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Qua verus Deus, ipse quoq; alios immediatè mittit, & ne in minimo regulam hanc violaret, & ipse miracula facit, & quoscunque mittit, eadem signa illis attribuit. De ipso igitur tanquam Messia, audite Euangeliũ, & admiramini diuinam prouidentiam. Arbitror enim nihil euidentius aut potentius ad nostrum propositum, hoc facto Ioannis, & responsione Christi cogitari posse. Res ita se habuit. Misit ad IESVM IOANNES vt pareret Mosi, qui præceperat dicens: *Ipsum audies.* misit autem è VINCVLIS DVOS DE DISCIPVLIS SVIS. Causam recensui. Iam legationem de quęstione omnium grauissima audi. AIT enim Christo: TV ES QVI VENTVRVS ES, AN ALIVM EXPECTAMVS? Quid ad hæc Christus? Non vtiq; allegat: Benè hoc notum esse Ioanni, qui se luculentè adhuc in vtero clausus, & postea dum cœli aperti sunt longè luculentiùs agnouit, digitoq; monstrauit dicẽs: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Reuerterẽtur itaq; nuntij, & ab eo testimonium veritatis acciperent. Neq; vt alias dicenti mulieri Samaritanæ; *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus*, apertè se prodidit; *Ego sum qui loquor tecum.* Nihil inquam horum discipulis

Sequitur lex gratiæ.

Deut: 18. 15.

5. Probatur signum miraculorum illustri exemplo in Euangelio hodierno.

Ioan: 1. 29

Ioan: 4. 25

Ioannis respondet; sed quasi aliud agens (id enim nonnunquam in more habuit, vt videre licet in historia de muliere in adulterio deprehensa) incipit ægros sanare, cœcos illuminare, leprosos mundare: & tandem respondēs IESVS AIT ILLIS: EVNTES RENVNTIATE IOANNI, QVAE AVDISTIS ET VIDISTIS, COECI VIDENT. &c. Posset alicui videri, nec vnicum hic verbum ad propositā quæstionem dici. Verùm diligentiùs consideranti, omnia non solùm verba, sed & facta, ita sunt ad rem, vt nihil magis. Depromit enim Christus Dominus omnium quæ haberi possunt potentissimum argumentum, ad ostendendum se esse illum QVI VENTVRVS erat, miracula scilicet coram illis edita, ad comprobandum se esse Messiam, vt hac ratione aut crederent, aut coram Deo, Angelis eius, & Ioanne, nullam infidelitatis suę excusationem prætendere possent. Nam si respōdisset Christus, Ego sum; Poterant idem quod alij allegare; *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*: poterant non credere, sicut neq; Ioannis præceptoris sui grauissimo testimonio credere voluerunt. At miraculis necessariò eos oportuit assentiri, nisi obstinatè & impudenter increduli haberi voluissent. Quo crimine infidelitatis disertis verbis alicubi Christus damnat Phariseos inquiens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Nam vt vt est de aliis peccatis, quibus ple-

Ioan: 8. Luc: 7. Ioan: 8. 13. 6. Ipsius Christi testimonio. Ioā: 15. 24

bus pleni erant; ab infidelitate certè fuissent excusati, si miracula Christus, qui se à Deo Patre missum asserebat, non fecisset. Quare? quia lege diuina, per Mosen lata, cautum erat: nemini sine hoc miraculorum testimonio, qui se Dei nuntium immediatum affirmaret, credi debere. Huic legi adeò se lubens Christus subiecit; quòd nec sibi aliter credi voluerit, nec iis qui postea profecti sunt ab eo vulgandi Euangelij causa. Nullum enim misit vnquam quem hoc priuilegio non muniuisset. De duodecim Apostolis D. Lucas ait: *Cōuocatis autem duodecim Apostolis dedit eis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.* Deinde misit alios septuaginta duos, cum eadem potestate curandi infirmos, & annuntiandi Regnum Dei. Denique ipsa etiam exequutio describitur, cùm dicitur: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quibus signis? Quis ea recensebit. Si magna Veteris, maiora equidem sunt Noui testamenti. Ex quibus Paulus, & ipse à Christo IESV immediatè vt audistis missus, alios à dæmone vnico verbo liberat; alios longè absens dæmoni tradit in potestatem: in tertium cœlum rapitur, vbi arcana quæ non licet loqui, audit: orans & psallens per noctem portas carcerum effringit, cathenas & compedes soluit; verbo Magum excœcat. Princeps Apostolorum Petrus clau-

Deut: 18.

7. Exēplis missorum à Christo.

Luc: 9. 1.

Luc: 10. 1.

Mar: 16. 20.

Gal: 1. 1.
Act: 16. 8.
1. Cor: 5. 5.
2. Cor: 12. 2.
Acto: 16. 25.
Act: 13. 11

Acto:3. 7. trus, claudum à natiuitate pedum agilitate im-
Acto:5. 5. pertit, Sapphiram cum marito verbo extin-
Mar:6. 13 guit. Alij iussu Christi oleo omnes infirmita-
Ioan: in Apocal. tes sanant; visiones stupendas in vulgus enũti-
ant: Imò quod nec ipse Filius Dei fecisse legi-
Act:19.12 tur; *Pauli sudaria vel semicinctia,* & Petri sola *vm-*
Act:5. 15. *bra* omnes infirmos sanat & dæmones eiicit.
Quare? vt esset extra controuersiã, & orbi toti
constaret, eos ab ipso Christo Deo ad manife-
standam & prædicãdam veritatẽ missos fuisse.

2. Rationibus è scriptura pro necessitate miraculorum.

Ex his igitur euidenter colligitur, quanti
momenti ad cõfirmandam fidem semper fue-
rint miracula, ac in posterum vsq; ad consum
mationem seculi sint futura: adeò vt per an-
1. tonomasiam vocentur testimonia Dei, & à
Mar: Vlt. Christo præferãtur aliis omnibus testimoniis.
Hebr:2.4. Quid excellentius Ioanne Baptista, PLVS
2. QVAM PROPHETA? & tamen non est tan-
ti eius de Christo Messia testificatio, quanti vis
Ioan:5.33. miraculorum. ipso Christo teste: *Vos*, inquit
Dominus Iudæis, *misistis ad Ioannem & testimo-
nium perhibuit veritati. Ego autem habeo testimoni-
um maius Ioanne. Opera enim quæ dedit Pater vt
perficiam, ea ipsa opera quæ ego facio testimonium*
3. *perhibent de me, quia Pater misit me.* Tanti præte-
rea valoris sunt miracula ad confirmandam
missionem verè à Deo factam; vt ipso Christo
iudice fuissent excusati Iudæi ab infidelitatis
4. crimine, si ea non fecisset Dominus. Tanti ad
NOTA. extremum, vt & Prophetæ & Apostoli, hoc
Ioã:15.24 quasi maximè solido argumento vsi fuerint,
ad de-

ad demonstrãdum se esse missos à Deo. Hinc Helias inquit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te & quinquaginta tuos*; quod statim factum est. Hinc D. Petrus sanato claudo plusquam quadragenario, Iudæis repletis *stupore & extasi* respondet: se hoc opere testari voluisse, & quòd à Deo esset missus immediatè, & quòd verè prædicaret Christũ surrexisse à mortuis. Ac si diceret: Scitis vos, *viri Israëlitæ*, Deum quando quempiam per se mittit, ad veram suorum nuntiorum missionem confirmandam, semper vti miraculis. Cùm igitur videatis, *non nostra virtute aut potestate*, sed *in fide nominis eius*, id est ad confirmandam fidem illius, quem vos crucifixistis, solius Dei virtute, nos rem inauditam perfecisse: vtiq; debetis iis, quæ vobis veraciter de resurrectione & aliis mysteriis Christi Domini annuntiamus, fidẽ adhibere. *Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Hinc deniq; D. Paulus inquit: *Existimo nihil me minus fecisse à magnis Apostolis.* Et postea vrget: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Quasi dicat; cùm alia multa, tum illud miraculum recens, quo vnum ex vobis, licèt absens, tradiderim sathanæ *in interitum carnis*, sufficiat vobis ad ostendendum me esse missum à Deo: plura non quærite.

4. Reg: 1. 10.
Act: 3. 16.
2. Cor: 11. 6.
2. Cor: 13. 3.
1. Cor: 5.

III. PVNC. Vbi reperiatur signũ miraculorum.

Illustris igitur & verè è sacris literis deprompta est hæc nota; certa & infallibilis tessera, qua Deus Optimus Maximus quemlibet à se imme-

immediatè missum, munit adornatq́;: nota inquam Miraculorum; tam antiqua, quàm antiquus est mundus; tam celebris, vt nulla ætas ea caruerit: tam necessaria, vt quicunque sine ea se à Deo missum iactaret; non solùm audiendus non esset, verumetiã è medio tollendus iussu Domini. Iam verò perpendendum & inuestigandum erit nobis, & vbinam reperiatur, & quomodo inde Ecclesia Christi cognosci possit. Non clarere miraculis hæresiarchas nostri temporis, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, Gentilem, Seruetum, Suenckfeldium, & quicunq; sunt eorum circumuenti fraudibus, tam clarum est; vt probatione non egeat: cùm ipsi non solùm id fateantur; sed etiam defendant & contendant, se ad facienda miracula obligatos nõ esse: tum quòd is quem præ manibus in Euangelio habemus, IOANNES, nil horum fecerit, licèt ab ipso Deo immediatè fuerit missus: tum quòd ipsi reformatores tantùm sint Ecclesiæ, & antiquam instaurent fidem; vt meritò ad noua mira edenda non teneantur. Verùm animaduertite quæso vicissim eorum cœcitatem & malitiam. Quæ enim maior vel excogitari potest cœcitas, quam adeò insignem lucernam eiusq; lumen non videre? Ioannes Baptista Christo teste, fuit *lucerna ardens & lucens*, in quam tamen hæretici impingunt. Ita Ioanni præstò fuerunt miracula; vt bene quidam dixerit illum purum fuisse miraculum. Miraculosè

Deut: 18.

Non apud hæreticos.

Obiiciunt Ioannem.

Arguitur eorum cœcitas.

Ioã: 5. 35.

loſè conceptus, miraculoſè in vtero matris e-xultans, miraculoſè in lucem editus, matre prophetante, patre muto ventura loquente. Mirabiliter inter agreſtes & ſegreges feras educatus, & cum hominibus verſans: deniq; poſt martyrium miraculis decoratus. Malitia verò quanta eſt iſtorum hominum, qui nec Prophetæ, nec Domino Prophetarum parcũt? Zacharias pater Ioãnis illum *Propheta altißimi*; Dominus Prophetarũ PLVS QVAM PROPHETAM nominat. O Euangelici, itané creditis Euangelio?

Et malitia

Luc:1.76.

Dicetis ſcriptum eſſe, quia *Ioannes quidem ſignum fecit nullum*. Addam ego quid amplius, ne ſolius vulgi Iudaici authoritate minus firma nitamini, quod idem D. Ioannes (vt poſt octiduum planius audietis) interrogatus à Sacerdotibus & Leuitis, *Propheta es tu?* Reſpondit: Non. Arguetiſné ô hæretici, vel Zachariam, qui illum Prophetam altiſſimi aſſerit, vel ipſum etiam Filium Dei, qui PLVS QVAM PROPHETAM vocat, mendacij, eò quòd ipſe Ioannes, id de ſe neget? Sed enim omnia ſunt iſta vera, ſi ſanè intelligantur. Non fuit Ioannes Propheta talis, qualem ſibi imaginabantur obliquâ mente Iudæi: fuit Propheta, imò PLVS QVAM PROPHETA, quia ſumma myſteria pandebat, quia Meſſiam vulgo latentẽ digito monſtrabat, quia futura prædicebat. Nõ fecit miraculum vllum Ioannes tale, qualia Chriſtus infinita patrauit; non reſtituit

Et imprudentia.

Ioã:10.41.

Ioan:1.21.

COECIS visum, CLAVDIS gressum, leprosis sanitatem, surdis auditum, vitam mortuis, quod fecisse Christum audis in Euangelio. Nil inquam horum fecit Ioannes: verumtamen & ipsius ortus & progressus vitæ insignis, & prophetia eius vtiq; signum illustre fuit. Prophe-

Deut: 18. 22. tiam enim inter signa ponit Deus, sic loquens Mosi; *Et hoc habebis signum quòd miserim te: Cùm*

Exo: 3. 12. *eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* Quid hic est aliud præter prophetiam? & tamen signum vocatur à Deo. Ioannem verò prophetasse toties ostēdimus. Addam & aliud ex eodem loco, in quo turpiter hallucinati sunt hæretici. Pergunt enim

Ioā: 10. 41 Iudæi dicere: *Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc,* (id est de Christo) *vera erant.* Prophetauit igitur Ioannes, & quod prophetauit en euentu comprobatū esse, tui testes, ò hæresis, asserunt. Quid adhuc obturas aures incredula?

Reformationem allegantes, cœci sunt. Sed & alterum illud hæreticorum effugium, iisdem eos contaminat næuis, cœcitatis, mendacij, impudentiæ. Cœci sunt, quia non vident prophetas illos, quos plurimos recensuimus, non authores, sed reformatores tantùm fuisse Ecclesiæ, ac interpretes voluntatis & legis diuinæ. Cùm ergo ipsi hæretici se quoq; reformatores Ecclesiæ Christi, & veros, latentium scripturæ sensuum, interpretes vocent, signa & miracula, vel prophetias saltem edant, necesse est, vt omnes reliqui fecerunt. Nam aliàs apertissimè ostendunt, se non

missos

missos à Deo, sed pseudo-prophetas esse. Mendaces sunt, quia mēdacium est nimis crassum, eos antiquam docere fidem, quam quotidie nouam pro arbitrio comminiscuntur. Est verò etiam malitiosa & sophistica responsio, quia suo modo mutant statum causæ & quæstionis. Nos enim hactenus adductis testimoniis probauimus, viros immediatè à Deo missos, vel prophetia, vel aliis prodigiis fuisse cōspicuos: illi verò se nescio quorum reformatorum ambitioso titulo colorant, vt incautis illudant. Atqui nonnè gloriationes vestras impudentes, quòd à Deo missi sitis legimus in scripturis vestris? Nonnè audimus passim à ministris, hæc vel his similia? ego ab ipso Deo missus sum, vt veritatem annuntiem, minister Christi sum; ad prædicandum purum putum Euangelium Spiritus sanctus me misit & adimpleuit. Nonnè in illa verba iidem erūpunt? [Mea doctrina non est mea sed Christi] Hæc expositio est Spiritus sancti. Quænam ista est impudens iactantia? Si tales estis, si à nemine præterquam ab ipso Deo pēdere vultis: astruite dictis fidem, proferte legitimum pro missione vestra instrumentum: Videat orbis, cuius authoritate fulti prorepsistis ad docendum. Quod si non facitis: per legem diuinam exterminemini, & pereat de terra memoria vestri. Vos verò qui ab illis decepti estis, resipiscimini obsecro, ne cum perditis pereatis.

Mendaces

Sophistæ.

Impudentes.

Impoſtores

De Luthero Staphilus in Apolog: contra Smidelinum.

De Caluino Bolſecus in Vita ipſius, cap: 13.

Pſeudo-prophetæ.

Preſſit hæc olim argumentatio Lutherum: & coëgit, vt & ipſe dæmones ab obſeſſis fugare tentaret: ſed quam formidoloſo euentu, teſtis oculatus prodidit. Coëgit & Caluinum, vt ſubornaret hominem viuum, qui ſe pro mortuo gereret, & ſurgere iuſſus, reſuſcitati præberet ſpeciem. Sed patuit fraus, impoſtore verè extincto. Neque Prophetiarum ſe voluit expertem videri Luther. Vnam celebrem, & olim, dum inter illos degerem, in circulis & triuiis decantatam, ridiculam & deliram Lutheri de interitu Papæ vaticinationem accipe. Num quid in ea fidei? Iam & ipſe fœdus Luther putere deſiit, & hæreſis eius ab aliis hæreſibus veluti vermibus ex ea ſcatentibus corroſa, nil niſi putre cadauer iacet: Papæ autem & Romanę Eccleſię authoritas ita enitet; vt vix vnquam clarior fuerit. Quod enim in Germania, Gallia, Polonia, & alibi illi deceſſit, id in nouo orbe multiplici fœnore reſtitutum ſciunt & hæretici, tabeſcuntq; inuidia. Nunquam enim adeò vber ad Romani Pontificis iuriſdictionem facta eſt acceſſio; quando tot numeroſi populi in Indiis, America, Peru, Mexico, Braſilia, in Iapone, in inſulis Philippinis, & aliis infinitis, apud Chinas deniq; ſub eius ditionem conceſſerunt. Nouit Chriſti benignitas ſuum & Vicarij ſui honorem promouere, ex idololatris pios Chriſtianos formando: quando ſathan ex piis olim populis; impios effecit apoſtatas. ſed de men-

daciſſi-

dacissimi Arioli vanissima gloriatione satis.

Hæc verò dilatatio Catholicæ Romanæ religionis (vt ad alteram antithesis propositæ partem veniamus) euidens est Diuinæ erga eam prouidentiæ argumentum, & simul non vulgare miraculum. Quis enim tam longè dissitas & feras gentes sub iugum Christianũ humana ope misisset? Et quia instituti mei est, scripturam vrgere tantùm, non ero prolixus in aliis recensendis: tria tantùm in vniuersum, & duo particularia & domestica miracula, notatu sanè digna afferam. Primum est, viguisse omni ætate & vigere hucusq; in Romana Ecclesia omnis generis signa, miracula, prophetias, & similia testimonia Dei, per eos etiam præstita, qui exhibere illa minimè sunt obligati: quandoquidem non immediatè à Deo, sed per homines mittebãtur, quales prodigiorum testificatione non egent. Alterum quod meo iudicio maius est, adeò in Ecclesia Romana miracula viguisse, & increbuisse; vt mihi persuadeam, nullum esse fidei Catholicę articulum, tam primo aspectu exiguum, qui peculiariter non fuerit miraculis illustratus & confirmatus. Tertiò insuper, in eo benignitas summa Saluatoris nostri Iesu apparuit, quòd ea miracula multò ante præmiserit confirmãtia dogma quodpiam, quàm hæreses illud oppugnare cœperũt: multoq; ante parauerit antidotũ, quàm se venenata doctrina effunderet.

Ostenduntur vera miracula in Ecclesia Romana, & diuina erga eam cura singularis.

Tria Nota.

1.

2.

3.

Duo particularia & domestica sufficiant exem-

Domestica miracula.

1. De reditibus Ecclesiasticis

exempla. S. Stanislaus Episcopus Cracouien: virum nobilem Petrauinum, triennio antè vita functum, è sepulchro suscitauit, & duxit per multa passuum millia ad Tribunal Regiũ, vt pro eodem Episcopo, calumniis Principis & hæredum suorum oppresso, sententiam diceret, & testificaretur, quòd ei pagũ suum, pro Ecclesiæ Cracouiensis reditibus pleno iure accepta pecunia addixisset. Non magni momenti prima fronte causa videretur fuisse tanti miraculi. Sed qui diuino suo intuitu ventura prospicit; præuidit vtiq; post quadringentos circiter annos orituram hæresim Hussi, quæ assereret illicitè & contra legem Christi ab Ecclesiasticis bona temporalia possideri. Itaq; in Concilio Constantiensi inter cætera arma, quibus Hussica impietas iugulata est, exemplum S. Stanislai fuit. Sed & alia fidei Catholicæ capita, eo miraculo sunt confirmata, nempè sacrificium Missæ, S. Trinitatis mysterium, ieiunia, supplicationes, & alij pij ritus, è quibus nunc petulantes hæretici festiuos captant risus, quos tamen D. Stanislaus ad tantam rem audendam vt adiumenta adhibuit. Purgatorium quoq; clarè assertum, in quo se fuisse suscitatus fassus est; & orationes ac sacrificia petiit à Præside.

2. De Eucharistia.

Præterea Posnaniæ ante ducentos annos hostia sacrata impiis Iudæis vendita, & ab iis puncta, scissa, lacerata, dum vberem emitteret sanguinem: nec tamen siue ferro, siue aliò

quouis

quouis modo, à *gente peccatrice semine nequam,* *Isa: 1. 4.*
comminui obteriué posset: tandem in locum palustrem suburbanum ab eis proiecta est: vbi cùm variis luminum ac aliorum prodigiorum indiciis inuenta fuisset; permouit pium Poloniæ Regem Casimirum, vt in eodem loco magnis impensis exsiccato, amplissimum templum extruendum curaret: quod cum eximia omnium deuotione frequentatur, ipsaq; inuentæ sacræ hostiæ vestigia hucusq; visuntur, neq; deest gratia curationum. Huius verò miraculi, quæ alia causa fuit magis in promptu, quàm diuinæ prouidentiæ suauis dispositio? Vt populus Polonus haberet præsidium contra perfidas opiniones, quæ nostra tempestate has peruaserunt oras, quòd in hostia consecrata solùm sit corpus, non autem sanguis Christi: quòd vsus Eucharistiæ sub vna specie sit illicitus: quòd in hoc sacro mysterio non contineatur verum corpus Christi; quorum primus Hus; alterum cum Husso Lutherus; tertium Zuinglius cum Caluino, suggerente malo dæmone, euomuerunt. Quæ omnia vel hoc illustri miraculo, vt luce meridiana tetra caligo dissoluũtur. Ipsi etenim Ecclesiæ parietes monumentum rei gestæ sempiternum, clamant, conuincuntq; rebelles Deo & Ecclesiæ. Grata modò & memor sis æternum tanti beneficij Polonia, nec attende blasphemas Nouatorum voces. qui eiuscemodi ostenta diuinitùs facta, præstigiis quandoq;

Blasphemi hæretici, more Pharisæorum.

doq; solent adscribere, quandoq; ea conficta mentiuntur. Neq; enim secus egerunt olim scribæ, aut alio loco diuina Christi opera habuerunt, cùm audiret ab illis: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.*

Dati in reprobum sensum. O quanta vos, qui talia contra Catholicam veritatem creditis, manet condemnatio! reuertimini, obsecro, vnde excidistis, & nolite veritati obdurare aurem vestram. Si ministri vestri ab impia dicacitate non sibi temperant, *Rom:1·28* quia dati sunt *in reprobum sensum* propter suam pertinaciam: Vos qui ab iis seducti estis, ne 1. Quia blasphemant. tam profundo inuoluimini malo. Videte enim, obsecro, quàm reprobè & impiè, primū miracula diuina dæmoni adscribuntur. & 2. Fidē veram peruertunt. quid hoc blasphemum magis? Deinde quàm stultè historiis non creditur, quæ confutant hæresim, quæ Romanæ Ecclesiæ vetustatem NOTA. luce clariùs arguunt: & creditur aliis, quæ pro nouitate Lutherana facere videntur. Miraculis, quæ Annales nostri pandunt, statim plenis buccis reclamatur, vt Papistica cōmenta reiiciuntur. At contra si quid in eadem pagina de rebus gestis superiorum temporum annotetur, quod obesse posset doctrinæ Catholicæ, id auidè arripitur, intrepidè creditur, magnis clamoribus pro concionibus vulgo recitatur. Quis tam absurdam, & totum fidei ordinem penitus euertentem, obstinationem non demirabitur? Fidei natura est inniti veritati: illi verò contrà volunt, veritas fidem vel

persi-

perfidiam, potius eorum, comitatur, cui quicquid placet, verum iudicatur; quicquid displicet, vt falsum reiicitur. Numquid hoc ex maleſano capite,& volũtate à vero penitus auerſa non procedit? Tertiò,impiè & per extremam cœcitatẽ Eccleſia veritatis luce ſplendens non agnoſcitur, ſynagoga verò tenebris mendaciorum obſita,pro Eccleſia acceptatur. Nam ex dictis ſole meridiano clariùs eſt, vbinam ſit & vbi non ſit Dei Eccleſia. Deus enim in veteri teſtamento,& dictis & factis teſtatus eſt, ſe nullum miſſurum ſine miraculis. Dei filius in nouo idem & ipſe præſtitit, & à ſe miſſos miraculis inſigniuit. Spiritus ſanctus in Actis Apoſtolorum, hac eadem nota præſentiam ſuam aſtruit. Vnde Agabus numine plenus de Paulo prophetat: *Hæc dicit Spiritus ſanctus, virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi.* quod & factum eſt. At hæretici clamantes ſe à Deo Patre, à Filio, à Spiritu ſancto miſſos eſſe, nullũ tamen tam grandis aſſertionis vnquam dedere ſpecimen, nullum argumentum. Contra verò in Eccleſia Catholica etiam illi qui conſtricti non erant ad facienda miracula, quia non gloriabantur ſe immediatè a Deo miſſos eſſe; nihilominus ea dederunt, & futura prædixerunt. Et tamen cœcatis oculis & mentis & conſcientiæ, meras impoſturas loquentibus creditur: viris Apoſtolicis diuinâ ſyngraphâ inſignitis, fides non adhibetur? Quid eſt,oro,cœcutire & inſanum

3. Dum Eccleſiam illuſtrem nõ vident.

Act. 21. 11.

ſanum, eſſe, ſi hoc eſt videre & ratione vti? Oſtendant ex totis Bibliis, imò etiam ex probatis hiſtoriis, vel vnum ex eis, quos Eccleſia tanquã ab ipſo Deo miſſos recepit, miracula nõ feciſſe. Oſtendant è ſuis vel vnũ ea feciſſe. Quod cùm eis factu procliuè non ſit; quis malus genius eos inuaſit, vt è tam apertis errorum laqueis nolint expedire caput?

4. Dũ ſemper agunt Sophiſtas.

Sed inquiunt, & Antichriſtum facturum miracula. Non eſſe igitur hoc diuinæ miſſionis ſignum euidẽs. Primùm affirmo, vos ſemper eſſe ſimiles vobis ſophiſtas, mutantes ſtatum cauſæ. Nam duo hic ſeparatim quæruntur: Vnum, an qui mittuntur à Deo, ſigna edere teneantur: alterum, an ſi ea fecerint, illicò ſit illis fides adhibenda. Nos primum tota hac ſecunda concionis parte probauimus: de ſecundo nondum egimus. vos verò vtrũq; confunditis, & vt primum quo vrgemini declinetis, ſecundum veteratoriè intruditis. Affirmo ſecundò: vel potiùs ſacræ literæ clariſſimè affirmant, eum qui dicit ſe à Deo miſſum, & non ſibi conciliat miraculis fidem, pro pſeudo-propheta habendum eſſe. Vnde neceſſariò ſequitur, veſtros anteſignanos tales eſſe. Nam ſi prophetare auſus eſt Lutherus, & quod prophetauit non euenit, ſi ſe à Deo pro reformatore Eccleſiæ deſtinatum aſſeruit, & nullis eam aſſertionem oſtentis confirmauit; equidem edicto diuino non ſolùm non erat audiendus, ſed etiam vt ſacrilegus puniendus fuit.

fuit. Tertium est, quod pro certo haberi debet, si nobis constaret illum, qui mirabilium rerũ est effector, verè signa illa facere virtute diuina, deberemus illi credere, sicut credimus Ecclesiæ, quia certò scimus veris eam clarere miraculis. Verùm quia discernere inter vera falsaué miracula non est cuiusuis: proinde ne nos etiam priuati decipiamur, dedit pręter miracula, & aliam notam Deus summè misericors, qua veluti per lydium lapidem, ipsorum quoq; miraculorum veritas exploretur. Quæ verò sit ista nota, quodq́; vsus illius nonnisi in Ecclesia Catholica vigeat, post octiduum, dicemus.

Interea quæ dicta sunt, vno verbo concludo. Si quis à Deo se missum esse asserit, signis & miraculis id confirmet. alioquin mendax est, & minister diaboli certissimus. Sed etsi mirabilia operari videatur; necdum statim est illi fides adhibenda: adhuc enim aliud euidentius argumentum ab eo poscendum est, quo planùm fiat miracula eius esse verè diuina opera, non sathanæ illudentis vaframenta. Quodsi tali probatione destitutus fuerit; & ipse non secus ac magus & impostor est reiiciendus. Hanc liquidam & indubitatam veritatem, ista tota & sequenti de Fide concione confirmandam, vt ij quoq; aspiciant, quibus liuor & pertinacia mẽtis oculos suffudit, precor te Deum omnipotentem trinum & vnum, qui es æterna veritas. AMEN. Conclusio & scopus dictorum.

CONCIO TERTIA.

Spes.

A simili, quomodo Ecclesia à Spiritu S. regatur.

QVemadmodum ferrum, licèt origine & natura sua terreum sit & frigidum, in igne tamen ita candescit & flammescit totum, vt etiam alia contactu suo inflammet & exurat: ita prorsus Ecclesia Christi, quamuis ex hominibus constet, qui tum ex natura sua, tum è peccato frigidi sunt in rebus diuinis: nihilominus succensa igne illo, quem Seruator noster pollicitus fuerat, & in die Pentecostes misit, atq; in dies mittit, mitteta; vsq; ad consumationem seculi, iuxta verissima promissa sua: hoc inquam igne succensa, rebus iis quas ad excitandum teporem nostrũ adhibet, externis quasi vilioribus flammeum hunc vigorem impertit. Exemplum, præbent nobis ceremoniæ, quæ oculis corporis nostri obiiciuntur, etiam eæ, quæ nec adeò in speciem magnæ apparent: nec ad spiritum magnoperè pertinere videntur, vt sunt diebus Dominicis ita per annum ordinatis certa Euangelia & Epistolas assignare. Nihilominus tamen etiam ex hac accurata dispositione dierum, non parum ignis & caloris diuini se in animos nostros insinuat. Ecce quatuor sunt Dominicæ ante natalem Christi, quibus memoriam aduentus eius recolit, nec sine ratione tot non plures, quia totidem Aduentus

Luc: 12. 49. Act: 2. 3. Matt: 28. 20.

Ideò etiam minuta sanctè ordinat.

Vt apparet in his Dominicis Aduentus.

Domi-

Domini Iesv, reperiuntur in scriptura. Primus fuit inter nos, id est inter homines per carnem assumptam à verbo diuino: alter in nos, per inhabitantem gratiam Spiritus sancti: tertius ad nos, vel potius noster ad illum in discessu animæ nostræ à corpore: quartus ad iudicandū viuos & mortuos. De primo sic Propheta: *Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* De secundo ipse Saluator: *Et ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus.* De tertio Apostolus: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autē iudicium.* Cuius typum quoad vtramq; partem, bonorum scilicet & malorum, videmus expressum in historia de diuite & Lazaro; vti legimus & diuitem statim à morte in inferno esse sepultum, & pauperem in sinum Ahrahæ ab Angelis deportatum, præuio tamen proculdubio vtriusq; examine, ac diuino decreto. De quarto & vltimo Christi aduentu, multa testimonia allata sunt in prima Concione præcedentis Dominicæ, nec est cur in præsentia repetantur.

In quibus Christi quadruplex Aduentus recolitur.

Bar: 3. 38.

Ioā: 14. 23

Heb: 9. 27.

Luc: 16. 22

Huius igitur quadruplicis aduentus Christi Domini, sponsa eius & mater nostra Ecclesia sancta in hisce quatuor Dominicis, nobis filiis suis iugem & salutarem inculcat memoriam, tanquam rei apprimè ad salutem necessariæ: ac eundem in finem hæc Euangelia legit, sed ordine inuerso. Ab vltimo enim incipit, & in primo finit. Neq; hoc vacat mysterio. Incipit à memoria Aduentus Domini

Sed ordine præpostero non sine mysterio.

IESV ad iudicium, tum vt continuaret cœptam materiam Dominica vltima post Pentecosten: tum vt commendaret diligentem huius aduentus memoriam nobis sanè pernecessariam. Finit autem has quatuor Dominicas recordatione incarnationis Dominicæ, quam sacro illo, quod incipit Rorate cœli, & sanctorum Patrum desideriis repetitis apprimè inculcabat; & aggreditur, celebrare sanctissimam Natiuitatem ipsius, vt hîc quoque inchoata quodammodo cõtinuetur materia. Qua in re videtur mihi Ecclesia imitata esse *Matt:1. 1.* sanctum Matthæum, qui initio Euangelij sui describens genealogiam Christi, ideo primo loco posuit Dauid, postea Abrahamum (vt *D. Hiero: lib: 1. in Matth.* bene notat D. Hieronymus) ordine licèt præpostero, vt continuato Abrahami nomine, commodiùs generationis Christi series texeretur: ita omnino Ecclesia in Dominica natiuitati Christi proxima; & de præcursore eius Ioanne, & quomodo per illum omnia plana reddenda essent, id est vno verbo de primo aduentu Christi disserit. Quod verò ad Euangelia attinet, ex his clarum est, primum & vltimum secundum literam vtrique Aduentui competere, alia spiritualiter intelligentur.

Propositio tripartita tria pollicetur. Quare nos quoq; matrem imitantes, & Euangeliũ spiritualiter considerantes, de tertio Aduẽtu qui fit in agone agemus. Quodsi quis diuisionem concionis desiderat, hanc in totidem partes partiemur, quot Euangelium in se ha-

ſe habet; tres omnino. Circa primam, legationem videlicet D. Ioannis, conſiderabimus, quomodo in rebus aduerſis nos gerere debeamus. Ex reſponſione verò Chriſti diſcemus, quomodo ſpem certam ſalutis habere poſſimus. Deniq; ex illa Chriſti de laude Ioannis oratione, totoq; Euangelio, hauriemus vtile documentum, quomodo nos ad mortem & iudicium, quod eam ſtatim cõſequetur, comparare debeamus. Adſit Chriſtus Dominus, & ſpem viuam maximè in illa extrema hora, nobis donet, quodq; donauerit, ſtatim coronare dignetur.

Quod octaua abhinc die ſtrictim complexi ſumus; id nunc paulò copioſiùs nobis explicandum erit; differentia inquam inter ſpem viuam & mortuam. Id enim & ad continuandum quæ cœpimus, & ad intelligenda quæ dicenda ſunt, non parùm momenti afferet. Et omiſſis variis ſpei acceptionibus, quæ etiam in ipſa ſcriptura reperiuntur, vbi aliquando pro timore ſumitur, aliquando pro fide, nonnunquam pro hypocritarum vel impiorum præſumptione accipitur. Spes propriè dicta de qua diſſerimus, & vt à fide & aliis ſiue virtutibus, ſiue habitibus diſtinguitur, eſt quædam expectatio futuræ beatitudinis à Deo dandæ, ſi noſtra acceſſerint merita. Eſt autem ſpes alia mortua (ſicut & fides) quæ abſq; gratia Dei & adminiculo bonorum operum, hominem inani fiducia erigit. Alia viua, quæ chari-

Sed priùs ponitur fũdamẽtum de natura Spei, nẽpè

Quid ſit Spes.

Quæ ſit Spes mortua.

Quæ vera viua.

Vide D. Tho: 1. 2. q. 62. artic: 4. & q. 65. Artic: 4. charitate diuina informata, bona opera & merita habet. Mortua verò licèt eis careat, sperat tamen & proponit se ea acquisiturum. De mortua nescio an vnquam scriptura clarè loquatur: nec immerito, quia non nisi ad eam quæ propriè virtus est, cùm per alios, tum verò per Apostolos hortatur nos Christus Dominus. De qua sic princeps Apostolorum:
1. Petr: 13. *Regenerauit nos in spem viuam.* Qui dum viuæ spei mentionem facit, esse aliam mortuam non obscurè insinuat: sicut & fides viua mor-
Iac: 2. 17. tuaq; reperitur, teste D. Iacobo. Sed & Paulus indicat reperiri aliam haud bonam, quan-
2. Thes: 2. 16. do nos hortatur ad possidendam *Spem bonam in gratia.* Gratia enim idem est quod charitas, cuius præsentia bonam spem, absentia malam efficit. Sed sunt etiam alij effectus, qui spei insigniuntur nomine, cùm tamen à spe propriè dicta absint.

Exemplis declaratur quatuor Spei genera.

Exemplis hæc iucundiora fiant. Sit quispiam qui dicat se sperare salutem, si in fide & bonis operibus decesserit, is non spei propriè dictæ, sed fidei verum actum exercet. Certa
1. Improprium.
enim fide hæc conditionata creditur. Sit alius
2. Peruersum.
sepultus in vitiis, qui neque cogitet se ab illis expedire, & tamen asserat, spem se firmam habere, etiam si ita moriatur, salutem consequuturum. Iste non sperat, sed præsumptione, vitio pessimo in Spiritum sanctum delinquit.
3. Spei mortuæ.
Sit tertius æquè vitiosus, qui respondeat quidem intrepidè se omnino saluatum iri. Cæterùm

terùm non in tali ſtatu, ſed proponere ſe vitæ emendationem atq; pœnitentiam, eaq; ratione ſperare vitam æternam. Talis habet veram quidem ſpem, ſed mortuam. Si enim tunc è vita decederet, etiamſi hac ſpe prędita eſſet, damnaretur nihilominus. Sit deniq; alius qui bonis operibus iugiter intentus, *Sperat in Deo, & inſtat obſecrationibus & orationibus nocte & die,* qualem viduam vult eſſe Apoſtolus; talis ſpem veram, ſpemq; viuam habebit. Et hæc eſt ad quam nos ſacræ ſcripturæ hortantur. quæ teſte Apoſtolo *nos ſaluos facit*, hæc quæ *non confundit.* Et vt ſcias illum de hac ipſa loqui, rationem cur non confundat ſubiicit dicens; *Quia charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Vides quàm clarè expreſſit, vnde ſpes vigorem ſuum accipiat?

4. Spei viuę. 1. Tim: 5. 5. Rō: 8. 24. Rom: 5. 2.

Hæc igitur Spes, quomodo & quibus viis ac mediis à nobis haberi & retineri poſſit, docet nos ſacrum hodiernæ diei Euangelium: inprimis verò bonæ Spei firmamētum, nempe quomodo nos in aduerſis gerere debeamus. hanc enim artem ſi callemus, tutiſſimū iecimus bonæ Spei fundamentum. Docet autem id exemplo, & exemplo IOANNIS Baptiſtę, qui licèt eſſet vir ſanctiſſimus, & innocentiſſimus, fuit nihilominus in VINCVLIS conſtitutus. Vnde primam & excellentem hauriemus doctrinam, nempe nos ſi à tribulationibus liberi eſſe volumus, cauere oportere incautum imo ſæpè temerarium iudiciū, quod

I. PVNCT. Quomodo nos in aduerſis gerere debeamus.

1. Cauendū valdè temerarium iudicium.

& frequens, & periculoſum eſſe ſolet valde. Fit autem, quando, verbi gratia, aliquem aduerſum & acerbum quidpiam, ſiue in facultatibus, ſiue in corpore, ſiue in honore perpeſſum videntes, ſtatim perquirimus, quænam cauſæ his eum ærumnis inuoluerint; Solemuſq; omnem viuendi rationem ipſius expendere & reuoluere, in qua ſi inuenimus aliquid, quod ſiue meritò ſiue immeritò nobis diſplicet, confeſtim hanc afflictionis illius cauſam eſſe aſſerimus, & nonnunquam etiam lætamur. adeoque miſero etiam inſultamus, longè noſipſi miſeriores qui hoc facto grauiter miſeram animam noſtram vulneramus.
Rom:2. 1. Incidimus enim in illud dictum Apoſtoli: *In quo iudicas alterum, teipſum condemnas.* Magna equidem condemnatio, quia duplex; tum
Pro:31. 6. quòd afflicto addamus afflictionem, cui *mœrenti ſiceram & vinum*, id eſt conſolationē propinare iuſſu Dei debueramus; tum quòd noſmetipſos ſtultè perimamus. Quamobrem hoc ſit primū & perneceſſarium, vt hūc peſſimum omnium malorum riuum obſeremus, & ſuperſedeamus ab hac pernicioſa cenſura, neq; ſecus erga aliena, quàm erga propria incommoda afficiamur.

2. Sciendū Deum pios affligere, vt patet

Secundum eſt adhibendum remedium, vt non ſolùm ſuſpendamus temerarium iudicium, ſed etiam claudamus peſſimos hoſce fontes, è quibus animæ noſtræ noxij riui ſcaturiunt. Modum autem docet nos Euanglium,
cùm

cùm testatur IOANNEM IN VINCVLIS audiuisse opera CHRISTI. En legis, quo obturatur & auertitur cursus riui huius, iudicij inquam, perperam in malam partem omnia interpretantis. *Petra autem est Christus* ipse, cuius si opera sedulò audies, periculum euades. Illa, inquã, opera arcana, quomodo neq; suis parcat Deus. Quis enim sanctior Ioanne, quem Saluator PLVSQVAM PROPHETAM vocat, neque surrexisse inter natos mulierum illo maiorem testis est? Nihilominus vides quomodo à Christo tractatur, quomodo affligi permittitur: in corpore, dum carceri mancipatur: in honore, dum tantus Propheta inter maleficos censetur. imò vt omniũ scelestissimus, in carcere vinculis cõstringitur, & quod longè etiã acerbius est, in ipsa cruciatur anima. Quid enim putas, quantum dolorem cordis sensit, quando vidit charos discipulos suos, nec sibi credere, nec verum Messiam recipere velle? Sed quid mirum, Iesum id Ioanni fieri permisisse, cùm & Parenti suæ sanctitate Ioanne vtiq; antegressæ, & sibiipsi hac in parte non pepercerit? Quid in istis argues? propter quod scelus eos tanta passos iudicabis? Propter nullum, inquis, quia vitij prorsus expertes fuerũt; at in eo quem ego iudico, aliter se res habet. Quid si erras? Putas defuisse qui Ioanni labem alienam impingerent? certè dubitare non potes: Pharisæos id de Christo sensisse, & insultasse, quàm verè patet? Idem fecisse illos Iobi ami-

1 Cor:10.4

In Ioanne Baptista, quem tripliciter affligit.

Mat:11.11

In B. Virg.

In ipso Christo

Responsio arguitur.

NOTA.

amicos, cum tot insuper argumentis & probationibus fortè audisti: audias etiam decretum

Iob 42. 7. Dei, sic Eliphaz alloquentis: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum.* Caue igitur ne tu quoque simile quid ex Deo audias; quot enim mendacia in talibus sæpe animaduertisti? Sed esto deliquerit ille, qui à Deo plectitur: qui scis vel Deum propterea eum punire, vel illũ pœnitentiam non egisse? Tu verò hominem sanctum, peccati condemnas. O quàm id frequens! ô quàm periculosum! Vt igitur declines periculum: Audi, & considera opera & iudicia Christi occulta nimis, & ea tacitus venerare, iudiciumq́; cohibe sinistrum, ita enim & aliis & tibi parces.

3. Recurrẽdum ad seipsum & ad Iesum. Clauso itaq; fonte improbi de pœna aliena iudicij, ad te ilicò mentis oculos conuerte, & si te quoq; à Deo, morbo, luctu, infamia visitatum animaduerteris, in te exere quod in

NOTA. alios voluisti. Quod enim in alterum impiè hoc in te piè admodum admittes. Hic perquire, & inuestiga, omnes conscientiæ tuæ latebras, teq; excute, & compertis tot in Deum offensionibus, te iustè hæc pati agnosce, ingemisce, culpam deprecare, emendationem propone. Et vt vno verbo dicam, fac quod hic fecisse Ioannem audis, MITTE AD IESVM.

4. Non ad inimicos Iesu. Non ad Ariolos, non ad Strigas. AD IESVM, non ad inimicos IESV. Imitare potius D. Ioannem, quàm illum Regem perditum Ochoziam,

ziam, qui cùm cecidiſſet per cancellos cœnaculi ſui, & concuſſus decumberet miſit ad Beelzebub nuntios ſuos, quibus iuſſu Dei occurrens Elias, inquit: *Nunquid non eſt Deus in Iſraël? Quamobrem hæc dicit Dominus. De lectulo ſupra quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* En præmium impietatis veſtræ, vt ne id quidem quod deſideratis, è voto cadat vobis, imò perdatis corpus non rarò, animam verò ſemper, precioſiorem vtiq; omnibus, quæ in mundo ſunt corporibus. Pudeat Chriſtianũ ſe vocare, & in neceſſitatibus potiùs ad inimicum Chriſti, quàm ad Chriſtum recurrere velle, deteſtabili more Idololatrarum. Conſtat igitur mittendum eſſe ad Ieſum. Et quis mittendus? 4. Re: 1. 2.

DVO EX DISCIPVLIS tuis. Quinam ſunt iſti? Puto aptè ad noſtrum propoſitum intelligi intellectum, & voluntatem noſtram. Mittis intellectum ad Ieſum, quando cogitabis & ſẽties nihil tibi aduerſi accidere vnquã, niſi aut volente aut permittente Ieſu. Ideoq; nõ more canum appetes morſu lapillum quo percuſſus es; parces detractionibus, conuitiis, maledictis in eum iaciendis qui te afflixit; temperabis ab illo furore infando, qui etiam in ipſum Deum incurrit; alioquin in ſummã te coniicies inquietudinem, & coronam tibi paratam pro patientia, ſi illam adhibuiſſes, perdes, ipſam denique animam, maledictis conficies. Mitte etiam voluntatem tuam ad

5. Mittendus ad Ieſum intellectus, ne murmures.

Simile.

Tria inde incommoda grauiſſima.

6. Mittenda volũtas

Ieſum,

Iesum, ipsius videlicet sanctissimæ voluntati, tuam perfectè conformando. Eximium sanè in tribulationibus remedium, & hæc vnica quasi consolatio: Cognoscere Deum sic velle, & id velle, quòd ipse vult te velle. Quod si vterque qui mittitur repugnat; dum & intellectus ad inutilia dilabitur, & circa ea discurrit; & voluntas cupit alia præter Deum remedia: tu imitare Ioannem, qui hosce discipulos sua sponte ad Iesum, à quo erant alieni, minimè ituros solerter expedit: vt illius quidem nomine legatione fungantur, reuera autem sui animi vulnus latens curandum proponãt. Idem tu effice, & verba horum discipulorum Ioannis paucis immutatis vsurpa, & dic: TV ES DOMINE IESV QVI VENTVRVS ES, & me vel ab hac miseria expediturus, vel gratiam tolerandi daturus? AN ALIVM EXPECTAMVS? Alium inquam, qui nos ad tuum arbitrium affligat? aut aliud tempus, quo nos hisce malis es erepturus? Fiat in omnibus & per omnia voluntas tua Domine: digna homine Christiano resignatio, & præsens in tribulationibus remedium.

Cum debita resignatione.

7. Non nisi propter Iesũ alijs medijs vtendũ

NOTA.

Obiectionis solutionem.

At inquis, nunquid non debeo humana etiam quærere subsidia, recursum habere ad medicos, si æger sum, ad alios quorum opera indigeo, si me iuuare possunt? denique fuga, si liber sum & periculum instat, quidni mihi consulam? Non leuis interrogatio & excussione digna. Ad quam respondeo. In his, & quibusuis

busuis aliis aduersis, maximè verò in tentationibus ac spiritualibus necessitatibus, & posse & debere te semper ad Iesum, cum illa animi submissione & resignatione recurrere. Proinde si nobis certò constaret, Deum velle, vt in hac vexatione permaneamus, non solùm fugere eam non deberemus, sed etiam si fortè iam effugimus, reuerti teneremur. Ita fecit D. Petrus quando Romæ ad carcerem, ex quo iam euaserat, reuersus est, quamprimum intellexit id Christum voluisse, vt D. Ambrosius testatur. Ita coapostolus eius Paulus, cùm ter petiisset liberari à stimulo carnis suæ, quo grauiter affligebatur, & audisset à Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* postmodum voluntatem suam diuinæ voluntati iam agnitæ submisit. Ita Ioannes Baptista, non pro se orat vt è carcere liberetur, quia sciuit Deum sic voluisse. Verùm quia scire id rarissimè, & nobis vix vnquam contingit, ideò licet ad alia etiam humana media & remedia recurrere. Ita tamen (audi quid dico) vt in illis non nisi ad Iesum recursum habeamus. Ideò si quid est in istis Deo, vel præceptis eius aduersum, caue vsurpes, aut inde vllum petas præsidium. Nam vt illa crassiora errata, recursum ad veneficos, impostores, & similia omittam: neque illud equidem petere à conuiuiis, ebrietate, compotationibus, saltatione, & aliis impiis hilaritatibus, doloris aliquod leuamentum Christiani hominis est. Sed sunt etiam alia obscuriora delicta,

Amb: orat in Auxen.
2. Cor: 12. 7.

Voluptatibus nunq; vtendum.
Similiter incantationibus.

delicta,& quę nō tanti, quanti par esset,à quibusdam fiunt. Talia sunt characterum vsus & gestatio, benedictiones superstitiosæ, & alia eiusmodi, quorum nec naturalis, nec supernaturalis causa reddi potest.

Item characteribus.

NOTA.

Quid dicam de medicis nonnunquam luxuriosa suadentibus? Absit id ab omnibus Catholicis, tum medicis vt præcipiant, tum ægris vt obediant. At inquient, alium non esse modum medendi. Negant id quidam, & verè id mihi persuadeo. Sed esto sanè. Tum temporis igitur sentiendum esset; Deum sic omnino velle, & patiendam hanc æquissimo animo plagam ab eo, quamdiu ipse voluerit, vt multi summa cum laude pietatis id fecerūt, & inter omnes, noster S. Casimirus. Non enim remedia, quæ sunt contra præcepta Dei, licita esse possunt. Tu verò si bonus Christianus es, non nisi ad Deum in necessitatibus recurrere debes. Sed & in medicinis adhibēda est moderatio, qua in re magnos sæpe abusus fieri conspicimus. Quot enim sunt, qui mulierem illam, quam in Euangelio non laudari sed perstringi animaduertimus, *quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam* imitantur? quibus idem sæpissimè accidit, quod illi fœminæ, vt nil proficiant, iusta pœna peccati. Cæterùm quod in illa minus culpæ habebat, quæ in rei veritate ægrotabat: maiorem habet in iis, qui imaginatione hac in parte laborant; & maximam, cùm illi sumptus ingentes faciunt, qui

Quomodo medicis vtendum.

Peccata suadentib9 nunquam.

Aliàs moderatè.

Luc.8.43.

ant, qui minimè deberent. Interim verò pauperes necessariis, vel priuantur, vel etiam spoliantur subsidiis. Quare moderatione hic quoq; vt vbiq;, vtendum censerem; præsertim si aucta nimium ægritudine, iam spes non sit salutis. Tunc quod in pharmaca & medicos profusè expendendũ, esset initis rationibus in pauperes distribue, tu verò teipsum diuinæ trade voluntati, & ad mortem vt Christianum decet, præpara. Quis scit an non hac ratione citiùs ab infirmitate etiam corporis libereris? Nam animæ te hac ratione consulturum, nemo pius dubitauerit. Neq; hæc ideò dixerim, vt humana media spernantur: sed vt illis vtamur citrà nimiam solicitudinem, neq; simus superflui: hæc enim semper sunt in vitio. Ideo in rebus dubiis, & multò magis in desperatis (quod facilè est ratione indagare) licèt repugnet, & media nescio quę cœca sensualitas inquirat, spes tota in Deum est proiiciẽda. Tum temporis enim quantùm humanæ spei decedet, tantùm accrescet diuinæ. Cuius signa quædam iam dedimus, sed copiosiora sunt in altera Euangelij parte, quam in Christi nomine iam aggrediamur.

Indesperatis ad eleemosynas recurrendũ.

Pulchrum spei medium.

Dum octauo abhinc die de spe ageremus, diximus inter alia, nos de salute nostra non fidem diuinam, sed spem habere debere. Ratio huius rei erat præcipua, quia quæ fide Christiana credimus, ea certissima sunt & infallibilia; cùm verò salus nostra in dubio sit posita,

II. PARS. Quomodo Spes viua cognoscẽda.

posita, in ea fides locum habere nequit, sed tantùm spes; quæ cùm ex natura sua semper sit cum timore contrarij coniuncta, & Deus naturas rerum non destruat, optimè vtrumq; hoc iungitur etiam in spe diuina. Habet nihilominus & spes suam certitudinem (si enim nulla certitudo rerum sperandarum esset, vt fit in impossibilibus, absurdè profectò sperarentur) tantoq; firmiorem quantò plura & potiora reperiuntur argumenta, illud quod speramus omnino euenturum. Quæret itaque aliquis vestrum, quænam sint huius certitudinis spei signa & argumenta, id enim scire vehementer plurimi desiderant. Quibus respondeo, pro diuersitate spei, diuersa etiam & varia signa reperiri. Nam ex quadruplici illa spe paulò ante posita, prima, qua speramus vel credimus potiùs nos saluandos, si secundum Christũ vixerimus; nullis signis indiget, quia non est illa, de qua disserimus, spes propriè dicta. Neq; secũda, qua speramus nos sine bonis operibus saluandos: hæc enim nõ spes sed turpis est præsumptio. Tertia spes vt ipsa languida est & mortua: ita & signa habet languida, exigua, mortua planè. Postrema verò spes, bona, vera & viua, habet indicia optima, tantò euidentiora, quantò vsu diuturno rerũ diuinarum & feruore spiritus mens nostra in Deo magis magisq; est radicata & firmata. & habet signa varia: tam diuina quàm humana: tam externa quàm interna. In perfectis verò adeò

Incertitudo Spei est ex natura rei.

Certitudo aliunde.

adeo eximia, vt vix aliquem dubitandi relinquat locum.

Interea nos ea tantùm signa viuæ & sanctæ spei videbimus, quæ ex Euangelio hodierno, & maximè ex oratione Christi Domini colliguntur. Primò itaque magnum veræ spei habet ille argumentum, qui in aduersis & tribulationibus ita sese gerit, vt iam edocuimus. Deinde in cuius anima miracula illa Christi spiritualiter intellecta comperiuntur. Si inquam COECI VIDENT, prȩsertim intellectus, qui antea vel mendacium, vel hæresim approbabat; vel ad diuina capienda intelligendaq; planè cœcuciebat; postmodum verò omnes detestatur errores, diuina auidè arripit, & quãtùm in se est perspicit: euidens est indicium bonæ spei: præsertim si etiam nostri CLAVDI AMBVLANT, id est, si accedat claudicantis nostræ voluntatis rectus incessus; illius inquã, quæ iam vult iam non vult bonum, modò delectatur in præceptis diuinis, modò ruit in vetita. Audi quid de hac claudicatione dicat ad populum Israeliticum, magnus ille Propheta Elias: *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.* Hoc nempe est nostrum ingenium, dum sumus in domo Dei, dum audimus diuina, placent, afficiunt: mox domum regressis nobis facilè *Deus venter est*, facilè persuadet licentiosa caterua sodalium, vt vlules cum lupis, vt te accõmodes tempori, loco, negotiis, perso-

Signa viuæ spei.

1. In aduersis patientia.

2. Intellectus illuminatio.

3. Voluntatis in bono firmitas.

3. Reg: 18. 21.

Claudicatio spiritualis.

Phil: 3. 9.

Pulchra figura. personis, & id genus. Hic sunt aptissima illa
2. Reg: 5. figura expressi, *cœci & claudi odientes animam David.* Et vt non potuit Dauid potiri arce Syon, nisi ablatis eis: ita tu nisi funditus tollas ex anima tua claudicantes hos motus, nunquam incola eris illius aulæ supremæ, vbi *videbitur*
Psal: 83. 8. *Deus Deorum in Syon.* Quare si vides in te claudum istum tuum, vel iam ambulare, vel paulò stabilius quàm antea figere gressum; si delectari veritate, delectari virtutibus, si fastidire vitia, si peccatum quoduis fugere magis quàm colubrum, excellēs est indicium, spem viuam vel iam in te esse, vel inchoari.

4. Vsus Sacramentorum. Quod magis etiam constabit, si LEPROSI MVNDANTVR tui, si quæ antea multùm fastidiebas, veræ pœnitentiæ sacræq; Eucharistię mysteria sæpius iteres, quibus duobus sacramentis pessima & fœdissima animæ tuæ lepra mundatur, abstergitur, & profligatur; si hæc inquam iam placent, plurimum. si præterea

Gustus concionum & rerum diuinarum. tui SVRDI AVDIVNT, si mens tua cui olim nihil erat acerbius, quàm crebras conciones & colloquia de rebus spiritualibus & diuinis audire, nihil æquè molestum ac sanctissimis Missæ sacrificiis (præsertim si non nihil protrahebantur) & aliis occupari deuotionibus; si inquam hæc omnia nunc obnixè frequentas, auidè audis, fideliter audita memoria retines: optima sunt signa, optima sanè, spem bonam radices in te figere; præsertim si quod in sermone Christi sequitur MORTVI RESVRGVNT, tu

6. Prompti-

in te

in te per gratiam ipsius Iesu sentis & experiris. Quid enim in te hactenus ad opus bonum peragendum mortuum non fuit? quæ potentia spiritus tui, quæ passio animæ, qui sensus corporis, munere suo ritè fungebantur? Iacebant hæc omnia planè mortua; *computrueras vt iumentum in stercore tuo.* Nunc autem miracula operante Iesu in anima tua, animaduertis te non solùm audire libenter, sed etiam exequutioni mandare diligenter, omnia iussa & præcepta diuina: sentis illa quæ olim videbantur tibi factu impossibilia, nunc non solùm fieri, sed etiam dulcescere in opere tuo: vides deniq; habitus & consuetudines tuas, malas quidem marcescere (vtinam etiam pereant) bonas verò in locum illarum succedere. Lauda Dominum Iesum, exulta in corde tuo; excellentia enim bonæ spei & salutis tuæ in te signa pullulant. Sed vide, vt habeas quod Christus subiungit dicens: PAVPERES EVANGELIZANTVR. Caue superbias, caue ne tibi hæc adscribas, & coram aliis de bonis operibus tuis glorieris. Soli enim PAVPERES, & in oculis suis abiecti & humiles EVANGELIZANTVR, & fructum in Euangelio assignatum recipiunt. Imitare istos Ioannis discipulos, qui taciti discedunt. Ita tu premas silentio, si quid tale in te sentis; & vt vnico, eoq; valde notatu digno verbo dicam: Age, vt tacente te, Iesus det testimonium de teipso. Solus enim ille nec falli nec fallere potest: tu vtriq; es obnoxius, &

tudo ad benè operandum.

Ioel. 1. 17.

7. Humilitas.

valdè. Deniq; sis ex illorum numero, de quibus Saluator vltimo loco dicit: ET BEATVS EST QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME. Qua de re egimus iam copiosè integra concione, ideo hoc solum addo. Noli scandalizari ex communi vita Christi, neq; vt hæretici, neque vt Iudæi: qui in eo conueniunt, quòd ad strictioris vitæ normam, quæ profectò in vita Christi non defuit, oculos suos claudunt: tu tuos aperi, & pro virili eius imitare vigorem. Esuriuit ille, ieiunauit, fatigabatur itineribus, & infinitas alias molestias pertulit in corpore. Omnia non propter se, sed propter te, idq; volens & alacriter: tu fac similiter, & fac propter illum, omnia ad laudem & honorem ipsius sincerè referendo. Nam & hoc non postremum est bonæ spei argumentum, quando ieiunia, flagella, cilicia, & cæteræ corporis vexationes, vltrò in Christi gratiam (cum discretione tamen) susceptæ, sapere nobis incipiunt.

5. Austeritas.

Matt: 21. 18. Mat: 4. 2. Ioan: 4. 6.

Quare (vt hanc quoq; concionis partem concludamus) si, quę dicta sunt, in nobis sentiemus, duplicem fructum referemus. Alterum, certitudinem quæ hic haberi potest maxima, & nos in gratia Dei esse, & veram illam viuamque spem, quæ vt audiuistis sine gratia Dei esse non potest, in nobis vigere. Certitudo autem ista & solatij plena & magna sanè est: ita vt mundanæ spei certitudines, multùm superet: ad certitudinem tamen fidei nō pertingit, propter duo; quæ scire certò nemo

Quanta sit spei diuinę certitudo.

valet:

valet: tum an ita ſe omnia in eo habeant, vti ſibi videntur: tum an in iſtis vſq; in finem vitę ſit perſeueraturus. Idcirco iſthæc ignorantia formidinem, formido verò incertitudinem pariat neceſſe eſt. At in fide diuina longiſſimè abſunt, & formido contrarij, & quæuis incertitudo. Alterum fructum inde referemus, excellentiſſimam præparationem videlicet, ad tertium illum aduentum Chriſti Domini, qui fit ſtatim poſt mortem noſtram. Si enim dictis addiderimus, quæ in poſtrema Euangelij parte, à maximo concionatore Chriſto edocemur, ſanctè obdormiemus, & ſecuri conſpectui ipſius præſentabimur.

Quid verò edocet nos Chriſtus Ieſus in hac ſua admirabili de laudibus Ioannis facta concione? Vno verbo docet nos conſtantiam; hanc prima, hanc poſtrema eius verba ſpirant. Audiamus illa. QVID EXISTIS, inquit, IN DESERTVM VIDERE? ARVNDINEM VENTO AGITATAM? Certè ipſe iam locus conſtantiam redolet; nam inconſtantes, non deſerta ſiue eremi ſiue religionis colunt, ſed inde apoſtatantes, in ciuitates & frequentiam hominum cõmigrant. Dum verò arundinis vento agitatæ meminit, validè conſtantiam inculcat. Eſt enim vt videtis in his verbis ecclipſis (quam vocant) huius ſententiæ. Abſit vt hoc de Ioanne cogitetis, illum arundine eſſe leuiorem; non eſt talis Ioannes, ſed eſt vir fortis & conſtans. At quorſum oro verba ſequentia: SED

III. PVNC. Ad mortẽ nos præparabimus, 1. Dicta obſeruando.

2. Conſtantiam ſeu perſeuerãtiam addẽdo.

QVID EXISTIS VIDERE, HOMINEM MOLLIBVS VESTITVM? Dicam quod sentis: Quia leuitas in molli vestitu, leuitatem & inconstantiam animi prodit. Notum id est in fœminis, quæ vt natura sua viris sunt comptiores: ita leuiores. Vtrumque tamen gratia diuina ordinat, solidatq́; facilè, tam in viris quàm in fœminis. Viri videant, an æquum & honestum, sit, mulieres potiùs leues quàm Ioannem & alios viros constantes imitari. Fœminæ verò dent operam, vt virilem in rectè factis animũ possideant. Ita vtrisq; bene res è Iesu sententia cedet: sed temporis inopia cogit nos ab hac materia supersedere, eamq́; ad aliud tempus differre. Duo tamen breuissimè tango. Alterum quod si in vitio non esset vestium mollities, nunquam Christus ex contrario Ioannẽ laudasset. dum igitur laudatur austeritas illa, carpitur. alterum, hæc & similia secundum status rationem intelligenda esse: ideoq́; fortè Christus Dominus, eorum, qui IN DOMIBVS REGVM SVNT, mentionem facit, quia talibus aliquid plus hac in parte licet. Quantum verò ne statum excedant suum, hunc nodum alij dissoluant arbitri. nos ad nostra redeamus. Addit itaq; Christus Iesus tertiam interrogationem, SED QVID EXISTIS VIDERE? PROPHETAM? ETIAM DICO VOBIS, ET PLVSQVAM PROPHETAM. A duobus Ioannem vindicauit, inconstantia & deliciis. Nam alter Euangelista eandem describens historiam, deliciarum etiam mentionem fa-

(Explicatur concio Christi.)

Luc. 7. 25.

nem facit. Tertium in eo adstruit & inculcat, constantiam in dictis & factis, ideoque PROPHETAM, ideò PLVSQVAM PROPHETAM, ideò insuper etiam prophetatum, ideò ANGELVM DEI, ideò talem eum vocat, QVI PRAEPARABIT VIAM ipsi Iesu; quæ omnia tantæ fuisse Ioannem constantiæ in dictis factisque arguunt, vt maior esse non queat. Neq; enim propheta vanus, nec plusquàm propheta delicatus, nec Angelus Dei leuis, nec præcursor Christi, mendax esse potuit.

Constantiam igitur, & perseuerentiam in iis quæ antea recensuimus, habeamus: vel si hæc quæ in concione sua commendat Christus diuidere placet, constantiam, seu perseuerantiam & mortificationem, seu temperantiam, addite dilectissimi, & securi lætiq; in agone Iesum expectate. Perseuerantia ad animum, mortificatio ad corpus propriè spectat: tamen vtrunq; vtriq; est necessarium. Nam & animus noster mortificatione valdè indiget, ne plus aut sapiat aut velit, quàm oportet: & earum quę ad corpus pertinent deliciarum ac molliciei, temperantia ac mortificatio, perseuerantia est condienda. Stat enim decretum Spiritus sancti firmum & ratum, quòd *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Ad certamen igitur charissimi properemus omnes, & ad certamen legitimum. Propterea iustum, quia *iustus Dominus, & iustitias dilexit.* propterea acre, quia aduersarij acerrimi, *Principes & potestates,*

5. Nec non adiungendo mortificationem.

2.Tim.2.5

Epilogus, continens exhortationem.

Psal: 10. 8.

Eph: 6.12.

testates, mundiq; rectores tenebrarum harum. propterea certamen debet esse continuum, & cõstans, quia *qui perseuerabit vsq; in finem, hic saluus erit*, ait veritas IESVS. O si vobis describere possem animam in vitiis enutritam, quantis dum egreditur è corpore prematur angustiis, credo quod ingemisceretis. Sed quia me quoq; monet hora, ne sim longior, aliud nobis commodum erit expectandum tempus. Nunc in contrarium me vertam, & potiùs quàm breuissimè adumbrabo vobis animam in fide constantem, spe lætam, charitate feruentem, & in omnibus ipsis ad extremum halitum perseuerantem, quomodo se tota fiducia erigat, cum iam iam & se ad Christum & Christum ad se aduentantem animaduerterit. Talis enim animæ color & habitus in hac tota concione descriptus est: quę videlicet aliorum quidem demirabatur virtutes, sua verò vitia intuebatur, & deflebat; quæ lapsus alienos ita conniuentibus oculis intuita est, vt nil iudicij temerarij & detractionis internę in his habuerit: quæ in tribulationibus suis non ad alium quàm ad Iesum recurrere consueuit: quæ omnia obuenientia æternę illi prouidentiæ adscribere solita fuit; quæ velle suum diuinæ voluntati semper conformare conata est: quæ salutis iter inoffenso pede percurrere, lauacro pœnitentiæ & aliorum sacramentorũ vsu lepram spiritualem abstergere, spiritualia auidè audire, bonos affectus & habitus velut extin-

Matt: 10. 22.

Et animæ piæ in agone descriptionem.

Et summã dictorum in concione.

extinctos in se resuscitare: humiliter de seipsa rebusq; suis sentire: non scandalizari, sed proficere dictis factisq; Christi: carnem suam cum concupiscentiis mortificare: & in his omnibus constanter perseuerare consueuit. Talis, inquam, anima, viuam, firmam, sanctamq; *spem habebit in nouißimis, & spes eius non peribit*, vt ait Sapiens. Prou: 24. 14. Nam in illo luctamine extremo, quod tantò erit terribilius, quantò minus temporis hostis habet, is qui *insidiatur calcaneo* (teste Deo) id est extremo vitæ nostrę, Gen:3. 16. in illa agonia & summo discrimine constituta anima mittet ad Iesum duos è suis: intellectum videlicet & affectum, assuetos, cùm valeret & vigeret, loqui familiariter cum Christo, qui dicent ei: TV ES QVI VENTVRVS ES? placidus & lenis secundum immensam misericordiam & fidelissima promissa tua? AN ALIVM EXPECTAMVS? iudicem videlicet iratum & seuerum, propter infinitam multitudinem peccatorũ meorum ab infantia patratorum, quæ nunc omnia oculis mentis meæ obiiciuntur ab aduersario diabolo: & propter quæ fateor me millies infernum commeruisse, nisi tua miseratio spem & fiduciam veniæ mihi suggerat, bone IESV? Tum tẽporis benignissimus Saluator placidè respondebit dicens: EVNTES RENVNTIATE IOANNI, quod interpretatur gratioso: animæ, inquam, in gratia mea constitutæ: QVÆ AVDISTIS ET VIDISTIS, signa & prodigia multa in illa à me patrata, quando

cœcam illuminaui, claudam ambulare in opere bono feci, leprosam sanguine meo mundaui, surdæ auditum aperui, mortuam deniq; in peccatis, resuscitaui, ac pauperem spiritu feci. RENVNTIATE igitur illi, vt non SCANDALIZETVR IN ME, desperando; sed respiret sperando, & consolationem sumat in verbo isto. Nunquam ego enim sperantem in me, positũ in angustia & tribulatione, relinquam sine adiutorio. Et statim conuersus IESVS AD TVRBAS, & multitudinem Angelorum qui assistunt ei, dicet, vt obuiam procedant animæ illi, quæ non vt arundo de fide in fidem, de vitio in vitium, vento siue prosperitatum siue tribulationum flectebatur, non deliciis & voluptatibus delectabatur; sed constans in fide, spe & charitate Aduentum Domini præstolabatur, vt eam non iam in sinum Abrahæ: sed ad sinum & complexum ipsius in cœlum deferant. O fœlix anima, cui tam propitius & potens in illo discrimine contigerit auxiliator! O iucunda societas, vtinam eam omnibus nobis videre liceat, per merita tua sanctissime Christe IESV, qui cum Patre in vnitate Spiritu sancti viuis & regnas Deus æternus. AMEN.

CON-

CONCIO QVARTA.
Charitas.

SI quis diligenter consideret causam legationis huius, quam Ioannes Baptista expediuit ad Christum Dominum, pręcipuam reperiet fuisse charitatem: quæ cùm sit amor intellectualis, gratia diuina informatus, ad tria sese extendit, ad Deum, ad seipsum, ad proximum. Amorem autem suiipsius, non illum inordinatum, qui & in scriptura malè audit, & infernum ipse ædificat; sed ordinatum, sanctum: ideoq; veram charitatis propaginem intelligo. Huius igitur triplicis amoris vel potiùs charitatis gratia, Ioannes discipulos istos ad IESVM misit. Inprimis quidem propter ipsum Iesum Deum verum, vt honorem eius augeret, vtq; discipulos illi addiceret. Deinde etiam propter suam consolationem, quam ei benigna responsio Christi, & conuersio (vt piè credere fas est) horum discipulorum peperit. Deniq; propter ipsos discipulos, affectata quadam ignoratione laborantes. In primo dilectionem Dei, in altero dilectionem sui ordinatam, in postremo dilectionem proximi exercuit. Et quamuis amor Dei, vt in omnibus piis operibus, ita in hoc facto primum locum obtineat: tamen amor proximi videtur esse præcipua causa, quæ ad expediendam hanc legationem Ioannem

Charitas quid, & quotuplex

nem impulit. Imò vero, ni ego fallor, si totum hoc Euangelium accuratè perpendatur, nihil aliud sapit & spirat magis, quàm amorem proximi. Ioannes quidem legationem adornans, præcipuè vult mederi morbo, quo nuntij sui laborabant. Christus autem respondens, & horũ, & totius illius populi, atq; adeò nostrum omnium vtilitatibus consulit.

PROPOSITIO. De amore proximi agendum, & Euangeliũ per modũ historię explicandũ.

Quare nos quoq; eorum insistentes vestigiis, de dilectione proximi hac agemus concione, nec verò nostra, sed tantorum Doctorum, quales fuerunt Christus & Ioannes, nec alia nisi quæ in Euangelio continentur, de diligendo proximo præcepta, conditiones, media; eximia sanè & efficacia vobis ob oculos proponemus. Id verò seriem historiæ secuti, quam duo tantùm Euangelistæ Matthæus & Lucas describunt, agemus, difficultates si quę adhuc restant dissoluendo, & doctrinas necessarias hauriendo. Tu Christe IESV, da vt ea quæ dicenda inspirasti, & à me efficaciter dicantur, & à populo isto deuotè audita diligẽter mandentur exequutioni.

Similitudo

Sicut qui in sole ambulant, etiam si id aliud agendo faciant, fieri natura tamen solet, vt non solùm illuminentur; sed & calescant & colorentur: ita cùm quis diuinas historias studiosiùs legit tractatúe, licèt is hoc tantùm cogitet, vt quæ legit, & percipiat bene, & interpretetur verè: tamen si id piè, & cum ea qua par est & diligentia & deuotione faciat, alios

quoq;

quoq; lectionis illius in animo experietur effectus. Quis enim ad lucernam lucentem & ardentem, qualis fuit Ioannes Baptista, aut ad *solem intelligentiæ & iustitiæ*, qui est Christus Dominus, accedens, non illuminetur? non calescat? non coloretur? Atque vtinam id omnes in nobis experiamur: cùm in aliis, tum verò in eo de quo agimus, in amore inquam fraterno, nempe vt is per hunc solem in nobis excitetur, ordinetur, augeatur & perficiatur. Finis autem & scopus amoris proximi est, non solùm velle, sed etiam pro viribus bonũ illius ꝓmouere. Facit hoc Ioannes, sed magis Christus, quia & plures iuuat & in pluribus, dum animabus salutem, corporibus incolumitatẽ, conciliat, nomini & famæ alienæ consulit, & honorem auget. Id hæc historia sacra testatur, quæ ita se habuit:

Ioã: 5. 35
Sap: 5. 6.
Mala: 4. 2

Amoris ꝓximi offici um est: bonum illius procurare. Hoc verò fit

Cùm Christus IESVS Dominus noster ex voluntate Patris æterni, ad quæ missus fuerat, exequens, per Apostolos quidem baptizaret, per se verò & prædicaret, & multa miracula faceret; & inter alia stupenda filium viduæ in ciuitate Nain à mortuis excitasset: diuulgata sunt hæc omnia in Iudæa, & Ioanni in carcere VINCVLIS ab Herode constricto *nuntiárunt discipuli eius de omnibus his*. Qui videns zelum illorum haud rectum, eos quidem arguebat, IESVM verè esse Messiam illum ab omnibus desideratum, asserebat, dicens inter alia, *illum oportet crescere, me autem minui*. Fecit quantùm in ipso

Ioan. 4. 2.

1. Docẽdo illum quã tum potes

Luc: 7. 18.

Ioan: 3. 30.

in ipſo erat, quod virum & magiſtrum ſanctum decuit, quodque omnes facere decet, præſertim Prȩlatos, vt inſtruant curæ ſuæ commiſſos, cùm in aliis tum in illis quæ ad ſalutem pertinent. Hoc enim primum eſt, quod præſtare proximo tenemur officium. Nam vt

1. Tim: 5. 8. ait Apoſtolus: *Qui ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Quod ſi faciunt parentes, prȩceptores, domini, patres & matres familiàs: liberis, diſcipulis, famulis, familiæuè ſuæ, ſi inquam, docent eos, tam ea quæ ad fidem & ſpem pertinent, videlicet quæ oratione Dominica, Symboloq; fidei continentur, quàm quæ exequutioni mandare debent, qualia ſunt decem Præcepta Dei & Eccleſiæ: & non ſolùm docent, ſed etiam impediunt peccata ne committantur, commiſſa verò puniunt: ſuum explent munus: ſin minus, eò quòd aut ipſi ea ignorent, aut nihili æſtiment: videant quid Spiritui ſancto per os Apoſtoli comminati reſpondeant.

2. Mittēdo ad alium qui eum inſtruat. Reſpondebit fortè non nemo, ſe quidem facere quantùm fieri poteſt, ſed eſſe aliquos qui obedire & è ſua inſtitutione proficere, vel etiam credere ſibi nolunt. Remedium, eſt igitur, vt eiuſmodi alterum amoris proximi gradum aſcendant cum Ioanne. Is enim videns ſe nihil proficere, in quibuſdam (non in omnibus: nam Andreas diſcipulus ipſius adhæſit Chriſto) inſtruendis, eò quòd fidem ſibi adhi-

adhibere nollent; videns etiam breui inſtare reſolutionem corporis ſui: ne eos in errore pernitioſo poſt ſe relinquat; *Conuocauit duos de diſcipulis ſuis.* procul dubio illos, quos maximè indigere hoc antidoto ſciebat, *& miſit ad Ieſum*, tanquam ad ſupremum animarum medicum. hoc ipſum vos facere oportet. Sunt vobis aliqui ex domeſticis hæretici, ſchiſmatici, morbo grauiſſimo lethalis peccati oppreſſi, vel lepra malæ conuerſationis infecti, nec poteſtis eis opem ferre: mittite illos ad eum, qui id præſtare poteſt, ad Epiſcopum, ad Parochum, ad viros doctos, ad confeſſarios: & ſi ipſi ire recuſant, vos vrgete, pro poteſtate, & pro facultate modos vſurpate varios, vt eo quo intenditis adducantur. Pulchrum & excellens hoc eſt exemplar charitatis in Ioanne, audiamus alia.

Ioan:1.49

Ioannes enim, penitus quaſi ſui oblitus, quo deſtinat diſcipulos? num ad Herodem vt ſe dimittat? vel ad amicos potentes quos non defuiſſe probabile eſt, vt ſibi liberationem concilient? aut ad Chriſtum, quem ſciebat poſſe etiam ex vinculis arctiſſimis nutu ſolo liberare? vt fecit poſtmodũ Apoſtolis & Petro & Paulo, quidni igitur PLVSQVAM PROPHETAM, affinem ſuum & prodromum eadem gratia impartiret? Quid agis Ioannes? quid indormis cauſæ tuæ? En ſæuit Herodias, neciq; tuæ inhiat, filiam ſubornat procacem, quæ luſu & ſaltu laſciuo, ſacrum tuum caput à ceruice de-

3. Propter bonum proximi, proprium relinquẽdo.

Exempla. Ioan: Bapt.

Act:5.19.

Act:12.7.

ee demetat, ecce carnifex gladium, quo te feriat acuit; tui igitur curam gere Propheta, qui præuides hæc: Facitné? Nihil minus sui penitus oblitus, discipulorum suorum cura & sollicitudine abripitur. Hoc enim inter amorem sui inordinatum, & amorem proximi ordinatum interest, quòd ille omnia ad se trahit, hic sui penitus immemor, alienis commodis intentus est. Huius rei suppetunt & alia exem-

2. Mac: 6. 18. pla, in vtroq; testamento, & alibi quàm plu-

Eleazari. rima. Eleazarus nonaginta annorum senex, vir & doctus & primarius inter Iudæos, cùm per simulationem gustatæ carnis suillæ, viuere posset honoratus; elegit potiùs crudelissimo supplicio vitam finire, quàm iuuenes scā-

D. Pauli. dalizare. Apostolus Paulus cùm anathema

Rom: 9. 3. optasset esse à Christo pro fratribus suis Iudæis, pulchram ad hoc propositum sententiam

Phil: 2. 4. subiunxit: *Non quæ sua sunt singuli cōsiderantes, sed ea quæ aliorum.* Hoc & præcipuè Saluator

Christi Domini. fecit, cùm morti vltrò sese obiiciens inquit:

Ioan: 18. 8. *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* O quàm eximium specimen charitatis, iis ad imitandum præcipuè datum, qui curam animarum gerunt, vt possint cum Apostolo dicere: *Ego*

2. Cor: 12. 15. *autem libentissimè impendā & superimpēdar ipse pro animabus vestris.* Verùm quis est hoc tempore

Eccl: 31. 9. qui hoc exēplar re effingat? *& laudabimus eum.* Non solùm vita non adducitur in dispendiū, sed ne exiguarum quidem facultatū fit iactura, pro ouibus extrema inopia laborantibus.

At in-

At inquiunt, ordinata charitas à se incipit, ideò alibi idem Apostolus ait: *non vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Rectè id quidem dicitur, sed minus rectè, vt plurimùm in praxim deducitur. Equidem neq; hic ordinatæ charitatis deest in Ioanne exemplum. Nam inprimis est certum, quòd propter salutem alterius, nemo debet salutis & animæ suæ detrimentum pati, teste Christo, cùm inquit: *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* & multò minus debet eam perdere, siue pro vita, siue pro facultatibus, tam suis, quàm suorũ. Quod tamen quoties fit? Nouit Deus, & conscientiæ nostræ testes aliquando huius rei erunt. Cæterùm pro salute animæ proximi, tenetur quis, præsertim cui id ex officio Pastorali incumbit, non solùm facultatum, sed etiam vitæ propriæ iacturam pati, si ita res postulat; in quo Ioannem alacerrimè id factitantem imitari debemus.

4. Ordinatè tamen faciendo.

2. Cor: 8. 13

Matt: 16. 26.

Sed & aliud est amoris proximi documentum in Ioanne. Non solùm enim ordinatè, sed etiam efficaciter dirigit suos in viam salutis. Nam sciens eos sponte sua ad Christum non ituros, quid facit? Mittit illos nuntios ad Iesum, vt quod voluntariè ipsi facturi non fuissent, sub ipsius nomine transigerent. Vide quàm apprimè nos docet modos & vias quærendi, vt ij qui in salute propria incuria laborant, ar-

5. Et efficaciter.

rant, arte quadam velut aliud agendo inducā-tur, vt obsecundent voluntati recta suadentium. Est & prudentis suauiterq; vrgentis Prælati in eodem absoluta effigies: quæ etiam duę sunt pernecessariæ in proximi cura conditiones. Non solùm enim illexit eos ad eundum, alias non ituros, sed etiam personam illorum infirmam in se suscipit, licèt ipse esset firmus & constans. Quod ex verbis legationis manifestum est. AIT enim ILLI, nempe per hosce internuntios suos, TV ES QVI VENTVRVS ES, AN ALIVM EXPECTAMVS? Quæ legationis verba non parùm antiquis Patribus facessiuerunt negotij, ita vt alij quidem dubitasse Ioannem assererent, alij ad sensus mysticos, Patrum in lymbo expectantium recurrerent. Veritas est, quam & ex antiquis pleriq; tam Græci quàm Latini scriptores sacri, & ex modernis omnes, quod sciam asseuerant: Ioannem Baptistam amore salutis discipulorum suorum inflammatum, nil aliud fecisse, quam quod ipse Christus fecit toto vitæ suæ tempore, & maximè in agone passionis, quando infirmitates nostras in se suscepit, & postea, quando duobus euntibus in Emaus, & in forma peregrini apparuit, & *se finxit longius ire.* Ita planè Ioannes dubitantium discipulorum suscipit in se personam, vt & illos dubiis liberaret, & instrueret Præsules ad eiusmodi compassionis plenam curam animarum. Quod postmodum Paulus se imitatum esse testatur, dicens: *Factus sum in-*

firmis

6. Et prudēter, ac amanter.

Tertul: & Chrysost: hom: 17. in Ioan.

Hieron: & Hilar: in hunc locum.

Luc: 24. 28.

1. Cor: 9. 22

firmus infirmus, vt infirmos lucri facerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Idemq; nobis etiam factitandum est, si excellentem hāc amoris proximi virtutē habere volumus.

Neq; verò imprudentiæ est arguendus Ioannes, quasi dum alienę vult mederi, suam in periculum coniiciat animam: offendatq; populum, cui ex hac legatione Ioannis veluti dubitantis de Christo Messia, facilè quoque dubitandi nasceretur occasio. Sciuit enim Ioannes Christum Dominum non solùm discipulos suos sanaturum, sed etiam populum ab hac suspicione liberaturum, pro sua infinita sapientia. Hæc igitur sapientissima responsa iam videamus. Si enim in præcursore tam efficax apparuit prudentia, & ordinata in amando proximo charitas: dubio procul eluxit maior in Domino Prophetarum Christo Iesu. Audita igitur Dominus hac legatione Ioannis, non statim respondit: sed *multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cœcis multis donauit visum.* Eximiam ac planè diuinam dans nobis diligēdi proximi rationem. Dum enim non respondendo, respondet, nobis præstantissimum respondendi modum præscribit; quem postmodum etiam verbis nos docuit dilectus discipulus ipsius dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Potentissimum sanè genus diligendi proximum. exempli gratia, petit inops à te eleemosynam: tu verbis quidem abstines, sed statim

Scrupulus tollitur de scandalo Ioannis.

7. Factis potiùs quàm verbis diligere.

Luc. 7. 21.

1. Ioan. 3. 18.

Exempla quotidiana.

De eleemosyna. De tutela pauperum. ſacculo aperto copioſè tribuis: queritur vidua, pupillus, pauper, à potentiori oppreſſi, ſuam infœlicem ſortem; tu aures quidem accõmodas, nec interea multa verba das: ſed cùm potens ſis, & ſermone, & authoritate, ſtatim patrocinium ſuſcipis oppreſſorum, aduerſarios conuincis & cohibes, imbecillem ex iniuſta manu potentis eripis; & hæc omnia gratis præſtas. Dignum ſanè Chriſtiano homine factum & reſponſum: quale decet egregium Chriſti Ieſu imitatorem. Vtinam multi tales reperirentur; quàm floreret Catholica res? quàm validè ora aduerſariorum nõ verbis ſed factis contunderemus? quàm multos Chriſto lucraremur? Nec diſſimilis eſſet Chriſti imitator ille, qui aduertens liberos, ancillas, famulos ſuos, illicita patrare, linguam à maledicentiis, mendaciis, blaſphemiis, oculos, nutus à laſciuiis non cõtinere, aures detractionibus & ſcurrilitatibus paſcere, potare, helluari; verbis quidem parceret, cæterùm virgæ & flagris nequaquam: imò ſi ita res poſcit, durioribus talem familiam exciperet verberibus. Optimum & ſanctum factum Chriſti Domini exẽplo probatum, qui quaſi *flagello facto de funiculis, expulit vendentes & ementes ex templo*; pauca poſt factum adiungens verba. Meretur impudens os alapam ſonoram: meretur crimen animaduerſionem.

De castigatione peccantium.

Ioan: 2. 15.

8. Contentiones fugiendo. Aliud quoq; dat nobis Chriſtus Dominus in hoc facto documentum. Cùm enim re ipſa inter-

interrogata dissoluimus, excusationes, contentiones, rixas effugimus. Quod in discipulis Ioannis manifestum apparet. Hi enim miraculis visis, & paucis quibusdam à Iesu auditis, taciti, vt audis, discesserunt; non tacituri, vt arbitror, sed errorem suum aliis, vt fit, erroribus defensuri, si Christus Dominus multis verbis opinionem, vel potius infidelitatem eorum arguere voluisset. Idem & tu effugies. Neq; verò hoc postremum est dilectionis proximi mediũ, præcidere contentionis materiã.

Subiungit nihilominus post factum aliquot verba Christus Dominus dum inquit: EVNTES RENVNTIATE IOANNI QVAE AVDISTIS ET VIDISTIS. Præstans admodum & hoc tempore pernecessaria doctrina. Remittere ad ordinarium: sed alio tempore contra hæreticos explicanda, nunc hæc pauca sufficiant. Cur remittit? Quod ad literam attinet, duas reor esse causas, & totidem quantùm ad spiritum ac doctrinam nostram. Remisit enim eos ad Ioannem, vt is ex visis & auditis, duo illos doceret. Alterum propter quod expedita fuit legatio, IESVM esse Messiam; Propterea sapientissimè Christus Dominus re ipsa format, quã vocant minorem propositionem: maiorem verò & conclusionem Ioanni effingendam relinquit. Faciamus nos Ioannis syllogismum, sic ad discipulos redeuntes loquentis: Nunquid non audiuistis quid Isaias de Messia prædixerit, quòd tunc *aperientur oculi cæcorum, &*

9. Ad ordinarium remittendo.

Isa: 35.

 aures

aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum? Sed hæc omnia, imò & plura, vt mihi refertis, & oculis vidiſtis, & manibus palpaſtis, & auribus audiuiſtis, à Ieſu peracta. Quomodo ergo illum ipſum eſſe Meſſiam dubitabitis? Videtis quàm euidenter argumentetur? quàm efficaciter cõcludat? Taceo illud, quomodo omnes inſtruat de eo, quod poſtea explicans Apoſtolus dicit: *Cui honorem, honorem.* Et iterum: *Honore inuicem præuenientes.* O excellens diligendi proximum & exemplum & doctrina! quæ ſi ſola obſeruaretur, pietas, pax, & vinculum charitatis effloreſceret, ſchiſmata verò, hæreſes, contentiones, & quoduis malum è vita humana tolleretur. Tanti ſunt momenti dicta factaq; Chriſti, vt minima, maxima quæq; nobis ob oculos ponant. Docet inferiores ad ſuperiores in neceſſariis recurrere, vt fecit Ioannes ad Chriſtum mittendo. Docet ſuperiores ſubordinationem ſeruare, cùm fieri poteſt, remittẽdo ad ordinarios, quod fecit Chriſtus ad Ioannem ipſius diſcipulos ablegando. Docet ſubditos quomodo doctores ſuos audire iisq; obedire teneantur. Docet doctores, quomodo eos inſtruere debeant. Docet denique omnes inuicem honorare & reuereri, quod contra omnes contentiones, rixas, & quæ hæc conſequuntur, ſummum eſt remedium, & ſumma pacis ac tranquillitatis conſeruatio.

10. Omnibus honorem præſtando. *Rom: 13. 7. Rom: 12. 10.*

NOTA. Doctrinam Chriſti omnibus datam.

Altera cauſa eſt, cur eos ad Ioannem remittat, vt

...uſqua

tat, vt

tat: vt ab eo edoceantur non solùm Christum esse Messiam: sed etiam Messiam debere esse Deum, cui soli ex authoritate conuenit facere miracula, prout ea Christus faciebat; & cui soli cognitę sunt cogitationes humanę, prout Christo cognitę erant: ideò horũ cogitata penetrãs ad ea respondet. Hoc enim effusæ illius in nos bonitatis fuit propriũ, tribuere plus quã petebatur. Postulabãt quidam vt daret sanitatem paralytico; at Christus donauit ei etiam animæ salutem, dicens: *Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Et hoc ipsum penè in omnibus corporis infirmitatibus liquet illum obseruasse. Sic ille publicanorum princeps Zachęus, videre Iesum quis esset desiderabat. Ipse verò non solùm præbet se illi ad videndum; sed & ad conuersandum, & ad domum eius non inuitatus diuertit, & demum mensæ illius accumbit. Quid verò illi tunc non tribuit, cùm ipse testetur salutem domui illi factam fuisse? Idem hic præstat. Docet enim & miraculis respondendo ad cogitata, se esse Deum: vt nos hinc quoq; eum pro virili imitari studeamus, & libenter & alacriter tribuendo ꝓximo nostro indigenti, plus etiam quã poscit à nobis.

petitur tribuendo.

Matt:9. 2.

Luc:19. 2.

Nihilominus reprehendit etiam hosce Ioannis nuntios Saluator: quia hoc quoque est amoris proximi officium haud postremum, in iis præsertim qui authoritate pollent. Reprehendit autem de duobus, de superbia videlicet, & de scandalo, quorum illud, huius fuit

12. Nonnũquam reprehendẽdo.

causa. Cur enim isti scandalizati sunt ex vita communi Christi Domini; nisi quia nō pauperes spiritu, sed elati erant? fingentes sibi Messiam prout illis videbatur commodiùs. Cùm enim illum intuerētur, quomodo Pharisæis imò Publicanis se adiungebat, & communi cum eis vtebatur cibo ac potu, quomodo peccatoribus patebat ad eum accessus, imò seipsum iis ingerebat, scandalizati sunt: tum quòd in Ioanne id non videbant, tum quòd imaginabantur à Messia id esse alienum, nec
Mat: 4. 2. considerabant quomodo *quadraginta diebus & quadraginta noctibus* nihil degustando *ieiunabat,*
Ioan: 4. 6. quomodo *fatigatus ex itinere sic supra fontem sedebat,* nec tamen cibum sumere volebat, quo-
Luc: 6. 12. modo *in oratione pernoctabat*; quorum nihil fortè in Ioanne viderant: cùm tamen maxima hæc sint vitæ austerioris argumenta. Sed hæc est carpentium natura & consuetudo, ad ea quæ placere possent, cœcos: ad illa verò quæ displicent, linceos gerere oculos. Ideò procedere in amore proximi cupienti, hoc valde fugiendum, illud verò quod Christus fecit, diligenter est, cautè tamen persequendum.

17. Sed cautè. NOTA Regulam. Huius cautelæ in eodem Christi facto suppetit exemplum. Tam sapienter enim suam moderatur reprehensionem, vt & illi qui peccati sibi erant conscij, facilè, & quid diceretur, & ad quos Christi sermo dirigeretur, intelligerént, & tamen aliis vitium proximi nō proderetur. O sapientia Patris! ô exemplum appri-

apprimè imitandum! Quod vt commodius fiat, ſciendum eſt, ſicut vitiorum, ita vitia reprehendēdi tres eſſe modos diuerſos. Nam aut vitium eſt publicum, quod palam omnes offendit, & malum præbet exemplum. Et tale publica quoq; dignum eſt reprehenſione. Aut eſt ſecretum, & huiuſmodi non niſi ſecretò, & ſine arbitris eſt corripiendum. Aut peccatum medio ſeſe modo habet, nec enim omnibus palam eſt, nec tamen nonnullos latet; vel certè non deſunt qui inde ſcandalizentur. Tale fuit iſtud vitium: ideò miro artificio Chriſtus Dominus illi medetur; vt nec qui hoc vitio laborabant proderentur, nec deeſſet tamen iis, qui ſcandalizati erant, opportunum remedium. Idem in re ſimili obſeruatu eſt neceſſarium: perſona non eſt nominanda, vitium in vniuerſali eſt arguendum, ne noceat aliis. At inquis, etiamſi nomē alicuius taceam, ipſe ſe prodit, nec ipſe ſolùm ægrè fert, ſed etiā prorumpit in illa verba: quid me pungis? infamas? & populo ſpectandū proponis? Nec noua nec inuſitata ſanè hæc ſunt illis, qui cauteriatam habent conſcientiam; & quod maiore cōmiſeratione dignum eſt, etiam concionatoribus, apud quos piaculi inſtar eſt, nominare perſonam id impingunt. Quanta imprudentia, ne dicam inſania: & medicinam omnem reſpuere, & ſeipſum prodere! cùm ſæpius nec cogitauerit, nec ſciuerit de eo concionator. Tu verò quiſquis es, neſcis cor & linguam cō-

Tria vitiorum & reprehenſionum genera.

Murmurantes contra concionatores arguuntur.

NOTA.

Duo in talibus abſurda.

 cionato-

cionatoris esse in manu Dei, qui ea inclinat, prout ipse nouit auditoribus vtile esse, etiamsi is qui loquitur id ignoret? Sed esto, sciuerit, cogitauerit, pupugerit. Quid inde? cùm id amore & tui & aliorum tibi similium, vt vos à vitiis absterreret, fecerit; Non vides cuius hac in re imitator est? vtiq; cuius ad te legatione fungitur, Christi Iesu; quem sciuisse quid in corde istorum & aliorum scandali lateret, vtiq; non negabis; sed & quòd tacitè eos arguat & perstringat negare non poteris. Quod tu dum vides, da quæso idipsum concionatori, qui salutis tuæ zelo accensus, te & alios Christo lucrifacere hac ratione conatur.

14. Pauperũ præcipuam curam habendo.

Cæterùm illud quoq;, quòd pauperũ Christus mentionem faciat, quid nos facere velit insinuat; videlicet, vt in cura dilectionis proximi, pauperes (vt multi solent) ne fastidiamus, imò iis vel maximè auxilium & opem feramus, quod ipse exemplo ostendit, qui *cùm* 2. Cor. 8. 9. *esset diues, propter nos egenus factus est*, vt omnes ditaret, & diuites erudiret, quomodo oporteat pauperes amare, solari, iuuare. Exemplorum tam eorum qui id fecerũt, quàm fructus quos inde inauditos retulerant, copiosus est numerus; nos omissis illis quæ obuia sunt in historiis, reliqua persequamur. Hoc tantùm adiungentes, per eos de quibus hic Saluator

Qui paupe res euange lizantur.

loquitur, dicens: PAVPERES EVANGELIZANTVR: tam pauperes spiritu, id est humiles, quàm pauperes in facultatibus intelligi. In

talibus

talibus enim vt plurimum vtraque paupertas concurrit, quod & ratio, & scriptura, & experientia monstrat. Imò duo ex Apostolis testantur. Paulus cùm asserit *non multos potentes, nobiles, sapientes, sed infirmos, ignobiles, contemptibiles elegisse Deum*: Iacobus verò de re omnibus nota sic exclamat: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* Amemus igitur maximè pauperes, quos amor noster Iesus, tantopere adamauit, vt quod illis exhibitum fuerit, sibi exhiberi fuerit contestatus. *1. Cor: 1. 26* *Iac: 2. 5.* *Matt: 24. 40.*

Sed iam historiam Euangelicam finiamus. Ablegatis itaq; à se nuntiis Christus Dominus ad Ioannem, in laudem ipsius, & tam in illorū qui tunc àudiebant, quàm in nostram, qui etiam lecturi eramus vtilitatem, concionem ad populum Iudaicum exorsus est. Cur post discessum tandem nuntiorum? Vt alia dilectionis proximi nobis documenta traderet, non falsa, sed vera, non vana & inania, sed solida, non quæ mundus immundus, sed quæ mundissimus Spiritus docet. Quid enim mundus? etiam inter Christianos, etiam inter eos qui in sortē Domini sunt vocati; quid, inquam, non edocet solùm, sed perpetuò facit? Coràm hominem laudare, tam ea quæ sunt fueruntuè, quàm quæ nec erant, nec futura sunt, in os loqui, prædicare, exaggerare, in summa assentatione hypocritam agere; vitium ita Christo abominabile, vt licèt Pharisæi pleni essent grauissimis peccatis, nihil tamen fre- 15. Enconia præsentiū declinādo. 16. Adulationem verò & hypocrisim profligando.

ĩmen frequentius Christus eis obiecerit & ingeminarit, quàm hypocritæ, hypocritæ, digito quasi demonstrans, in hac sola omnia inclusa esse vitia. A qua vt exemplo etiam nos auocaret suo, dum laudat Ioannem, non solùm ipsum, sed etiam eius discipulos abesse voluit. Quorsum hæc? vt hac etiam in re eius insisteremus vestigiis. Haud Christianũ imò turpe esse iudicemus, aliquem præsentem laudare, turpius ei adulari, turpissimum autem hypocriticè id agere, aliud lingua, aliud corde voluendo. At quoties id fit? quoties quem coram laudasti, absentem vituperas, indeque etiam gloriaris? Quo facto & proximum, &
Detrimẽta. teipsum lædis plurimùm. Proximum etenim
NOTA. si insulsus est, ex insulso stultum planè reddis, dum putat & vera esse, quæ in seipso non sentit, & in elationem erigitur de eo, quod non habet; si sapiens est, molestiam illi & verecundiam haud leuem infers. Te verò ipsum, in conscientia quidem tua, mendaciis, hypocrisi, superbia planè diabolica (dum ex vitiis laudem quęritas) aliisq; flagitiis inficis, apud alios verò te priuas honore & veritate. Quis enim aut credat bilingui, aut talem cùm laudatorẽ videat, honoret adulatorem? Fugiamus igitur hoc barathrum, & Christi vestigiis insistendo, præsentem proximum, adulatoriè quidem & hypocriticè nunquam, veraciter autem, non nisi necessitate exigente, parcè & moderatè laudemus.

Nam

Nam huius etiam rei dedisse nobis exemplum Christum Dominũ, nemo inficias ibit, qui prima concionis huius verba cõsiderabit. Etenim cùm inquit: QVID EXISTIS IN DESERTVM VIDERE? quid aliud facit, quàm factum hoc illorum qui aderant, approbat? & dum approbat, laudat? Laudat autem & cautissimè & moderatissimè, vt nobis idem faciendi viam tradat. Non longas orationes, verba multiplicando nectere, non adulari, non superbiam, aut inanis gloriæ fastum excitare, non ad aures prurientes, sed ad cor loqui; vt proximus noster, quem laudamus, confirmetur in opere aliquo bono (quod hic Christus fecit) vt inflammetur ad meliora, vt ad difficiliora siue præstanda, siue perferenda incitetur, vt instruatur si qua in re errat. Et hoc postremum in tali laudatione principem debet locũ obtinere: vt videlicet ipsa necessitas nos ad id faciendum cogat: prout hic, & ex tali occasione ipsum Dominum coëgisse videtur. Laudat enim populum Iudaicum, quòd ad vidẽdum Ioannem in desertum exiuerit; & dum laudat, instruit illum in iis, quæ illi deerant, imò in quibus scandalizari poterant. 17. Nonnũquam tamẽ laudando proximum, sed cautè.

QVID EXISTIS, inquit, IN DESERTVM VIDERE? Nunquid hominem leuem & VT ARVNDINEM VENTO AGITATAM? huc & illuc sese inclinantem, iamque vobis in deserto agnum Dei qui tollit peccata mundi, digito monstrantẽ, & mox an ipse sit, in carcere dubitantem, & dubium 18. Scandalum cauẽdo. *Ioan. 1. 29.*

dubium hoc per nuntios suos proferentem? Verùm absit, vt id de Ioanne cogitetis, qui nec inconstans esse potest; quippe qui propter cōstantiam in carcerem coniectus fuerit: nec est ex adulatorum genere, qui id in gratiam meam tum temporis protulisset, nunc verò contrarium vicinus morti diceret. Nam qui assentationibus assuescunt vt plurimùm, MOLLIBVS VESTIVNTVR, ET IN DOMIBVS REGVM SVNT. Hunc verò vestitu aspero ex pilis camelorum confecto, inter bestias deserti habitantē conspexistis: vt vel hinc nullo modo tale aliquid de illo suspicari possitis. In summa; explicat Christus Dominus verba illa, quæ paulò ante protulerat dicens: BEATVS EST QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME. Nam non solùm scandalizabantur, qui missi fuerunt à Ioanne, propter communem Christi viuendi modum, sed & aliis propter hāc legationem Ioannis, idem euenisse poterat. Id ergo ex mentibus illorum euellit, vnicus animarum curator Iesus, imò etiam ex nostris. Quot enim beneficia putatis hîc nobis præstitisse benignissimum Iesum? Tria equidem ego reperio, vos plura & potiora, si sincerè & deuotè pulsaueritis, inuenietis, quando aperietur vobis. Interim hęc accipite. Primum est iam dictum: dum enim illorū curat vulnera, nobis medetur, ne quid simile nobis eueniat. Deinde docet non facilè scandalizari, etiamsi aliqua scandalosa nobis esse videantur. Postremò instruit & dat

Tria beneficia hîc nobis præstita

aliam

aliam amoris proximi regulam excellentem; non solùm non scandalizari, sed etiam excusare fratrem, si qua in re lapsus nobis esse videatur. O quàm necessaria doctrina! O quàm frequenter contrarium fit à nobis! Non solùm enim quando aliquid quod displicet fieri videmus, statim in deteriorem partem interpretamur, sed etiam interrogati de viuendi ratione alicuius, ita vitia eius enumeramus, ac si incumberet nobis, non nisi mala quæque de fratre loqui; bona verò (quæ profectò sæpè non deessent) nec æquis quidem auribus audire, tantùm abest vt loqui sustineamus. Quid est hoc? Quis dementauit Christianos, contrarium planè Christo agere? Reuertamur igitur vnde excidimus, ne ab authore naturæ Iesu, lege ipsa naturæ, condemnemur; dum quæ nobis ab aliis fieri nolumus, nos aliis præstamus. Non affectus igitur nostros inordinatos, sed ordinatissimum Christum Iesum Dominum & doctorem nostrum sequamur, qui excusat Ioannem, imò & laudat, quod & nos proximis nostris facere iubet, & suo exemplo instruit.

19. Excusando proximum, cuius contrarium fit à nobis.

Vultis scire quomodo? eum ipsum ad turbas loquentem audite: SED QVID EXISTIS VIDERE: PROPHETAM? ETIAM DICO VOBIS ET PLVSQVAM PROPHETAM. Quid sibi hæc volũt? Quatuor argumentis constantiam ipsius probat. Vocat enim eum PROPHETAM; verus autem propheta, falsus & inconstans esse non potest. Multò

Quatuor titulis Ioannes à Christo ornatus, & cur?

Multò minus autem talis esse potest, qui est Plvsqvam Propheta, qualis fuit Ioannes duplici nomine: tum quòd alij Prophetæ à longè; iste præsentem digito ostendebat Messiam: tum quod de Ioanne alij Prophetæ prophetarunt. Vocat illum tertiò Angelvm, quòd in carne præter carnem viuens, angelicę vitæ esset æmulator, tum propter lætum nuncium à Ioanne allatum, de Messiæ in hunc mundum optato aduentu. Vocat deniq; Præparantem viam: cui? veritati. Verus igitur esse debuit & constans in veritate, quam semel protulit; me Iesum esse, agnum Dei tollentē peccata mundi. Et eadem de causa, hanc legationem expediuit, vt sicut baptismo suo & prædicatione pœnitentiæ, meo baptismo, & pœnitentiæ sacramento Præparavit viam, ita hac legatione eandem præparet mihi, in discipulis suis, vt possim in æternum regnare in illis.

20. Et hæc omnia ad Christum referendo. Habetis finem Euangelij, ideò finis quoq; concioni est à nobis imponendus. Finis autem est Christus, vt ipse de se testatur dicens: *Ego sum α & ω, principium & finis*: ad hunc ergo sicuti omnia, ita ea quæ de dilectione proximi tota hac concione dicta, & quæcunq; ea de re documenta data sunt, tanquam in vltimum finem, sunt sincerè referenda. Et hæc est diligendi proximi vltima & perfectissima ratio & norma, sine qua nihil alia valent. Hoc obseruauit Ioannes Baptista, hanc legationem

Apoc: 1. 8.

onem ad Chriſtum propter ipſum Deum, & propter augendum honorem ipſius primò & principaliter inſtituendo. Hoc ipſe Chriſtus præſtitit, qui aduerſariis ſuis toties teſtimonium dedit, ſe in omnibus operibus ſuis, non ſuum, ſed Patris ſui Dei æterni gloriam & honorem quæſiuiſſe ſemper. Hoc & in ipſo Euangelio videre licet. Nam & ea quæ multa ſimul in vtilitatem proximi patrauit miracula, & quæcunq; in laudem Ioannis dixit fecitque, ad laudem Dei æterni eum retuliſſe dubitandum non eſt.

Quare vt & nos verè filij ipſius ſimus, & vt vnde cœpimus etiam terminemus. Cœpimus ab amore proximi, hoc ipſo concludamus, & in pauca omnia contrahamus. Bonum proximi noſtri, quod Chriſtus & Ioannes ore & exemplo docent, pro virili procuremus omnes. Doceamus illum in neceſſariis, remittamus ad doctiores, ſi ipſi earum, quibus ipſe indiget rerum, ſiue ignorantes, ſiue impotentes ſumus; propter vtilitatem maiorem proximi, noſtram minorem negligamus. Ordinatè nihilominus prudenterq; id præſtandum opere potius ac facto, quàm verbis & cõmendationibus, imò plus etiam quàm petitur eidem tribuendum. Procul abſit noſtra ab illo ira & odium, imò & contentiones; cuilibet honorem ſuum relinquamus, imò honore omnes præueniamus. Si tamen nonnunquã opus erit, correctionis non obliuiſcamur, ſed

Concluſio ſummam dictorum continens.

cautè eam adhibendo, exempla ſumamus. Erga pauperes viſcera noſtra Chriſti charitate tãquam flammis ſuccenſa æſtuent. Omnes verò, quantùm licitè fieri poteſt, non accuſare, ſed excuſare, non ſcandalizare, ſed bene ex animo promouere, facta aliorum laude digna laudare, rarò, cautè, & neceſſitate id exigente, curemus; adulari autem, aut hypocritam vel paraſitum agere, caueamus. Deniq; ad quod noſtra omnis cogitatio reuocanda eſt, in omnibus his, non noſtrum ſed Chriſti Ieſu honorem quæramus, ac ad illum purè & ſincerè omnes conatus, dicta factaq; noſtra referamus. Ita enim erimus veri filij Patris noſtri qui in cœlis eſt. Cui omnis laus, honor, gloria, & gratiarum actio debetur, & à nobis, & ab omni creatura, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum.

AMEN.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Euangelium Ioannis 1.

IN illo tempore: Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum. Quid ergo?

ergo? Helias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt reſponſum demus his qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

PARTITIO.

Euangelium hodiernum nil habet de verbis factisque Chriſti Domini, ſed ſolùm legationem continet Iudæorum nomine ad Ioannem Baptiſtam artificiosè concinnatam, in quo ſi rerum capita magis, quàm verborum ſpectetur series: commodè illud in tres diuidemus partes. Prima continebit legationem ad Ioannem. Secunda, Ioannis modeſtiſsimam reſponſionem. Tertia, perſonas & locum annotabit, vbi legatio acta eſt. Circa quæ omnia ita nos conciones noſtras, eo quo cœpimus ordine, proſequemur. In prima, ad nos ipſos deriuabimus illa legationis verba, TV QVIS ES; *atque ex illis timorem colligere ſtudebimus ſalutarem. In ſecunda, ex prima parte, & ex aliis fidem Catholicam confirmabimus, additis quæ ex Euangelio præteritæ Dominicæ huc reiecta ſunt. In tertia, totum Euangelium per partes explicando, ſpem in nobis erigere conabimur. In poſtrema, Ioannis Baptiſtæ mirando humilitatis exemplo, docebimus, quomodo per humilitatem, erga nos charitatem exercere, & nos ipſos in Deo, Deumque in nobis amare debeamus.*

CONCIO PRIMA.

Timor.

Tu quis es.

De duplici legatione.

DVas legationes excellentiſſimas proponit nobis Eccleſia, duabus iſtis diebus Dominicis: ante octiduum quidem, legationem factam à Ioanne Baptiſta ad Chriſtum Ieſum, hodie verò aliam, expeditam à Principibus & Sacerdotibus, totoque illo auguſto ſenatu Sinedrin dicto, ad ipſum Ioannem Baptiſtam. Vtriuſq; magna eſt maieſtas, ſiue eos qui illas expediunt, ſiue nũtios, ſiue ad quos mittuntur ſpectes: hæc nihilominus in exterioribus, illa in interiorib9, & quæ minus patebant populo longè magnificentior fuit. Quod ſi ſcopum & negotium quod tractatur conſideres; vnum eſt vtrobiq;. Agitur enim de agnoſcendo Meſſia illo, ab omni antiquitate exoptato. At ſi reſponſa intuearis; diuerſa ſunt, imò contraria; nec mirum. Hæc enim fuit ad illum, qui Meſſias non erat: illa ad eum, qui talis fuit: ideò hîc negantem Ioannem, imò pluries negantem & fortiſſimè audis: illîc affirmantem, & non tam auribus, quàm oculis quærentium ſe Chriſtum ingerentem aſpicis. Hodierna legatio in illis tribus verbis: TV QVIS ES? conſiſtit tota.

Circa

Circa hæc eadem verba: TV QVIS ES? concio nostra versabitur. Et primùm quidem videbimus, quanti ea sint valoris & dignitatis. Deinde, quàm variis possint applicari, & quomodo hæc diuersitas etiam in Euangelio notetur. Præterea, quonam modo nobis valeant seruire. Postremò, quo cum fructu ea sæpius & diligentiùs nobiscum expendamus. Da Christe Iesu, vt per hanc cognitionem nostri, ad tui notitiam hic quidem veram, sed in ænigmate, illic verò conspicuam & perfectam peruenire valeamus. PROPOSITIO quadrimembris.

Tanta trium istorum monosyllaborum verborum est dignitas, vt vix exprimi possit: tanta equidem, vt D. Augustinus omnes suas ad Deum preces & feruidas meditationes eò referre videatur, vt hæc verba: TV QVIS ES? bene & intelligere, & ponderare, & sibi posset applicare. Hinc illa eius ad Deum oratio facta: Nouerim te, nouerim me; nil aliud est quàm praxis horum verborum: TV QVIS ES? quo nempe loco te, quo Deum habere, quàm tibi nil, quàm omnia Deo adscribere debeas. Animaduertit etenim vir sanctissimus & doctissimus, quòd quicquid in mundo, siue boni, siue mali sit, inde proueniat. Bonum quidem, si verba hæc bene & diligenter expendãtur: malum verò, si eorum consideratio negligatur. Intuemini etenim, quæso vos, totum hunc mundum, tum illum, qui in maligno est positus, quàm eum, qui per fidem veram, I. MEMBR. Verborum TV QVIS ES, dignitas patet. 1. Ex D. Augustino. 2. Quia ex eorum consideratione omnia bona.

& condigna fidei opera, Deo suo coniunctus est; & videbitis ita se rem habere. Quid enim, quæso, tot millia hominum coëgit, vt relictis vrbibus, amœnis sedibus, aulis Principum & Imperatorum, in horridas & vastas se eremos abderent, & ab hominum consortio remotissimi, sibi tantùm & Deo vacantes asperrimā vitam viuerent? Nihil aliud certè, quàm vt verba hæc, TV QVIS ES, liberè & diligenter ponderare, & ad normam eorum viuere possent; in qua viuendi & meditandi ratione, alij quinquaginta, alij sexaginta, nonnulli etiam cētum integros consumpserunt annos. Quid verò etiam nunc efficit; vt sexus vterq; vitam delicatam, amplas dignitates, copiosos reditus, mundanos honores relinquant, abiiciant, conculcent, & sese in monasteria, in cœtus piorum abdant, ac ibi in paupertate, in castitate & continua mortificatione, sub aliorum obedientia, totam ætatem suam transigant? Horum ipsorum verborum, TV QVIS ES? pia & practica consideratio. Si enim quispiam, non eo fine vt cognoscat se & Deum, sed alio quopiam, vel religionem, vel statum Ecclesiasticum est complexus: est cur pœniteat & è vestigio mutet intentionem suam. Neq; verò experientia tantùm id habemus, verumetiam diuinis testimoniis edocemur. Quales enim putas fuisse illos, de quibus Apostolus inquit:
Heb. 11. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitu-*

solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ? Non alios equidem, nisi horum verborum: Tv qvis es? nocturnos diurnosq; contemplatores. Eiusmodi pia consideratio summæ diuinæ maiestatis & abiectionis propriæ, martyribus in certamine addit robur, confessoribus lucem quandam cœlestem, ad intelligenda sacra mysteria conciliat, in vastissimas solitudines, montes inaccessos, insulas remotissimas homines, vt vacent Deo abdit, monasteria & collegia implet, à terrenis auocat, ad cœlestia trahit: &, vt vno verbo dicam, nemo à peccatis resurgere potest, qui seriò sese non interrogauerit, Tv qvis es? nemo in pietate perseuerare, sine iugi eorundem meditatione verborum.

E diuerso autem quicunque in varia scelerum genera, Deo, Angelis, & hominibus detestanda prolapsi sunt, propter inconsiderationem & incuriam huius saluberrimæ quæstionis eò deuenerunt. Testes huius veritatis ipsosmet appello. Ita enim de se apud Sapientem, quando post mortem erant aperti oculi eorum, inquiunt: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Quare ignorastis? quia scire noluistis, & verba illa, Tv qvis es? examinare & expendere non estis dignati. Inde oborta est animis vestris tetra caligo, vt neq; vias vestras tortuosas, in quibus

3. Ex omissione cuncta mala proueniunt.

Sap: 5. 6.

laſſati eſtis, cognoſceretis, neq; vias Domini planas quas ſequi debuiſtis, intelligere curaretis. Nunc pœnitentiam agitis, & præ anguſtia ſpiritus gemitis; ſed vbi iam locus non datur pœnitentiæ, ibi fruſtrà adhibetur dolor & pœnitudo. Ne igitur id nobis tunc eueniat, dilectiſſimi, nunc dictorum verborum conſiderationi operam demus, nunc à nobis quæramus, quinam ſimus, & quales eſſe debeamus.

II. MEMBRVM. Varia verborum TV QVIS ES acceptio.

Neq; verò quiſquam mirari debet, nos in alio ſenſu hæc verba ſumere, quàm à Phariſęis prolata fuerunt. Hoc potiùs miremini, etiã in ipſo Euangelio diuerſum planeq; contrarium ſenſum habere. Nam in ore Sacerdotum &
1. Leuitarum, tam ſunt præſtantia, vt maioris excellẽtię eſſe non poſſint: in mẽte verò Ioannis, tam ſunt abiecta, vt viliora eſſe non queant. Illi enim his verbis: TV QVIS ES, quærunt, an ipſe eſſet Meſſias? quo nihil in rerum natura auguſtius eſſe vel excogitari poteſt. Meſſias enim verus, non ſolus homo, ſed & Deus
2. eſſe debuit. Ioannes verò ita illa accipit, vt abiectiùs non poſſint intelligi, quod ex ipſius reſponſo clarum eſt. Quid enim vilius poteſt eſſe, eo quod non eſt in rerum natura? At quæ negantur, profectò non ſunt, alias falſò negarentur. Itaq; cùm Ioannes non ſemel, ſed iterùm & tertiò dicit, NON SVM, NON SVM, NON. apud ſe velut nihil erat: & in hoc ſuo, NON, ita ſibi complacebat, vt præ eo titulos omnes
3. aſpernaretur. Ioannem igitur vt nos quoque imite-

imitemur, verba TV QVIS ES, expendamus diligenter, & ita nobis approprìemus, vt ea Ioannes applicauit ſibi; ſi enim in humilitate ſancta, ea ad nos deriuauerimus, viuemus: ſin elatè & ſuperbè illa ponderabimus, actum eſt de nobis; peribimus.

Quæro igitur primùm à me ipſo, poſtea à quouis mortali ratione prædito: TV QVIS ES? Reſpondebit: Homo ſum. Rectè quidem, quia ita eum finxit Deus. Sed vide quàm vile principium. Homo enim ab humo, id eſt à terra dicitur, vnde formata eſt caro noſtra; & licèt inferior, tamen pars noſtri eſt, ſine qua tales non eſſemus. Quid verò vilius, quàm quod pedibus ſubſternitur, & conculcatur ab omnibus? Talis eſt humus, talis puluis, qui es tu; teſte illo qui te inde formauit, qui etiam dixit: *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Teſte ipſa experientia, rerum omnium magiſtra. In puluerem enim conuertimur omnes. Atq; vtinam ſtatim, nulla præuia, multo horridiore, in putorem & ſaniem conuerſione. ſed ſecus fit. Videmus enim corpora noſtra, quàm fœdè reſoluantur & putreſcant, quomodo vermibus ſcateant, quomodo è doctorum etiam, ſanctorum Patrum ſententia, ſerpentes ex ſe procreent, antequam in puluerem conuertantur; notum id eſt omnibus, ſed non ab omnibus, vt par eſt, conſideratur. Expedit igitur vt ſeriò iterum quæramus à corpore: TV QVID ES? Tam vile ſcilicet, tam ſpurcum, tam

III. MEMBRVM. Quomodo TV QVIS ES nobis applicabimus. PRIMO, vt carnē circumferimus.

Gen: 3. 19.

tam fœtidum, vt nec chariſſimi quiq; cogniti, parentes, coniuges, præſentiam tuam, quando exangue cadauer iaces, tolerare poſſint. Quid eſt hoc?

SECVNDO, vt amore conſtamus. At, inquis, eſt mihi etiam anima. Eſt ſanè excellens creatura, quia ad imaginem Dei condita, quia ſpiritalis natura, quia rationis capax, quia immortalis, à qua, quicquid eſt in te decoris, habes. Sed quæſo, interroga nihilominus hoc tuum ex vtroq; , id eſt ex anima & corpore compoſitum: TV QVIS ES? Et ſi tu non habes in promptu quod dicas; reſpondebit pro te vir ſanctiſſimus, & in proſperis & in aduerſis bene exercitatus. Is in fimo iacens, te ſic deſcribit: *Homo natus de muliere.* vbi ad illud quod ex humo conditus ſit homo, ſatis abiectum principium, addit aliud longè vilius & atrocius; nempe, quòd ſit natus de muliere; ideò *in peccatis conceptus*, totus infectus, totus miſer & miſerabilis. Quam miſeriam Propheta alter conſiderans, exclamat dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quanta hæc calamitas? Tanta quanta eſt inimicum eſſe Dei, & mali dæmonis mancipium. Qui bene conſiderat hæc, intelliget, quantùm ſit mali ita cõcipi. Subdit Iob; *breui viuens tempore.* Noua calamitas, quia ante peccatum inaudita; & magna, quia magni fit ab omnibus, & meritò. Quàm breui verò tempore viuit homo? Dicet paulò poſt Iob, & ego dicam, ſi pri-

TERTIO, vt ſumus homines miſeri.

Iob 14. 1.

Miſeriarũ capita.

1. Quia viles.

2. Quia in peccatis concepti.

Pſ. 50. 7.

ſi prius ſequentia conſiderauero. Addit etenim, quòd homo *repletur multis miſeriis*. Etiamné hoc breui, quo viuit, tempore miſer eſt? Imo verò etiam repletur miſeriis, quod non ſolùm os Prophetæ, & propterea Dei, ſed etiam experientia loquitur. Et quibus, rogo, repletur miſeriis? imò quibus potius non repletur? Certè citius hoc quàm illud aſſequemur enumerando. Quid enim eſt tota vita hominis ab ortu & conceptione ipſius, vſque ad vltimum halitum, quam continua miſeria? vt in catena circulus circulo, nodus nodo adhæret, vnde ipſa tota nectitur. ſic in vita noſtra vna miſeria, cõtinua ſerie alteri adglutinatur. 3. Quia pleni miſeriis. Similitudo

Pulchrè & ſæpè D. Auguſtinus hac de re diſſerit, & probat in nobis non niſi vna miſeria alteram profligari, minori maiorem, nec rarò maiori minorem; Ita fames manducatione propellitur, manducatio verò, ſi miſeria non eſt, cur ab ægrotis faſtiditur? imò etiam ſani dum paſti ſunt, nunquid non affliguntur, ſi comeſtio diutius continuatur? Noui, fateor, habitus peſſimos helluonum, vt quod à natura pœnam habet, hoc illis volupe videatur. Sed & hi profectò ſua non carent miſeria, eaque maxima, & verum eſt etiam in illis, miſeriam miſeria pelli. Imò quod meritò defleas, & deteſtêre in talibus, dum à ſe miſeriam pellere nituntur, aliam continuò grauiorem ſibi conciliant. Hinc illæ voces. Quis me prohibeat bibere cùm ſitiam? Quis me vetat 4. Quia vna miſeria aliã pellit. 5. Imò generat. NOTA.

vetat manducare cùm eſuriam? dormire cùm ſomno opprimar? At ego quæro, vnde hæc ſitis tibi? dic, quæſo, quomodo ſitis vel ſitire potes, qui iam ab horis (vtinam non diebus aut annis) ſeptem vel etiam decem continuò potas, & quo plus hauris, hoc minùs te exples? Sitire me, inquis, ſcio, ſed vnde hæc ſitis proueniat, planè ignoro, ideoq; & ipſe eam demiror. Mirari deſine, dicam ego tibi vnde oriatur. Primùm quidem venit inde, vnde primæ parenti tuæ prouenit appetitus manducandi cibum vetitum, cùm ipſa antea tali caruiſſet deſiderio. Deinde ex inueterata conſuetudine morbus hic peſſimus inualeſcit. Multa & mirabilia nouit Sathan Deo permittente in illis efficere, qui ſe ipſius tradunt voluntati, quales ſunt omnes qui peccatis longo vſu aſſueuerunt. Dæmon igitur eſt, qui & vt vores, bibas, dormias contra naturam, tibi ſuadet ac perſuadet, & appetitum quem ſopire debuiſti ipſe in te incitat, & ita verum eſt, te miſeria minori longè maiorem in dies quęrere miſeriam, ac ex vna aliam generari. Sed & alia exempla non deſunt paſſim, quomodo vna miſeria alteri ſuccedat. In ſitu certè corporis id nimis eſt euidens. Cùm enim ſederis aliquantulum, ſtare lubet; cùm ſteteris, ambulare; cùm ambulaueris, vel iterum ſedere, vel iacere appetis: ſed & in hoc ita defatigaris, vt ſi diutiùs tibi præter voluntatem iacendum eſſet, carceris & maximi tormenti inſtar ti-

6. Quia dęmonis fraudibus ſubiecti. *Gen: 3.*

7. Quia malis habitibus obnoxij.

ſtar tibi eſſe videretur. Verum igitur eſt, quod Propheta inquit, quòd *homo repletur multis miſeriis*. Et nota verbi emphaſim. Nam ſicut vas dum impletur quopiam liquore, ita eo plenũ eſt, vt nullus ſit vaſis locus, quo liquor ille non peruadat: ita in homine, non ſolùm continuantur miſeriæ, ſed ita inſuper illis refertus eſt, vt nulla ſit potentia animæ, nullus appetitus, ſenſus nullus, nulla deniq; pars corporis, quæ propria careat miſeria. Nihilominus nos quaſi ſecuri, quaſi beati, nihil horum videre, nihil ſentire volumus; vel potiùs nos nõ ſentire fingimus. O miſeria! ô calamitas deplorãda! Similitudo

Sequitur tum inquietudo ac mutabilitas: tum ceſſatio & breuis horum tranſitus, qui apud prudentes quidem leuamentum eſſet miſeriarum: ſecus tamen vulgò fit apud nos, qui vitæ huic ærumnoſæ plus æquo ſumus addicti. Ait ergo Iob: *Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. Et nunquam in eodem ſtatu permanet.* Iam ridet, paulò poſt flet; iam lætatur, geſtit, & præ gaudio exilit, mox contriſtatur, iraſcitur, & furit; iam ardet amore, non diu poſt tabeſcit odio, & inuidia. Quantæ metamorphoſes! & tamen paucæ ex multis. Nos verò nihilominus tam cœci ſumus, vt nos firmo gradu conſiſtere putemus. Sed non omittamus & breuitatem vitæ conſiderare. Antiqui igitur Philoſophi bullæ vitam noſtram comparabant. Inde prouerbiũ, [Homo bulla.] Ridiculi certè pueri, qui bullas, vel

Iob.14. 2.
8. Quia mutabiles.
9. Quia breuiuiuentes tempore. Quod tribus ſimilitudinibus declaratur
Bullæ.

las, vel ex imbre ortas vel à ſe inflatas, ac per aëra demiſſas, cum voluptate quadam ſuſpiciendo inſequuntur, & exiliunt lætantes. Ridetur & meritò puerilis ſimplicitas, quia & demiratur rem vaniſſimam, & oblectat ſe re quæ perit in ictu oculi. At cur, quæſo, noſmetipſos, non ridemus potiùs, & ſtultitiæ nõ accuſamus vitam noſtram intuendo? multò profectò breuiorem, & magis vanam quàm eſt ille tumor bullæ. De qua tamen adeò ſibi paſſim mortales multùm pollicentur, eamq; veluti ſolidorum gaudiorũ materiam habent: vt ſaltare, lætari, epulari, geſtire, turpiùs etiam & leuiùs quàm pueri conſueuerint. Quanta hæc ſtultitia? Audite & intelligite. Quod enim ad breuitatem attinet, certè duratio illa bullæ, comparata vitæ noſtræ, multò eſt ſolidior, quàm vita humana, quamuis longiſſima, comparata æternitati. Id conſtat mathematica demonſtratione. Nam inter centum annos, & æternitatem, ad quam homo conditus eſt, quæ erit proportio? Nulla equidem. Breuior igitur eſt vita noſtra quàm bullæ, ſi finem conditoris ſpectemus. Sed eſt etiam magis vana. Quamuis enim bulla inanitate plena, quum ſit, & nihil ſit aliud quàm parum aquę aëre diſtentum; tamen multò magis adhuc vanus eſt homo, qui cùm ſit modicum quid glebæ, ita vanitate & typho ſuperbiæ inflatur, vt aliis ſeſe præferat, vt omnes contemnat, vt maximi ſe faciat, cùm in conſpectu Dei & Angelo-

NOTA.

Angelorum, qui perperam iudicare nequeũt, ſit ipſa bulla longè abiectior. Te igitur ô bone vir, quàm pueros potiùs demireris, ſtultitię arguas, rideas vel fleas potiùs, daq; operam, vt ventoſo tumore compreſſo, ſolidis virtutibus implearis.

Bene itaq; antiqui hominem bullæ compararunt: ſed melius noſter Iob, flori & vmbræ. ſimilitudo enim vmbræ maiorem adhuc vanitatem hominis arguit, quàm bulla. Cùm certum ſit, bullam vtiq; aliquid eſſe, vmbram verò nonniſi priuationem luminis, ideoq; nihil penitus eſſe. Flos verò adeò properè marceſcens, demonſtrat quid typhum, & ſuperbam mundi vanitatem conſequetur. Idcirco cùm addit Iob, *Egreditur & conteritur*: docet quomodo originem viliſſimam excipit ſtatim turba miſeriarum, mors deniq;, per quæ conteritur & redigitur in puluerem homo. Vtinam verò poſt longè acerbiſſimam contritionem effugiat pœnarum æternarum.

Vmbræ.

Floris.

Habetis illud, TV QVIS ES? morale & Philoſophicum. Deſcripſi enim vobis hominem, qualem & olim Philoſophi, & nunc gentiles agnoſcũt, corpore & anima conſtantem: Norunt etiam tum corporis tum animæ humanæ miſerias, adeò vt quoſdam non latuerit, hominem cum tot miſeriis creari non potuiſſe, quamuis ignorarint, vnde illæ prorupe- rint; quod apud nos è diuinis literis vulgò ſcitur: has nempe originalis eſſe peccati pœnas. Nunc

QVARTO Applicabimus nobis TV QVIS ES? vt ſumus homines Chriſtiani, & cõtemplabimur.

2. Quòd homo Christianus trib⁹ cõstet partibus.

nas. Nunc deſcribẽdus eſt nobis homo Chriſtianè & Theologicè, idque verbis Apoſtoli Pauli, qui multò aliter quàm Philoſophi hominem partitur, cùm valedicens ſuis Theſſalonicenſibus hæc illis à Deo precatur: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus, ſine querelá in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Vbi videris ad illas duas hominis partes, corpus videlicet & animam, addi tertiam ſpiritum. quo nomine quid intelligat è duobus luminibus Eccleſiæ adferam, nonnihil opiniones diuerſas, puto tamen vtramq; eſſe veram & ab Apoſtolo intentam. D. Auguſtinus itaq; per ſpiritum intelligit partem animæ noſtræ, quæ purè eſt ſpiritualis, & ſpiritualia contemplatur, ac mente intuetur. Nam quomodo homo in tres diuidatur partes, ſubtiliter, vt ſolet, diſcurrit ſæpius, maximè verò ſcribens in Geneſim, vbi rem exemplis elegantibus illuſtrat. Duo ſufficiant; alterum præcepti dilectionis proximi, quod dum legitur in charta expreſſum, corporis oculis conſpicitur; dum in memoria proximus cogitatur, animę intuitus exercetur: quando verò ipſa dilectio in ſe conſideratur, ſpiritualiter intelligitur. Alterum ternæ viſionis, quarum primam corporis omnibus notam, alteram ſpiritus, tertiam intellectus ſeu mentis vocat. Inter has poſtremas differentia patet, in ſeptem ſpicis, & in bobus ſeptem, quos Pharao vidit per quietem

1. Theſ: 5. 23.

Aug: li: 12 de Geneſi ad literã, cap: 6. & ſequen.

Gen: 41.

in ani-

in anima. Ioſeph autem vidit mente, quando interpretationem eorũ intellexit. Et concludit his verbis: [Tria igitur ſunt iſta genera viſionũ, corporale, ſpiritale, & intellectuale.] Hęc Auguſt. Nos verò, ſi D. Paulo conformiter loqui voluerimus dicemus, vt hominis ſecundũ illũ tres ſunt partes, ita tres erũt viſiones, prima corporis, altera animi, in qua ſimilitudines rerum etiam abſentium obſeruantur; tertia ſpiritualis, per quam purè ſpiritualia cognoſcuntur. Altera autem expoſitio eſt D. Hieronymi, qui propoſitis aliquot opinionibus ſic cõcludit: [Nos verò in præſenti loco ſpiritum, qui cum anima & corpore integer conſeruatur, non ſubſtantiam Spiritus ſancti, quæ non poteſt interire, ſed gratiam eius & donationes accipimus, quæ noſtra vel virtute, vel vitio, & accendũtur & extinguuntur in nobis.] Per ſpiritum igitur gratiam, quam nunc paſſim gratum facientem vocamus, intelligit Hieronymus. Et idem ſentit Theophilactus Græcus. Et quia hæc opinio & facilior eſt, & tam D. Pauli, quàm noſtro inſtituto magis quadrare videtur, eam nunc amplectamur, aliam ſuo tempore explicaturi & applicaturi. Videtur enim Apoſtolus hic deſcribere non Philoſophicum (vt ita dicam) ſed Chriſtianũ hominem. Ideo hæc definitio, nec Iudæis, nec Gentilibus, nec hæreticis, nec ipſis etiam Catholicis omnibus competit, ſed ſolos pios complectitur. Quales vt ſint Theſſalonicenſes, nem-

Augu: vbi ſup: cap: 1.

2. Quod p ſpiritũ gratia intelligatur.

Hieron: q. 12. ad Heldibiã.

ſes, nempe vt corpus habeant caſtum, & animam piam, & vt in gratia Spiritus ſancti integri vſque ad mortem, & vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur, hoc precatur, & illis & nobis omnibus Apoſtolus.

5. Ideò inueſtigandũ an Spiritus ſit in nobis.

Audita itaq; & cognita hac Apoſtoli deſcriptione, dico mihi & vobis omnibus: TV QVIS ES? non ſolùm ſecundum naturam, ſed etiam ſecũdum gratiam diuinam? Dices. Homo ſum Chriſtianus. Rectè, & non ad inſipientiam tibi, ſi nomini reſponderis & vocationi tuæ. Id enim ab ipſa infantia tua conſequutus es, vt non ſolùm corpore & anima, ſed etiam ſpiritu conſtares, qui per baptiſmũ & lauacrũ regenerationis datus eſt tibi. Corpus accepiſti à Deo & à parentibus, animam à ſolo Conditore eius, ſpiritum & gratiam, ab

Rom. 5. 5.

illo de quo idem Apoſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* quæ cùm ita ſint, interrogo denuò: TV QVIS ES? Es ne ille qui olim fuiſti, homo verè Chriſtianus? Homo, inquam, conſtans corpore, anima & ſpiritu diuino? Hominem te eſſe natura non dubito; ſed de gratia rogo? QVID DICIS DE TEIPSO? Neſcio, inquis mihi, id enim me docuiſti, nullum ſcire poſſe, an ſit in gratia. Ita eſt, docui neminem certitudine fidei id ſcire poſſe, poſſe tamen alia certitudine. Neque de hoc tantopere quæro. Si enim mihi reſponderis: te ſperare quòd ſis in diuina gratia, cùm non

fis tibi conſcius alicuius lethalis peccati, quod non lachrymis & ſacramentis ablueris, & ego vnà tecum ſperabo, te eſſe hominem verè Chriſtianum. Sed hoc interrogo præcipuè, quod ſcire certò potes, TV QVIS ES? Eſné inimicus Dei? ſeruus peccati, à quo extricare te, vel non vis, vel differs? Si enim talis es, certò conſtat te hominem verè Chriſtianum, qualem Apoſtolus & deſcribit, & deſiderat non eſſe. Sed eſſe illum, de quo Dauid: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* tantoq; infælicius, quantò non iam alieno vitio, de quo principaliter Propheta loquitur, ſed tuo proprio peccato, & malo, in hanc miſeram & brutam ſeruitutem incidiſti. Similis factus es beſtiis, imò multò peior illis & infœlicior, humana figura, voluntate & appetitibus belluinis. O vtinam id conſideres, qui talis es. Similis factus es iumentis inſipientibus, quia permittis ſtultè & inſipienter, vt animæ tuæ excellentiſſimæ, caro viliſſima, & omnia cum iumentis habens communia, turpiter dominetur. Neq; tamen es beſtia, quia ratione præditus es, quia ad imaginem tui authoris conditus, quia immortalis. Es nihilominus infælicior animantibus cæteris, ſi ad finem vitæ in hoc hæſeris malo: quia beſtia poſt interitum non cruciatur, tu in æternum cruciari debes. Quod conſiderans Chriſtus Dominus, ſic de proditore ſuo loquitur: *Bonum erat ei, ſi natus non fu-*

Pſ. 48. 13.

4. Conſiderandum quomodo homo peior ſit beſtia.

Matt: 26. 24.

non fuisset homo ille. Tu ergo quid cogitas hæc audiendo? Quid ni redis ad te ipsum, & interno clamore identidem à te poscis: TV QVIS ES?

§. Quomodo homo vigilans dormiat.

Et vt exactiùs describam tibi statum tuum; Scias te licet vigilantem, graui tamen somno oppressum iacere; licet viuas, mortuum tamen esse; te cùm sis puluis & vanitas, bellum tamen Deo indixisse. Magna certè & vber flendi occasio, tanta miseriarum congeries, quibus te premi scriptura, ratio, & ipsa experientia clamat. De duobus primis apertè loquitur Apostolus, cùm inquit: *Surge qui dormis, & resurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* (Eph. 5. 14.) Quibus ex verbis multa colligimus. Primùm, quod diximus te & viuum & vigilantem esse. Quis enim somno oppresso, aut exanimato loquatur? Deinde te nihilominus & dormire, & mortuum esse: id enim clarè testatur. Tertiò in tua esse potestate expergisci & exurgere: ideò te vt id facias hortatur. Postremò, quamuis id sine Christo facere non possis, Iesum tamen semper præstò esse. Idcirco etiam promittit, quòd si voles *illuminabit te Christus.* Quã-tus ex vna parte timor & miseria, ex altera gratia & consolatio? Vtinam, atque ô vtinam inter ista medius incedens exurgas, & à Christo illumineris. At quoties secùs euenit? Clamat Apostolus, & nos cum illo eadem repetentes, & quæ Paulus dixit, & quæ in Euangelio audis, nempe, vt consideres: TV QVIS ES? Sed nil ef-

nil efficitur. Quare?Quia ingenti peccatorum pondere, & graui lethargo oppressi stertimus, ideoq; ad diuina ne oculos quidem eleuare satagimus. Agit sathan nobiscum, quod matres, quando sopiunt infantes. Fasciis enim strictè colligatos, in cunas molles imponunt, agitant, accinunt. Ita omnino *aduersarius* noster *diabolus circuit*, & adrepit accepta occasione, quam nos ipsi ei damus, & funibus peccatorum arctè nos circumplectit,& in delicato viuendi genere velut molli pluma collocat nos atq; agitat, modis variis, iam furiis, mox lasciuiis, iam odiis & maledicentiis, statim voluptuosis blanditiis, & aliis infinitis. Addit deniq; etiam cantum Syrenum, impias bene sperare iubentium voces, vt tandem in sinu ipsius obdormiamus,sicut Samson in sinu suę Dalilæ:obliti periculorum,quòd mox ita eruentur oculi nostri, vt amplius diuina non videamus, ac tandem captiuæ ducantur animæ nostræ ab infernalibus Philistæis. Hinc tu ô præco Dei *clama, ne cesses, quasi tuba exaltans vocem tuam.* Vociferare speculator in domo Domini, donec fiant *raucæ fauces tuæ*: age quantùm vales, & voce & viribus:incassùm nihilominus abeunt omnia, surdis canitur fabula, nec ad tãtum tonitru quisquam expergiscitur.

6.Quomodo à dæmone agitetur.

NOTA.

1.Pet:2.8.

Ps:118.61

Exemplũ.

Iud: 16.

Isa: 58. 1.

Ps: 68. 4.

Non solùm enim stertit profundo oppressus somno,sed etiam vt ex Apostolo dixi,mortuus est, quisquis talis est. Videtur quidem sibi viuus incedere, nec vnquam magis vegetus,

7.Quomodo mortuus sit homo,etiamsi viuat.

tus, quàm dum ſceleri laxauit frœna. Tum laſciuia, ſaltu, luſibus, indulgetur: tum vocibus feſtiuis, non ſolùm domus, ſed & plateæ per-
Sap: 2. 7. ſonant. *Vino pretioſo, inquiunt, & vnguentis nos impleamus, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, vbique relinquamus ſigna lætitiæ.* nõnunquam verò etiam furiæ & vindictæ faces miſceantur. Sed ô miſeram hanc vitam, quoquo magis viuax & vitalis eſt, eò infœliciorē. Viuit equidem impius animali vita, quia habet animam vegetam in corpore ſano. verùm vita Chriſtiani hominis minimè profectò vi-
8. Conſidera quæ ſit anima animæ. uit, extinctus putidusq; eſt totus. Quod eſt enim anima corpori, hoc eſt ſpiritus animæ. Quemadmodum ergo cùm anima corpus deſerit, corpus in verminoſum cadauer conuertitur, ita imò multò etiam magis, cùm ſpiritus & gratia diuina deſerit animam; ita mor-
NOTA. tui, ita putidi efficimur, vt minus canis putri-
1. Tim: 5. 7. dus, quàm talis homo fœteat Deo & angelis eius. Equidem *vidua, quæ eſt in deliciis*, adeò viuit iucundè, vt tota vicinia ſit teſtis, quomodo noctu & interdiu hilaritas, cantus, conuiuia, ſymphonia, ſaltus in domo eius continuantur, nec vlla ſit ceſſatio; & tamen nil verius eſt, quàm quòd iſta hilariter *viuens, mortua ſit*, & quidem letho peſſimo.

9. Conſidera quomodo homo Deo bellū inferat. Vidimus quomodo homo in peccato conſtitutus etiamſi vigilet & viuat, lethalem nihilominus ſomnum dormiat: iam admiremur eius audaciam, quonam modo cùm ſit puluis

vilis-

viliſſimus, bellum tamen inferre non dubitet Deo omnipotentiſſimo. Ideò iterum iterũq; interrogo: Tv qvis es? tam vilis, & tamen adeò proiectè ſtulteq; audax, vt cum Deo pugnare velis? Apud prophanos legimus de gigantibus, qui accumulatis montibus Deo bellum inferre conati ſunt. Quod ſiue ſit fabula, ſiue alluſio, ad illud quod in ſcriptura legimus de filiis Noë, qui aggreſſi ſunt ædificare *turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* hoc extra difficultatem eſt, omnes etiam gentiles tantam hominum ſtultitiam, nunquam ſatis demirari potuiſſe. Et tamen quotus quiſq; eſt, qui idem præſtans ſeipſum miretur, & ſuam ſtultitiam defleat. & ſcimus non defuiſſe etiam noſtra ætate, qui non impia lingua modò, ſed & manu ipſa id tentarunt. (horrendum etiam auditu ſcelus) credo imitati Iulianum apoſtatam, qui percuſſus lancea, nec ſciens à quo (à S. Mercurio martyre conſtans eſt aſſertio) manantem è vulnere ſanguinem, cœlum verſus ſparſit, aduerſus Chriſtum Deum exclamans: [Viciſti Galilæe] ô deteſtandum ſceleſtiſſimi à fide Catholica apoſtatę dictum factumq;. Non defuiſſe igitur, atq; vtinam vel nunc deſint, qui manu Deo bellum inferant: certum eſt, licèt pauci fortè fuerint; ſed prô dolor, qui id lingua audeant, ſunt quàm plurimi. omnes quippe blaſphemi, apertum Deo indicunt bellum, eumque inſtrumento, quo poſſunt, impetunt. Execrandum & non Chri-

Gen. 11. 4.

ſtianum genus hominum. Omnes verò ad vnum qui peccatis mortalibus ſunt obnoxij, mente & voluntate idem perficiunt. Nam quilibet illorum vellet, vel Deum non eſſe, vel peccata non videre, vel certè nolle punire: quorum quicquid Deo affingeres, Deus non eſſet Deus, & ſic vinceretur ab eis, & ſua diuina eſſentia ſpoliaretur Deus; quod licèt ſit impoſſibile, ipſi tamen quantùm in eis eſt, volũtate ſua hoc efficere nituntur. Et ne putes nil tale in lege gratiæ reperiri: dico inueniri etiam quid peius, quàm quod gigantes, quàm quod fabricatores turris Babel egerunt. Illi enim tẽtarunt tantùm, neq; quicquam perfecerunt; nos autẽ ſi in peccatis ſumus, etiam quantùm in nobis eſt, magis crudele quid perficimus. Quo teſte? Apoſtolo: Audi, & contremiſce. Is enim poſtquam inuectus eſſet in eos, qui poſt receptum baptiſma peccant; recenſens
Heb: 6. 6. ea quæ patrarunt, hoc quoque addit: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei.* Nunquam crederet fortè Chriſtianus qui peccat, eò ſe venire poſſe ſceleris, vt ipſum Deum crucifigere diceretur, niſi ab Apoſtolo tam diſertè aſſertum legeret. Et tamen Apoſtoli quidem grauiſſima hæc exaggeratio non ignoratur: & nihilominus in ſceleribus dies & noctes ducuntur, & filius Dei per ſummam impietatem oſtentui habetur. O ſcelus! ô deflenda calamitas!

IIII. Quo- Dices, ad deſperandum me adigis. Nihil

minùs. Imò verò ad ſperandum. Duo enim contraria fugias velim, ad quæ Sathanæ ſuaſu impelleris? Deſperationem & oſcitantiam, in cura animæ tuæ; illud grauius, ſed hoc peccatum eſt frequentius. Ideò frequentius etiam pugnandum contra illud, ne ſis reus Chriſti in te crucifixi. Quid ergo, inquis, faciam? Inprimis cogita, quæ mens ſit tibi, & quantum odium erga Iudæos, qui Chriſtum Deum cruci affixerunt. Et quæ eſſet nunc, ſi idem oculis tuis fieri conſpiceres, & eundem animum, idem odium, in te conuerte, ô Catholice mi, ô Chriſtiane, vt liber ſis à tanto ſcelere. Deinde velim vt verba iſta: TV QVIS ES? noctu & interdiu conſideres. Hæc te à ſomno excitent, hæc tecum diem inchoent, hæc interdiu tibi quocunq; pergis obuerſentur: hæc ad quietem præparent. Nonné id etiam puer didiciſti? Examen, inquam, quod ante ſomnum præmitti ſolet? Id autem nemo inſtituit melius, quàm quærendo ex ſe: TV QVIS ES? Nunc vero inſtante die ſolemni Natiuitatis Chriſti id multò etiam diligentius eſt tranſigendum, & iſta quæſtio variis vrgenda modis: TV QVIS ES? quatenus anima & corpore conſtas, naturam ſortitus es ſublimem, ea lege, vt animi imperio, corporis vtaris obſequio. Num hæc ita ſe habent? neque bruta tui pars rationis moderamen excuſſit? TV QVIS ES ſecundum gratiam, è qua fluunt dona ſpiritualia? Interroga inſuper TV QVIS ES ſecundum

modo benè vtendũ verbis, TV QVIS ES:

1.

2.

3.

dum munus & functiones tuas, si ad te quid curæ Pastoralis pertinet: quære quomodo te in ea gessisti, quàm solerter & cautè mysteria diuina dispensaueris, quorum tibi commissa est administratio: quomodo in verbo & opere, in prædicatione & ædificatione aliorum te habueris: hisq; similia multa. Quod si seculi curis addictus es; interroga: TV QVIS ES? quis qualisué fuisti hoc trimestri, semestri, aut etiam anno integro, quo à sacra confessione abstinuisti? Quomodo annus hic exactus est tibi? Num *in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, in contentione & æmulatione*, quæ interitum accersunt sempiternum? Item quomodo functus es tuo munere? Si paterfamilias es: quomodo liberos in timore Dei educasti? quomodo præfuisti familiæ? num peccata impediuisti, an secus? num domesticos fidei & morum præceptis imbuendos curasti, an contra, pecudum more viuere eos siuisti? Si filius es, dictoné audiens parentibus fuisti? Si famulus es, an tantùm *ad oculum seruiuisti*, quod vetat Apostolus? an infidus, maledicus, impurus extitisti? Si ciuis vel artifex, num statum tuum in victu & amictu tuo, & maximè vxoris liberorumq; excessisti? an vsuras exercuisti? fraudem, emendo vendédoué commisisti? in pondere, in mensura, in falsa moneta, in falsis & deprauatis mercibus, aliquem decepisti? Si iudex, an iudicium peruertisti, munerum & fauoris ergô? num pupillum

Rō. 13. 13.

Eph. 6. 6.

pillum viduamq; afflixisti, vel iustitiam illis administrare, & à potentiorum iniuriis cùm posses, eos vindicare neglexisti? Si nobilis, an subditis fueris grauis & vicinis? an sumptus superfluos ad vanam ostentationem feceris? fregerisné fidem datam? Deniq; saluberrima hæc est omnibus inquisitio; vt discurrendo, per decem præcepta, per septem peccata capitalia, per præcepta Ecclesiæ: quidquid in se delictorum inuenerint, adnotent: notatum, contritione seria, veraq; & efficaci pœnitentia puniant, & deinceps vt pestem auersentur peccata.

Quid verò è tali horum verborum vsu fructus referemus? Ne multis, paucos è dictis accipe. Assequemur cognitionē nostri, quod etiam ab illis qui solo lumine naturali regebantur tanti fiebat; (& meritò) vt inter septē dicta Sapientum, primo haberetur loco, tanquam è cœlo lapsum [Nosce te ipsum.] Deinde agnoscemus nos, non solùm vt homines sumus: sed etiam vt Christiani, constantes corpore, anima, & spiritu; præterea videbimus, & quàm è conditione nostra abiecti simus, & quàm excellentes secundum gratiam diuinam: dummodo non dominentur in nobis carnis putidæ affectiones, sed anima vel spiritus has omnes redigat sub ditionem suam, vt seruos dominus, ancillas hera quæpiam præcellens. Quod si quid secus factum in nobis animaduertimus; id contritione, bono propo-

Fructus ina de quindecim.

CONCLVSIO summam concionis cōtinens.

propoſito, ſancto noſtri odio, & confeſſione, ſeueris animaduerſionibus puniemus, atque ita bellum contra Deum perperam initum deponemus, à mortis lethargo expergefacti, conſcientia purgata, gratiam diuinam recuperabimus, & ad vberiora eius dona recipienda nos præparabimus. Tum verò præſidio diuino nixi, faciliùs in officiis & muneribus noſtris pergemus: nec à legum diuinarum præſcripto latum diſcedemus vnguem. Quantus & quàm ingens omnium bonorum cumulus, ex accurata trium iſtorum verborum: TV QVIS ES, conſideratione emergit? Fiat igitur nobis oro noctu & interdiu familiaris, hæc adeò pia percontatio; laboret, & peregrinetur nobiſcum, donec nos poſt peregrinationem ad patriam illam perducat æternam, præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, qui cum Patre in vnitate Spiritus ſancti, viuit & regnat Deus, in ſecula ſeculorum. AMEN.

CONCIO SECVNDA.

Fides.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: TV QVIS ES?

Sicut

SIcut vinum, etiam si natura & propagine sua sit præstantissimum, ac in optimo dolio collocatum, quando tamen propè iam exhaustũ, & in fundo fecibus est commixtum, ingratum quid redolere consueuit: ita hæc quam in Euangelio descriptam audiuistis legatio, missa ab illis, & per eos expedita, qui declinabant ad interitum; quamuis boni aliquid in se contineat, non mera tamen, sed fecibus haud leuiter permista erat. Lex etenim antiqua, fuit tanquam vter, aut dolium quoddam, bene quidem compactum, ac optimo vino diuinorum mysteriorum plenum: sed antiquanda nihilominus & abdenda erat; quod verbis illis à Iesu Saluatore in cruce prolatis, *Consummatum est*, perfectum esse, consensus est veterum, atq; nouorum Ecclesiæ Patrum. Ecquidem Christus quoq; Dominus, hanc nostram similitudinem confirmare videtur, cùm *vinum nouum in vtres veteres* negat esse mittendum. Itaque quia nec dum plenè erat antiquata lex, habuit ista legatio Iudæorum ad Ioannem facta, aliquid boni quod imitemur: habuit & mali quidpiam quod detestemur. Bona est legatio, & ordo qui in ea seruatur: malum additamẽtum, & Prophetæ fidelissimo non obsequens, pertinacia: illud Catholicæ fidei, hoc perfidiæ hæreticæ conuenit, quod vel in illa quæstione sola, de diuersitate baptismi Ioannis & Christi

A simili.

Ioan: 19. 30.

Mat: 9. 17.

Christi Domini satis clarè apparet. Catholica enim Ecclesia, quod sciunt omnes, credit, longè diuersa hæc duo fuisse baptismata; quod etiam Ioannes expressè hic testatur. Caluiniana verò hæresis, miscet vtrumque, & pro eodem reputat, idque pertinaciter defendit. Cæterùm cùm controuersia ista satis iam ab aliis fuerit tractata & hoc loco: accedemus ad aliam, quæ instituto nostro, & materię inchoatæ & Euangelio recitato, satis conformis esse videtur.

Cœpimus etenim, vt bene meministis, describere vobis legatum, quem ipse Deus per seipsum vel ad veritatem annuntiandam, vel ad mores reformandos nonnunquam mittit: qui vt à nobis agnosci possit, notis singularibus eum distinguit, & quasi vestibus & insignibus peculiaribus ornat. Declarauimus vnam, sine qua nullum vnquam hoc legationis genus obire permisit: notam, inquam, MIRACVLORVM, sequitur alia dictorum factorumq; ordinatissima constantia: quam primò describemus: deinde quàm sit excellens & necessaria; tum in quo consistit, indicabimus: postremò, quomodo inde verè à Deo missus, & vera Christi Ecclesia à Sathanæ synagoga internosci euidenter possit. Cedant omnia ad laudem nominis tui sanctissimi, & ad vtilitatem ac incrementum Ecclesiæ sponsæ tuæ, benignissime IESV.

PROPOSITIO quadrimẽbris.

I. MEMB. Paucis abhinc annis incidi in duos illustres viros,

viros, de rebus fidei inter ſe concertātes, quorum alter Catholicus conuerſus, alter hæreticus fuit; quem cùm Catholicus vrgeret vehementer, maximè in memoriam illi reducendo, quomodo licèt ſingulis annis celebrarent ipſi hæreticas Synodos, quibus ſe olim, cùm eorum hæreret ſectæ, non ſolùm interfuiſſe, ſed etiam præfuiſſe aſſerebat; nunquam tamen quicquam ſolidum, nunquam firmum & ſtabile potuerint concludere. Tandem alter in hæc prorupit verba: Equidem, vt fatear, & ipſe ſatis mirari nequeo, qui fiat, quòd in cœtu noſtro nunquam quicquam ordinati eſſe poſſit; Tunc aliquantula mora facta: hunc ego intuli ſyllogiſmū. (erat enim de literis bene meritus) Apoſtolus inquit: *Quæ ſunt à Deo ordinata ſunt.* At in cœtu veſtro, nihil eſt ordinatum. Nihil igitur poteſt ibi eſſe ex Deo. Et cùm ipſe primùm formam argumenti minus probaret, poſtea minorem negaſſet; Ego verò & argumentandi modum eſſe bonum demonſtrarem; & aſſumptum ex ore ipſius, tot teſtibus euincerem quot perſonæ ibi adeſſent præſentes: ſubieci deniq;. Eſt ergo, cur & concluſionem vt firmam admittat: quandoquidem deducta eſt ex vna propoſitione, quæ eſt de fide, ex altera verò ipſiuſmet confeſſione aperta. Eſt quod ſuos deteſtetur, non demiretur miniſtros, quòd nihil ordinati aut ſtatuere, aut agere poſſint; quia non ordinis authorem Deum, ſed omnis cōfuſio-

Notam alteram veri Prophetæ deſcribit.

Rom. 13. 1.

fusionis magistrum sathanam sectantur. Est quod ad EcclesiamCatholicam accederet,vbi nihil inordinatum, omnia à Deo profecta animaduerteret. Hæc præfari libuit, duplici de causa. Primùm, vt studiosis diuinorum dogmatum innuerem, non deesse occasionem in congressibus familiaribus veritatis defendendæ: dummodo ad id egregiè simus comparati, & præcipuè è cõcessis axiomatibus aduersariorum, eosdem solerter conuincere nouerimus. Deinde vt ostenderem, quod si omnes aduersarij id concederent, quod hæc illustris persona vltrò confessa fuit, nobis in hac concione non multum superesse posse laborem in eis refutandis. Sed cùm contrarium ipsi apud suos iactent, nempe ab illorum partibus stare ordinem (licèt eos esse inordinatissimos omnia clament, & ipsi priuatim confiteantur) nobis veritas elucidanda, & omnibus ante mentis oculos statuenda erit.

Cur Deus notas has dederit.

Cuius veritatis istud sit fundamentum: Deum sapientissimũ & misericordem nimis, cùm videret fidem nostram diuinam nonnisi diuino ipsius testimonio inniti posse, hoc verò testimonium, per nuntios suos homines, nobis hominibus ordinariè dari oportere, nũtios verò à se missos duplices esse; alios quidem ordinarios (de quibus alias) alios extraordinarios; ne sub istorum specie qui occultiores sunt, à pseudo-prophetis sathanæq; ministris decipiamur, voluisse certa signa & notas

illis

illis dare, nobisq; id manifestare: quæ quidem notæ, si in eo qui se à Deo missum asserit, non reperientur, eũ nec audiẽdum, nec timendũ, nec recipiendum, sed fugiendum & mactandum esse. Primum signorum istorum (vt diximus & ostendimus) sunt MIRACVLA. Quæ quidem nota, quamuis sit euidens signum Ecclesiæ Christi; ac proinde quia in Catholica Ecclesia vera sunt miracula, veram etiam Ecclesiam ibi reperiri necessum sit: tamen quia ego, aut mei similes plurimi, facilè possemus decipi, volentes nec discernere valentes quænam sint vera, quæ falsa, arteq; & præstigiis dæmonis efficta miracula, ne in conscientiis nostris perplexi essemus, voluit piissimus Deus, pro immensa misericordia & prouidẽtia sua, aliam eiusmodi nuntio notam imprimere, & altera veste eum insignire; qua si careret, etiamsi primam habere videretur, omnino ei obediendum non esset: Hanc verò notam, appello verbo conformi, tam huic quàm Dominicæ superioris Euangelio CONSTANTIAM ORDINATAM, siue ORDINEM FIRMVM ET CONSTANTEM. Hac nota si quis caruerit, etiamsi mirabilia faciat, tamen cum Magis Ægyptiis, cum Apollonio Tyanæo, qui in principio nascentis Ecclesiæ se portentis ostentauit; & cum Antichristo, qui in fine mundi seducet multos, aliisque impostoribus explodendus erit.

Prima nota MIRACVLORVM sufficiens est ex se, sed nobis alia est necessaria.

Ideò addita est illi altera, nempè

CONSTANTIA ORDINATA, seu ORDO CONSTANS.

Exod: 7.
Vide Baron: Tõ:1.
2.Thes:2.9
Apo:13.13

Quodsi quæras cur hanc notam secundo loco

Cur hæc

nota secũdo loco posita sit.

loco posuerimus, vel quæ sit inter istam & illam differentia? Dico, posita esse primo loco miracula, quia ab his ita est inchoandum examen, vt, si in eo qui se à Deo missum asserit non reperiantur, vlterius non sit procedendũ, sed simpliciter est pro pseudo-propheta talis habendus. Quod si adfuerint, siue falsa, siue vera prodigia & signa, tunc hæc altera probatio adhibenda erit. Regula enim quæ certò de his notis teneri debeat, hæc est; vt si quis prima caruerit, nõ audiendus, sed iubẽte Deo mactãdus sit; quodsi mirabilia fecerit, vel aliquid, quod euenerit, prędixerit: audiri tamdiu poterit, quãdiu illis quæ antea reuelata & credita fuerunt, dissentanea non docuerit. Quãprimum verò quidpiam iis, quæ fide absoluta credenda sunt, contrarium dixerit, statim iste etiam à fidelibus pro pseudo-propheta habẽdus erit, quia caret hac secunda nota, id est CONSTANTIA ORDINATA: quam, ne te procul ablegem, en habes non obscurè in Euangelio hodierno insinuatam. Cur enim MISERVNT IVDAEI AD IOANNEM, INTERROGANTES EVM, TV QVIS ES? nisi vt intelligerent an nota hæc fuerit præditus? cuius eliciendę causa, tot quæstiones proponunt, tot dubia mouent, vt omni modo expiscentur, an CONSTANTIAM in dictis factisq; suis, eamq; ORDINATAM ritu aliorum Prophetarum à Deo immediatè missorum habeat. Non interrogant autem illum de miraculis, quia hæc non defuisse bene nouerant.

Quæ inter hanc & priorem differentia.

Deut: 18.

Cur nõ interrogatur

rant. Sciebant enim quomodo pater eius Zacharias, qui fuit vnus ex illis, atq; adeò primarius, *sacerdos* videlicet *de vice Abia*, propter incredulitatē de ortu Ioannis obmutuerit; quomodo in natiuitate, vel circumcisione ipsius, iterum loquendi vsum receperit; quomodo & alia miracula circa illum facta fuerint, quæ *super omnia montana Iudeæ diuulgabantur*, omnesque dicebant: *Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Hoc ergo cùm vidissent Pharisæi isti, quod nostri hæretici videre nolunt, primum signum à Ioanne non requirunt, quia nimis clarum fuit: sed ad inuestigandum alterum sese conuertunt.

Ioãnes de miraculis.

Luc: 1. 5.

Luc: 1. 66.

Hoc enim signum, seu nota CONSTANTIÆ, summæ est authoritatis, dignitatis, & necessitatis; & propterea inde vel maximè, vt audiuistis Christus Deus Ioannem commendauit, coram omni populo. Talis enim est, vt licèt aliæ pro voluntatis diuinæ arbitrio in legatis eius desiderentur; hæc sola in omni missione, siue illa fiat immediatè à Deo, siue mediatè per homines, hæc inquam semper necessariò debeat adesse. Talis deniq;, vt licèt primam & postremam (de qua Deo dante Dominica sequente agemus) possent hæretici & pseudoprophetæ prætendere, & ita incautos decipere, hanc tamen ementiri nullo modo possint.

II. MEMB. Demõstratur quantę hæc nota sit.

1. Authoritatis.

2. Dignitatis.

3. Necessitatis.

Et probatur hæc Nota.

Audite iam de hac nota clarissima, tam in veteri quàm in nouo testamento testimonia, & laudate immensam bonitatem & prouidē-

1. Testimonio Dei 1 Mosen.

tiam diuinam. In veteri igitur teſtamento idem Moſes, qui primam de MIRACVLIS dedit, hanc quoq; alteram CONSTANTIÆ, ſic de-
Deut:13.1 ſcribit: *Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt.* (NOTA verba.) *& dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis: non audies verba prophetæ illius.* Datq; rationem dignam quæ ponderetur: *Quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non.* Quid verò agendum cum illo? Reſpondet: *Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum, interficietur.* Hunc diuinum canonem, qui diuina prouidentia ſancitus eſt, ſi & olim Iudæi ſeruaſſent, & nūc Chriſtiani; neque illi in tam ſpurcas idololatrias, neque iſti in immanes hæreſes, incidiſ-
Vnde habemus tria. ſent vnquam. Inde enim habemus, primò
1. non ſufficere miracula, vt fides adhibeatur illis, qui ea faciunt; hoc enim id loci verbum, *non audies*, ſignificat, id eſt, non obedies illi. Nam auditu percipere vtiq; debuit, quid di-
2. ceret: Deinde quid amplius requirat Deus ab iis, quos ipſe mittit, nempe vt conſtantes & ordinati ſint, non diſcrepantes ab iis, quæ alij Prophetæ aut miſſi à Deo antea dixerūt & docuerunt: quod ſi cum illis non conuenerint, præcipit vt inter pſeudo-prophetas cenſeātur. Tales verò erant, qui perſuadere conabantur, vt populus ſequeretur Deos alienos, quos egregiè hæretici omnes imitantur. Audimus præ-
3.
terea

terea admirandam ſanè cauſam, cur id permittat fieri Deus; nempe vt tentet nos Dominus Deus noſter, vt palam fiat, vtrum diligamus eum, an non. Impoſſibile eſt enim, vt quis amet Deum, qui putat Deum mentiri; putat autem eum mentiri, qui illi non credit; non credit autem Deo, qui inconſtantem in dictis ſuis, eum exiſtimat; hoc autem facit, qui fidem adhibet illi doctrinæ, quæ contraria eſt ei veritati, quam antea abſolutè Deus reuelauit; indeque à primo ad vltimum euincitur, eos qui talibus credunt, non diligere Deum.

Deinde hoc ipſum probatur ex omni antiquitate, de quo paulò pòſt. At inquiunt hæretici: nos eadem docemus, quæ antea reuelauit Deus. Sed hoc tam eſt verum, quàm ſi quis aſſereret, ſolem in media nocte lucere; quod fuſius demonſtrabitur ſuo tempore, nunc hoc argumentum ſufficiat. Si eadem docetis, cur vos ab aliis ſegregatis? cur noua conuenticula facitis? cur Eccleſiam Chriſti vnicam ſcinditis? & ita diſſecatis eam, vt non ſolùm vos Lutherani à Romana Eccleſia, ſed etiam Caluiniani à vobis, qui aliquando magiſtri eorum fuiſtis, & ab his Gentiliſtæ, & Seruetiani, quos Geneua primùm extulit, & in ſuo gremio Caluiniano educauit, lõgè diſſentiant. Et tamen omnes clamant ſe eadem cum antiquis & docere, & credere. O impoſturas! ô tenebras lucem turpiter mentientes!

2. Probatur hæc nota, Ex omni antiquitate (vide in III. parte) & ſoluitur obiectio.

Cæterùm oſtendamus idipſum ex Nouo teſtamen-

3. Ex facto Chriſti.

4. Ex hac legatione. ſtamento. Et primùm ex facto Chriſti, quî dum ad Ioannem remittit diſcipulos ipſius, ordinem approbat. Deinde ex hac legatione, vt iam demonſtrauimus. Poſtremò ex illo celebri, quem tam frequenter, ſed friuolè contra Catholicam Eccleſiam citare ſolent huius tẽporis hæretici, loco Apoſtoli: *Si licèt nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Acſi dicat, etiam ſi nos, qui multa miracula fecimus, aut Angelus iiſdem inſignis, contrarium dicat illis, quæ antea ſunt vobis Chriſti nomine & annuntiata & comprobata; non audiatur, ſed anathema ſit. CONSTANTIA etenim ORDINATA eſt in rebus diuinis, ideò quod ſemel dixit Deus, nunquam amplius mutabitur. Quanta ergo eſt oro & obſecro dementia, quanta cœcitas iis fidem adhibere, qui miſſos ſe à Deo gloriantes, neq; miracula prophetiaſué veras edunt, neque cum maioribus ſuis vllo modo conſentiunt, cùm vtrumq; à Deo expreſſè requiratur? Fecit autem id Deus, non ſecùs ac princeps quiſpiam prudens, volens cõſultum ſubditis ſuis, ne ab aliquo tanquam à ſe miſſo deciperentur, qui non ſolùm prohiberet, ne cuiquam crederent, qui diplomata ipſius manu ſubſcripta & ſigillo munita non adferret; ſed inſuper ſciens, tam in characteris, quàm in ſigilli imitatione fraudem & fictionem euenire poſſe; iuberet ſubditis, vt etiamſi illa omnia quis oſtenderet, nihilominus examinaretur ad-

5. Ex Apoſtolo Paulo vbi nota quomodo capiantur hæretici.

Gal: 1. 8.

NOTA.

6. Similitudine id declaratur.

tur adhuc, an conueniret cum illis, quæ in ſecreto Rex ſubditis concredidit, promittens ſe nullum ad illos miſſurum, cui eadem non dixiſſet. Ita ſapientiſſimus Rex regum, & Dominus dominantium, arcta cura nos, vt pupillam oculi ſui vndiq; communiens, illis, quos nomine ſuo ad nos mittit, non ſolùm diplomata ſigillo ſuo munita, quæ ſunt miracula, attribuit: ſed etiam multa myſteria ſponſæ ſuæ concredidit, ad quæ tanquam ad lydium lapidem, probarentur, quicunq; ſe à Deo miſſos aſſererent: & ſi quidem cum illis non conuenirent, reiicerentur: ſin conuenirent, reciperentur. Dedit itaq; primam notam miraculorum factu difficilium, ne à tanta impoſtorum multitudine deciperemur: ſi enim etiam ſine miraculorum teſtimonio tam multi illis credunt: quid fieret ſi miracula adhibere obligati non eſſent? dedit alteram notam, ne falſis pro veris miraculis falleremur, & ſic ſalus noſtra periclitaretur. Verè bonus, & ſalutis noſtræ cupidus. 7. Ratione idem dilucidatur.

Sed iam demonſtremus, quibuſnã in rebus hæc nota CONSTANTIÆ ORDINATÆ, ſiue ordinis firmi, conſiſtat. Conſiſtit autem in multis, nos tria tangemus. Primò & præcipuè in eo quod iam diximus, nempè vt conueniat cum illis qui eum præceſſerunt, ſiue Prophetis, ſiue Prophetarum & Apoſtolorum ſucceſſoribus, id eſt tam cum illis quos prius à Deo immediatè miſſos certò nobis conſtat, III. MEMBRVM. Tres conditiones notę huius ponit. 1. Vt eadẽ dicantur quę alij docuerunt.

quàm cum iis qui ordinariè per homines mittuntur, & à Deo id gratiæ & priuilegij acceperunt, vt in declarandis rebus fidei, in exponenda sacra scriptura, in statuendis illis quę ad benè & Christianè viuendum pertinent, labi & errare non possint. Cum his igitur vt conueniat is, qui posterioribus temporibus se à Deo missum asserit, necesse est, nisi pro pseudoApostolo & pro falso propheta haberi velit & debeat. Quapropter hanc doctrinæ concordiam, tam Veteris testamenti Prophetæ, quàm Noui obseruarunt omnes, hanc viri Apostolici, hāc tota per vniuersum orbem, omnibus temporibus diffusa Ecclesia, & sciuit & retinuit semper. Nunquam enim à Deo missi, siue Elias, siue Elizeus, siue quiuis antiquissimorum prophetarum, contrarium quid docuit, vel Mosi, vel Aaroni, eiusq; successoribus, si quid vnquam ex officij sui munere, & quasi ex cathedra decreuerunt; sed neq; contradixerunt illis, qui in lege naturæ Prophetæ viguerūt, quales erant, Abraham, Isaac, Iacob, Patriarchæ: Melchisedech, & alij assistentia Spiritus sancti ornati. Pari ratione alij deinceps missi, nunquam prædictis alijsué similibus contradixerunt, nempè Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Sed neq; ordinariè & à Deo missis, quando ritè suo fungebantur munere. Et idē dic de Osea, Ioële, Amos, Abdia, & reliquis Prophetis minoribus. Ac vt vno verbo dicam, de omnibus à minimo vsque ad maximum.

Hanc habuit tota antiquitas.

ximum Veteris testamenti Prophetis, imò & de Ioanne Baptista præcursore, deq; ipso Iesu Christo Domino nostro Saluatore, de Apostolis, de septuaginta discipulis, & Prophetis Noui testamenti (qualis fuit Agabus & filiæ Philippi) & de aliis, quocunq; nomine censeantur, omninò idem est intelligendum, videlicet illos tam ordinariè quàm extraordinariè à Deo missos, in rebus, quæ ad fidem absolutam pertinent, nunquam cuiquam prædecessorum suorum legitimorum, contradixisse docendo. Hæc tantùm inter hanc totam numerosam diuinorum legatorũ seriem est differentia, quòd antiqui venturũ Messiam prædicebant, & Ioannes eundem digito ostendebat, Christus verò Dominus seipsum esse probabat. Apostoli autem & eorum successores rem feliciter iam confectam esse, & cursum vitæ absoluisse Christum testabantur. Torquent se hic, & nescio quæ non commenta confingunt aduersarij, contra hanc veritatis antiquitatem: sed incassum abeunt omnia. Veritas enim impugnari potest, expugnari non potest.

Hanc Ioannes Bapt. Hanc ipse Christus Dominus. *Actor: 10.* Hanc Prophetę noui Testamẽti. Hanc deniq; omnes obseruârunt.

Differẽtia tamen inter omnes istos.

Sed antequam ad eorum criminationes cõfutandas veniamus, prius reliqua, in quibus CONSTANTIA hæc ORDINATA consistat, prosequamur, vt simul & probemus omnia vera, & reprobemus falsa. Primum itaq; iam diximus, nempe cõsistere hanc constantiã in eo, vt qui mittitur, ordinem à Deo datũ seruet, & nun-

quam alias siue extraordinariè siue ordinariè à
2. Cōditio est, vt sibi ipsis consistent. Deo missis, contrarium dicat. Secūdum est, vt non solùm cū antiquis, sed etiā secum ipse cōsentiat, neq; pugnantia doceat, in illis quæ in-
Probatur ex omni antiquitate. fallibilia sunt, & absq; conditione dicuntur; quæ verò conditione adiuncta quodammodo restringuntur, eadem constanti a sunt proferenda, quamdiu conditio data id permittet.
Maximè ex Hieremia. Hoc cùm in aliis Prophetis, tum verò in Hieremia est conspicuum, qui toties à populo, à Principibus, à Rege, ab ipsis pseudo-prophetis interrogatus, tentatus, incarceratus, vehemēterq; afflictus, nunquam eo adduci potuit, vt mutaret sententiam & prophetiam suam de expugnanda & capienda ab hostibus ciuitate Hierosolymitana, de exurendo templo, quod illis maximè absurdum videbatur, de abducendo populo in captiuitatem, & his similibus. Apponebat nihilominus conditionem, quia res non erat ex se immutabilis, sed pendens ex voluntate & conuersione humana, vt si à cladibus illis liberi esse vellent, duo facerent: alterum vt ad Deum patrum suorum conuerterentur seriò: alterum, vt traderent se-
Ier. 27. 12. se in manus Regis Babylonis: quod quia eis perdurum visum fuit, idcirco sicut facere id recusarunt, ita veritatem prophetiæ experiri debuerunt. Et hæc ipsa, sicut & prior CONSTANTIÆ conditio apparet, ex vtroq; Euan-
Item ex Euang: præter: Dom. gelio. In illo enim nihil aliud vult efficere Christus concione sua habita ad populum

Iuda-

Iudaicum, quàm vt inconſtantiæ labem à Ioanne repelleret,ac oſtenderet Ioannem minimè ſibi contrarium eſſe. In hodierno verò ſi omnia dicta, interrogata, & reſponſa horum SACERDOTVM, LEVITARVM, PHARISAEORVM excuſſeritis, nihil aliud in illis inuenietis, quã captiones quaſdam,ſi fortè poſſent Ioannem, vel in primo, vel in hoc ſecundo inconſtantiæ genere notare, & accuſare; nempe vt aliquid, vel prædeceſſoribus ſuis, vel ſibi ipſi cõtrarium diceret. ſed *fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum*, maximiq; Prophetæ: ideò percontatores confuſi diſcedunt ad eos, à quibus erant miſſi. Et ex hoc ipſo. *Prou:1.17.*

Tertiò, hæc ORDINATA CONSTANTIA ſeu ordo ſtabilis, conſiſtit in eo,vt cuilibet ſuus honos relinquatur,& ſubordinatio, quam vocãt, diligenter ſeruetur. Huius rei & in Euangelio, & in aliis ſcripturis, & in hiſtoriis multa & illuſtria ſunt exempla. Hoc obſeruauit tam Ioannes,quàm ipſe Chriſtus Dominus in Euãgelio quod ante octiduum lectum audiuiſtis. Ioannes quidem mittens diſcipulos ſuos ad Ieſum, vt ad ſupremum iudicẽ & doctorem; Chriſtus verò remittens eos ad Ioannem, pro vberiori ex viſis & auditis illorum inſtructione, tanquam ad ordinarium ipſorum præceptorem & ſuperiorẽ. In hoc Euangelio idem omnino videmus: Iudæi enim videntes quæ fiebant à Ioanne, recurrerunt ad ſuos ſuperiores; qui quidem MISERVNT, non quoſuis ex plebe, 3. Vt ſubordinationẽ ſeruent. Hoc probatur. 1. Ex Ioanne Bapt. 2. Ex Chriſto Domino. 3. Ex Iudæis in Euangelio.

plebe, non imperitum vulgus, ad quos hæ disceptationes minimè spectant, sed SACERDOTES ET LEVITAS, quibus id ex officio incumbebat: AD IOANNEM, virum qui iam eximia sanctitate, & prodigiis coruscabat, VT INTERROGARENT EVM, TV QVIS ES? Esné ille quem summo desiderio expectamus, Messias, necné? Vides pulchram seriem & ordinem prælatorũ in causa religiosa vigilantium, populi verò ad imperia capienda parati & intenti!

4. Ex facto Iosue. Et hoc ipsum obseruatum videmus, aliâs tam in Veteri, quàm in Nouo testamento. *Ios. 22. 10.* Exempla sunt. In veteri Iosue & qui cum eo erant, qui cùm audissent *Rubenitas & Gaditas* ædificasse *iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis,* veriti ne hoc esset signum defectionis & *Ios. 22. 13.* schismatis, *Miserunt ad illos in terram Galaad Phinees, filium Eleazari sacerdotem, & decem principes cum eo,* vt perquirerẽt quidnam hoc rei esset? Vides quomodo nõ per plebem res transacta est, sed per Principes & Sacerdotem ma-

5. Ex Actis Apostolorum. ximum? Idem fit in Nouo, vbi legimus propter quæstionem, an necessaria sit Christianis *Act. 15. 1.* circumcisio, *facta seditione non minima. Statuerunt, vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione.* Vides & quales hic mittuntur, & nomine quorũ mittuntur, & quorũ deniq; sentẽtiis ea difficultas deciditur? Et idẽ hucusque seruatur in Ecclesia, quod Demo-

cratica hæreticorum confuſio ignorat: de quo plura alias. At inquis: Non remittit Ioannes hoſce nuntios ad eorum ſuperiores. Certè nũquam probabis, non remiſiſſe illos, imò contrarium colligitur. Nam licèt non audiantur hic verba illa, qualia habentur in reſponſione Christi; *Euntes renuntiate* Hieroſolymitanis; tamen vt illic, ita & hic certum eſt rediiſſe nuntios, ad eos à quibus erant miſſi: aiunt enim & vrgent Ioannem hoc maximè nomine; *Vt reſponſum demus his, qui nos miſerunt.* Quod ſi iſti qui hos miſerunt, in iudicio ſuo de Meſſia errarunt, non eſt mirum, quia vt in exordio diximus, vinum hoc iam cum fecibus mixtum fuit. Redolebat itaq; hæc legatio, optimum vinum, in eo quod dictum eſt; ſuberat nihilominus quid fœculentum, in aliis additamẽtis, in pertinacia, temeritateq; iudicij, de quo tamen omnino non conſtat. Vnde mirari oportet eos, qui ſe Euangelicos ambitioſe vocant, & nihil probare iactitant, niſi quod in Euangelio ſit aſſertum, tam audacter aſſerere, & iſtos non eſſe remiſſos Hieroſolymam ad ſuperiores ſuos, & Hieroſolymitanos illos malè de Ioanne iudicaſſe, cùm neutrum apud vllum Euangeliſtam clarè reperiatur. Sed hæc eſt illorum effrons gloriatio, millies confutãda; toto cœlo diſſentire ab Euangelio, & tamen Euangelicos ſe eſſe mentiri.

Obiectio ſoluitur.

Mat: 11. 4.

Verùm nos alia huius rei exempla proſequamur: quorum celeberrima ſunt, quæ in vno

6. 7. 8. Ex Paulo, in quo vi-

demus ter id obseruandum. vno D. Paulo expressa videmus. Hunc enim quamuis *raptum vsque ad tertium cœlum*, vbi *au-*
2. Cor: 12. 2. *diuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; nihilominus ter ad homines remissum esse legimus, fortè vt exaltationi vsq; ad tertium cœlum, terna in terra humiliatio respondeat. Ita nimirum Deus accuratè est ordinatus in rebus suis, atq; adeò omnis ordinis amator. Sit nomen eius benedictum in secula. Primò igi-
Act: 9. 7. tur remissus est Paulus ad *Ananiam*, ex Christi mandato: *Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur ibi quid te oporteat facere.* Itané Christi magisterio perfectus euadere non potuit, sed ad hominem missus est vt perficeretur? Secundò
Gal: 1. 18. venit *Hierosolymam videre Petrū*, vt ipse fatetur.
Gal: 2. 2. Et quare? Respondet: *Ascendi autem secundum reuelationem*, &c. *Ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem.* Tertiò remissus est ad Ecclésiam quæ erat Antiochiæ, ad Prophetas & Doctores qui erant ibi, quos sic alloquitur Spiri-
9. Ex Barnaba. tus sanctus: *Segregate mihi Saulum & Barnabam*
Act: 13. 1. *in opus, ad quod assumpsi eos.* Illi verò quid fecerunt? Id videlicet, *Ieiunantes & orantes, imponē-*
10. Ex Cornelio. *tesq; eis manus dimiserunt illos.* Eodem modo *Cor-*
Act: 10. 2. *nelius centurio religiosus & timens Deum*, ab Angelo, vel potiùs à Christo per Angelum Petri institutioni seruatur. Admiranda sanè & laudanda diuina bonitas, quæ nobis tam expressa sui ordinis vestigia reliquit. Quid enim? nunquid aut Angelus Cornelium res fidei edocere, aut Christus tum Ioannis discipulos, tum

Paulum

Paulum quid eum oporteret facere, instruere, aut Spiritus sanctus Paulum & Barnabã mittere quò vellet, non potuit, sine humano ministerio? poterant equidem. Cur ergo ad præfectos Sacrorum eos ablegant? vt ORDINEM CONSTANTEM in Ecclesia seruent, & nos seruare doceant; vt ostendant re & facto ipso, *Quæ à Deo sunt, ordinata esse.* Ideò tam discipuli Ioannis, quàm Paulus à Christo mittuntur ad suos superiores, vt subordinatio commendetur. Ideò Paulus secundũ reuelationem ascendit ad Petrum, tanquam ad eum cui Christus ter cõmisit oues, & regimen Ecclesiæ suæ; ne in vanum curreret aut cucurrisset, si cum Petro & iis quibus ministerium Apostolatus cõmissum erat, non contulisset Euangelium: quia hoc quoque in tertio cœlo didicerat, ordinem seruandum esse. Ideò idem Paulus & Barnabas à Spiritu sancto ad Prophetas & Doctores, hoc est ad Episcopos qui ibi erant remittuntur, vt eos in Episcopos consecrarent, ritumq; & ordinem Ecclesiæ seruarent, quod impositis illis manibus fecerunt.

Rom: 13. 1 *Gal: 2. 2.* *Ioã: 21. 16* *Act: 13.*

Ista sunt igitur tria capita inter alia, in quibus consistit hæc ordinata constantia, siue ORDO CONSTANS. Ordo est, quia omnes à summo ad imum, eleganti serie sibi mutuò iuncti sunt: constantia est, quia ita cœptum est ab initio mundi, & perdurabit ad finem: Verũtamen aduersarij omnis ordinis adeoq; Ecclesiæ, & Dei, contra ordinem à diuina sapientia inue-

Obiectionum hæreticorum tria capita.

inuectum, inordinata & insipida inueniunt argumenta; quorum sophismata in totidem capita (vt tria tribus respondeant) reduci possunt. Primum est, antiquos Prophetas non semper cum prioribus, & multò minus cùm Pontificibus sui temporis conuenisse: quinimò illos sæpe grauissimorum scelerum arguisse. Hæc dicunt aduersarij magna contentione, sed nullum penitus errori suo afferũt patrocinium. Nam quòd aliquãdo summi Pontifices fuerunt reprehensi à Prophetis, id factum est propter scelera illorum, quibus, quãquam è cathedra Mosis, sanam doctrinam profiterentur, erant obnoxij. Sed enim hoc modo argumentando hæretici, solitis vtuntur fallaciis, & more suo statum causæ peruertunt. Non est inter nos cõtrouersia, an illi per quos Deus hominibus loquitur, non possint esse scelerati moribus, cùm id vltrò concedatur: sed an iste homo vitæ licentiosæ, modò sit verus Pontifex, vnquam quicquam falsi, siue in rebus fidei, siue in moribus determinauerit, & seruandum fidelibus præceperit? De hoc videlicet quæstio cùm sit; ostẽdant hæretici vel vnico exemplo liquidè ex scriptura prolato, cui soli iactant se niti, summos Pontifices, etiam veteris testamenti, falsò quid sanxisse, aut contradictionem aliquam inter Prophetas extitisse. Obmutescunt ad hanc petitionem. Nisi fortè Hieremiæ contrarium fuisse Aggæum indicant, eò quòd ille demolitionem, hic instaura-

1. Cõtra primam conditionem.

Hæretici Sophistæ.

ſtaurationem, templi Hieroſolymitani prophetauerit. In quo craſſam illam fallaciã ignorationis Elenchi committent. Concilia tempora, & conciliabis ſcripturam vulgò dicitur. Tales ſunt apud illos, quas imperitæ plebi pro demonſtrationibus vendunt, inſulſæ cauillationes.

Alterum huiuſmodi nugamentorum caput eſt, cùm aſſerunt Prophetas etiam ſibiipſis nonnunquam contrarios fuiſſe. Ad quod abundè refutandum, ſatis eſt illa diſtinctio alias tradita aſſertionum diuinarum; quaſdam abſolutè reuelatas eſſe, quę æternę veritatis cẽſentur: quædã verò adiecta quapiã moderatione & cõditione poſitæ ſunt. Primæ illæ, ſunt veluti linea rectiſſima, quæ omnẽ curuitatem improbarũ opinionum indicant, nec vnquam mutantur. Huiuſmodi ſunt Catholicæ aſſertiones de SS. Trinitate, de humana natura à Chriſto verè aſſumpta, de B. Virginis perpetua integritate; de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, de vſu eius ſub vnica ſpecie, de purgatorio, & alia, quæ hæretici, primùm in dubium vocant, poſtea definiunt eſſe falſa. Quæ verò futura à Prophetis prædicuntur, & ſimul ex voluntate pendent humana, quæ ea impedire poteſt, ea mutari poſſunt, & de facto ſæpiùs mutantur. Itaq; ſicut conditionatè efferuntur, (ſiue conditio ſit expreſſa, ſiue ſubintelligatur) ita conditionatè tantùm ſunt credenda, niſi accedat vel iuramentum, vel

2. Caput obiectionum, contra ſecundã conditionem.

Dõ: 1. Adt Cõ: 2. & 8.

alia efficacis diuinę voluntatis testificatio, quę nos certos reddat, veritatem illam esse primi generis. Tale olim fuit illud, Christum Messiam ex semine Abrahæ & Dauidis nasciturũ, quod quamuis mutari posse videretur propter ingentem vim scelerum, qua stirps illa tãto se beneficio ferè indignam reddiderat; nihilominus tamen addito diuino iureiurando fixum erat. Abrahamo quidem dicente
Gē:22.16. Deo, *per memetipsum iuraui: Benedicentur in se-*
Ps.88.36. *mine tuo omnes gentes terræ.* Dauidi verò: *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar semen eius in æternum manebit.* Illud videlicet semen, quod
Gal:3.16. interpretans Apostolus inquit: *Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est Christus.* Huius generis est illud etiam, Christum venturum ad iudicandum viuos & mortuos; quod ne quis putaret aliqua ex causa immutandum, additum est iusiuran-
Dō: 1. Ad. Con: 4. dum, vt aliàs vidimus. Reliqua verò quæ non pauca sunt in scriptura asserta conditionatè, vt dictum est, intelligi & credi debent. Tales sunt prophetiæ, tum quæ comminationes continent, quibus plenæ sunt diuinæ literæ; tum etiam quæ priuilegia quædam tribuunt, quę tamen propter peccata, vel ad tempus restricta, vel funditùs sublata sunt. Eiusmodi
1. Reg: 2. 30. erat illud de quo sic Deus ad Heli, *loquens loquutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsq; in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me.* Et in tali-
bus

bus prophetæ non solùm ab alijs sed etiam à seipsis diffidebant; vt vidimus in Elia & Isaia, *1. Reg: 2. 30.* & nunc aliquando discrepant, pro ratione locorum, temporum, personarum. Non enim *3. Reg:22. 29.* grauatur Dominus m[illegible]re comminatoriam *Is: 38.* sententiam, si quis [illegible]itus mutauerit per pœnitentiam actæ vitæ mala; neq; promissis suis amplissimis dignum esse iudicat eum, qui in cœpta bonitate non perstitit. Discernere autem quæ sunt primi, vel secundi generis diuina illa axiomata, quando iuramentum annexum non habent, pertinet ad illos iudices, quos necessariò in Christi Ecclesia reperiri oportere antea probauimus. Hæc igitur est fides Catholica firma firmiter, conditionata sub moderamine credere. At perfidia hæretica (vt alias diximus) modo planè contrario, salutem quæ vbiq; in scriptura cum conditione promittitur, fide indubia credere iubet: ea verò quæ æternæ sunt veritatis in dubium vocat. In quibus primus nostri temporis hæresiarcha Lutherus ita hallucinatus est, vt iam *Vide Cochleum in septicipi Luthero.* assereret esse purgatorium, iam negaret; nunc admitteret vsum vnius speciei, nunc sub ęterna damnatione prohiberet; iam bona opera extolleret, mox in optimè etiam factis, peccatum committi diceret, & his similia multa.

Postremum ineptiarum hæreticarum caput, quod postremam notæ huius partem oppugnat, textum est è maximorū virorum, tum Prophetarum Veteris testamenti, tum ipsius **5. Caput obiectionū, Cōtra tertiam cōditionem.**

precurſoris Ioannis Baptiſtę,& maximè Chriſti Domini, nec non Apoſtolorum exemplis: qui omnes cùm eſſent à Deo immediatè miſſi,nunquam ad ordinarios referebant ſe: quinimo Principibus Sacerdotum, Phariſæis & ſimilibus contrarium & docebant, & faciebant. Cæterùm tam ſunt hæc vera, quàm cætera quæ comminiſcuntur hæretici, pro ſua vſitata fingendi licentia. De prophetis veteris teſtamenti, & de Ioanne, iam diximus: neq; contrariũ vnquam ab aduerſariis probari poterit. Non remittebant quidem populum ſubiectum ad ſuos ſuperiores: vt in viuendi ratione illos imitaretur, ſi ij erãt deprauatis moribus: ſed quòd prohibuerint ne ordinariis obediret, nunquam auditum eſt. Luculenta eſt illa Saluatoris oratio: qua ſuperioribus ordinariis authoritatem aſſerit dicens: *Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis,ſeruate & facite,ſecundum opera verò eorum nolite facere.* Quid dici potuit clarius, & noſtro inſtituto magis accommodatum? Correxiſſe Chriſtum fateor priuatos Phariſæorum in legibus Moſaicis interpretandis errores & opiniones. Cæterùm nunquam oſtendent aduerſarij eum, aut contra legem Moſi quicquam feciſſe(quàm ſtrictiſſimè in omnibus obſeruabat) aut traditiones aut decreta ſuperiorum, quæ erant alicuius momenti,aliquando violaſſe. Et quidem quæ in Phariſæis reprehendebat Chriſtus Dominus,duo

Reſpondetur.

Mat:23.2.

Duo reprehendebat Chriſtus in Phariſæis.

nus, duo erant præcipuè. Alterum quod hypocritica vtentes, maiora limis transilirent oculis, & nugas quasdam pro magno crimine haberent: talia erant illotis manibus manducare, infirmis curandis sabbatho operam dare: & his similia, quæ constitisse aliquo solido pontificum decrèto, nunquam probabunt. Ideò dicit eis Dominus: *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Quos egregiè hæretici imitantur, qui minutiora quædam magni facientes, maxima omittunt. Ita Anabaptistæ excolant culicem, dum in baptismo requirunt necessariò in aquam immersionem, & glutiunt camelum, horrēdas in sanctissimam Trinitatem, in cuius nomine baptisma perficitur, ructātes blasphemias, & ipsum baptisma parui facientes. Ita Caluinistæ colant culicem, non permittendo vt Eucharistia sumatur nisi stando, vel secundum alios sedēdo (ideo ægrotis iacentibus in lecto non eam porrigunt) & glutiunt camelum, negantes ibi esse verum corpus Christi. Sic Lutherani colant culicem, vsum vtriusque speciei necessarium esse asserentes, & glutiunt camelum extra vsum esse corpus Christi, contra euidentem verborum Christi vim negantes. Alterum fuit, in quo Christus arguebat Iudæos, quia illum pro Messia non recipiebant, contra aperta diuina oracula & traditiones illorū, quæ eis ignotæ non erant. Denique etiamsi tum temporis Iudæi in aliquo etiam ordinatè

Matt: 15.

Hæretici Pharisæorū imitatores

Matt: 23. 24.

facto decreto errassent (de quo alias nobis disserendum erit) quid mirum? quandoquidem & ipsi, & lex eorum ad occasum vergebat? Et hac de causa Apostoli, & legis antiquæ ceremonias non obseruabant, & ad ordinarios Iudæorum amplius non recurrebant, quia legem illam abrogatam esse iam sciebant, vt à Prophetis prædictum fuit. Proinde hinc potiùs contrarium ostēditur, vt mox videbimus.

IIII. MEMBRVM. Quomodo ex dictis cognoscendi Tum falsi prophetæ.

Quare vt ad vltimū, quod proposuimus, veniam, ex dictis duo habemus. Alterum quod principaliter in hac concione deducere volui Lutherum, Caluinum, & omnes hæreticos, non esse à Deo missos, licèt de hoc mendaciter glorientur, cùm non solùm miracula non faciant, sed etiam CONSTANTIA ORDINATA careant. Quod in Luthero nimis est apertum: In Caluino quoque licèt versipellis & in scribendo lubricus fuerit, satis tamen est euidens.

Tū Ecclesia Dei & synagoga Sathanæ.

Alterum quomodo hinc Ecclesia Christi & synagoga Sathanæ agnosci possit. Signū namque Ecclesiæ est ORDO CONSTANS. Hoc tota scripturarum authoritas, hoc res ipsa testatur.

Rom: 13. 1. Col: 2. 5. Fūdamentum ORDO CONSTANS.

Audiamus Paulum dicentem: *Quæ sunt à Deo ordinata sunt.* Et alibi. *Etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius quæ in Christo est fidei vestræ.* Vides quantopere extollat ordinem, ita vt illum *firmamentum fidei*, esse asserat? Quid vel clarius vel augustius dici poterat? Hic verò ordo, hoc firmamentum, siue ORDO FIR-

MVS

MVS & inuariabilis vbinam vigeat, an in Romana Ecclesia, an apud illos qui se ab illa segregarunt, facilè est ex omnibus illis conditionibus & dictis colligere. Inprimis enim ordinis est constantis, ordinatè & conformiter loqui iis, qui antea præcesserunt & à Deo missi locuti sunt. Hoc vt diligentissimè in Romana Ecclesia seruetur, sub anathematis pœna D. Pauli exemplo cautum est. Quid aduersarij? Num quæ Lutherus de præsentia Christi in Eucharistia docuit, & de fide esse dixit, ea Carolstadio & Zuinglio, aliisq; vt vera solidaq; visa sunt? Minimè. An quæ Zuinglius, Caluinus, & alij docuerunt, Deum esse in personis trinum, in essentia vnum, Verbum carnem assumpsisse, Christum ex Virgine natum esse, ista discipuli eorum Gentilis, Seruetus nō repudiarunt, irriserunt, exploserunt? Omnium sanè hæc erat viperina rabies, vt magistrorum suorum scita lacerarent, cōuellerent, nouis verò figmentis à se excogitatis, nominis celebritatem sibi quærerent. Ita quod stupendum est planè, vt plebs etiam cùm vrgetur, authoritate eorum, quorum fidem sectatur, statim respondeat: Quid mihi cum Luthero? quid cum Caluino? Quanta inordinatio, vbi neque cum prophetis & parentibus suis vulgus vult conuenire; sed quisq; sibi præses, magister & omnia, quisq; dicit se scripturam sequi, id est caput suum, quod ita scripturam interpretatur, vt placet.

Signū Ecclesiæ & synagogæ.

NOTA.

2. Signum. Deinde ad ordinem constantem valde spectat, vt quis nunquam secum dissentiat in rebus fidei. Id omnino Romana Ecclesia obseruauit semper. At hæretici non solùm ipsi suos articulos fidei toties reuocârunt, sed etiam ad tantam dementiam deuenerunt, vt audeant discipuli præceptorum, & patriarcharũ suorum scripta emendare. Sunt in manibus nostris opera Lutheri, vel ipso adhuc viuente, vel paulò post ab hæreticis edita, sunt alia, non ita pridem ab illius infausta posthuma prole typis impressa. Deus bone, quot loca in eis notârunt stigmate? quot mutilarunt? Nec iniuria, puduit enim eos inuerecundi Epicurei & Cynici doctoris: cuius doctrina sal erat quoddam infatuatum, non reprimendis, sed irritandis carnis putoribus aptum. Nonné exclamare hîc possum cum Propheta? *Obstupescite cœli super hoc*, & super tanta cœcitate. Quis vnquam audiuit Prophetam & Ecclesiæ reformatorem corrigi oportere? Certè si nulla esset alia in Lutherana secta absurditas, impossibile esset ob hanc solam me fieri Lutheranum. Præterea ordinis est subordinationem conseruare. Hæc in Ecclesia Romana cùm sit exactissima, apud hæreticos non est quod quæratur: siquidem in rebus fidei ministri referunt se ad plebem, & submittunt se iudicio eius, contra omnem naturæ & scripturæ ordinem. Acutuli quidem sibi videntur prædicantes, quando pro concionibus clamnat;

Ier. 2. 12.

3. Signum.

Neq;

Neq; nobis credite, imò verba noſtra cum ſcriptura conferte, & ſi videritis non eſſe conformia, doctrinam reiicite. Et tamen ſi diſcipuli vrgentur, ad ſe iubent recurrere. O ſtuporem, quis tam inſulſam circulationem ferre poteſt? Miniſtri prouocant ad plebem, & plebs ad miniſtros: & omnes ſunt animicidæ, vt verbo Lutheri, prophetæ illorum vtar. Sed pergamus vlterius. Quidquid eſt imitatu dignum in hac legatione, id in Eccleſia obſeruatur. Exurgit Propheta, res ad ſubſellia Eccleſiaſtica defertur, vt factum eſſe in Luthero & cæteris, cùm delirare cœperunt. Hic enim eſt ordinatæ diſciplinæ veræ ritus, ab omni antiquitate ſeruatus. Nil hæretica confuſione inordinatius: plebs miniſtros creat, confirmat, iudicat, exauthoratos deponit. Miniſtri prophanum vulgus appellant, vt arbitrum controuerſiarum fidei. Nihilominus tamen ſi quid Marte ſuo poſſunt, immutant, innouant, & addunt quæ placent: conuicti verò, in pertinacia ſua perſeuerant, ſicut iſti Iudaici legati. Nec mirum, iam enim hauriebant è fece obſtinatæ pertinaciæ, quam noſtratibus hæreticis teſtamento legarunt. Poſtremò, ſicut olim in Eccleſia Dei ſemper obediebatur ſuperioribus donec implerentur prophetiæ de ceſſatione legis veteris. Ita nunc à fidelibus obeditur prælatis, quibus à Chriſto dictum eſt: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* quod dum hæretici facere

4. Signum.

5. Signum.

Matt: 28. 20.

cere recuſant, non in Eccleſia Chriſti ordinata: ſed in rebelli ſynagoga Sathanæ, ſe eſſe re ipſa, euidenter demonſtrant.

Apoſtrophe ad Germanos. Quæ cùm ita ſe habeant, ad te, ô Germania in qua palæſtram & ſedem tam abſurdæ hæreſes primũ ſibi inuenerũt, mea cõuertitur oratio. Quis te gentem nobiliſſimam, & tam in politicis, quàm in aliis rebus ordinatiſſimam dementauit? vt relicto maiorum tuorum in rebus fidei præſtantiſſimo & conſtantiſſimo ordine adhæreſceres Apoſtatæ: tum ab auita fide: tum à religioſa profeſſione, bis profugo? Qui paſſa es, vt te gentem tot centuriis annorum Catholicæ religionis, & imperiorum maximorum laude florentiſſimam, ſpurciſſimi hominis impietas, & deordinatio obfuſcaret? Gal: 3. 1. *Quis*, inquam cũ Apoſtolo, *vos faſcinauit nõ obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt.* proſcriptus ſanè in cæremoniis, in imaginibus, in ſacrificiis, in Sacramentis, in omni deniq; fide & pietate, quę apud vos olim viguerunt. Reuertere igitur (prout ſenſim facis) vaga filia ad matrem tuam Romanam Eccleſiam, quæ te per Apoſtolicos viros à ſe miſſos, miraculis & Angelicæ vitæ puritate clariſſimos, olim Chriſto genuerat. Reuertere à confuſione Babylonica, ad illam congregationem, in qua *omnia honeſtè & ſecundùm ordinem* 1. Cor: 14. 40. *fiunt. Reuertere Sunamitis, reuertere, vt intueamur* Cãt: 6. 12. *te*, iiſdem quibus olim fidei, & morum ſplendoribus coruſcantem. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Cui laus & imperium in æternum. AMEN.

CONCIO TERTIA.

Spes.

AVdiuiſtis de quadruplici Chriſti Ieſu Domini noſtri, quem hoc ſacro Aduentus tempore mater ſancta recolit Eccleſia, Aduentu. Videlicet, inter nos, in nos, ad nos, & obuiam nobis. De duplici actum eſt, ordine quidem præpoſtero, ſed neceſſariò immutato; expectatis tertium: neq; ego abnuo, ſed maiorem huius rei tractandæ commoditatem expecto, quam ſequens concio de charitate largietur; ad illam igitur me refero. Interim ſpem noſtram fulciamus, ſed non ſine adminiculo gratiæ Dei, qui omnia bona operatur in nobis, quanquam non ſine nobis: *Dei* enim *ſumus adiutores*, ait Apoſtolus. 1. Cor: 3. 9.

Ad hoc propoſitum ſubſeruit nobis lectum Euangelium, quod antequam verbatim, vel membratim totum explico, primò præmittam, quæ fuerit huius, quam audiſtis, ad Ioannem expeditæ legationis occaſio. Sis adiutor noſter Chriſte IESV, vt ad tuam gloriam maiorem collaborantes Euangelio, in tam opere pio non fatigemur. PROPO. Euangeliũ tractabitus cùm doctrinis.

Duplex vt arbitror huius, quam in Euangelio deſcriptam audiuiſtis, legationis fuit cauſa & occaſio: altera præceptum diuinum: altera prophetiæ expletæ. Præceptum diuinum fuit, vt ſi quis Propheta in medio illorũ exur- Occaſio legationis duplex. 1. Præceptũ diuinum.

exurgeret, qualem & audiebant, & videbant Ioannem esse, ab iis probaretur. Nec solum
Deut: 13. præceptum dederat illis hac de re Dominus,
& 18. cap: sed etiam modum & seriem, qua examinari deberet præscripserat ab ipso legis antiquæ e-
2. Prophetię expletę xordio. Prophetiæ verò de aduentu Messiæ, iam vel omnino completæ, vel breui implendæ erant.
De sceptro Iudæ. Completum fuit illud celeberrimũ Iacob Patriarchæ vaticinium: *Non auferetur*
Gē: 49. 10. *sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium.* Herodes enim persecutor Christi & occisor infantum, non solùm non fuit ex stirpe Iuda, sed neq; ex Iudæorum progenie; Idumęus enim erat, vt historiæ testantur, & tantus dictæ tribus Iuda inimicus, vt præter multos alios, etiam vxorem suam, quæ fuit ex eadem tribu, & filium quam ex ea genuerat, occiderit; occidit quoq; plerosq; ex celeberrimo illo Senatu Sinedrin dicto: qui septuaginta illorũ
Exo: 24. 1. iudicum, quos Moses iussu Dei constituerat,
Nu: 11. 16. locum tenebat, & magna ex parte ex tribu Iuda deligebantur. Ad tempora verò Herodis perdurauit *sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*: tum in Machabæis, & eorum successoribus, principatum inter Iudæos multis annis gerentibus, tum in dicto Senatu, summę apud Iudæos authoritatis, & potestatis. Nam licèt Machabęi essent ex tribu Leui, vxores tamen habebant ex tribu Iuda, quia duæ istæ tribus, Regia videlicet, & sacerdotalis, licitè miscebantur,

bantur, vt patet ex Iosabeth filia Ioram Regis Iudæ, quæ fuit vxor summi sacerdotis Ioiadæ, & ex aliis. Proinde saltem ex linea muliebri non defecerat sceptrum de Iuda, vsque ad Herodem. Hæc igitur prophetia insignis, iam finem acceperat. Alia verò prophetia maximi etiam momenti, iam iam erat in exitu; illa scilicet Ieremię de captiuitate septuaginta annorum: de qua solicitus olim Daniel Propheta, *cœpit rogare & deprecari in ieiuniis sacco & cinere Deum,* vt hoc mysterium sibi reuelaretur. Declaratumq; est ei, intelligi de aduentu Messiæ, qui post tot hebdomadas annorum apparere, & mori debuit, quod & euenit ad amussim. In hoc enim erant quodammodo nobis feliciores Iudæi, quòd non solùm signa euidentia, verùm etiam annos computatos habuerint, ad primum aduentum Christi: nos verò ita secundi ipsius Aduentus annorum definita spatia latent, vt ipse etiam Christus se tempus illud ignorare dixerit; quia ita illud sciuit, vt nullo modo, cuiquam manifestare debuerit. Videntes itaq; & illam Iacobi iam cessasse, & hanc Ieremię Danielisq; prophetiam euentui proximam (quam & sortita est in passione Christi Domini.)

2.Par: 22. 11. 4.Reg:11. 1.

De septuaginta hebdomadib.

Ier: 15. 11. & 29. 10.

Dan: 9. 3.

Mar: 13. 32.

MISERVNT IVDÆI AB HIEROSOLYMIS, vbi summorum Pontificum, & illius nominatissimi Concilij erat sedes. MISERVNT autem non quosuis homines, sed SACERDOTES ET LEVITAS. Ita enim decebat, vt quæstionem

Vnde expedita hæc legatio.

Qui nūtij.

de re

de re maximi momēti, in qua religionis summa agebatur, seculares deferrent ad superiores Ecclesiasticos. illi verò pro dignitate expedirent nuntios idoneos, siue solos Sacerdotes & Leuitas, vt hic factum videmus: siue etiam adiunctis illis Primoribus populi, vt tempore
Iosu.22.10. Iosue decem adiuncti erant Phineæ sacerdoti. Idem Iudæi etiam nunc obseruarunt, memores videlicet mandati diuini, per Prophe-
Mal: 2. 7. tam promulgati, quòd *labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Cùm ergo sacerdos angelus, id est nuntius sit Dei, eius opera in exploranda veritate vtendum est? Quod vtinam nunc Christiani ad vnguem ita imitari vellent, vti hoc & charum est Deo, & saluti pernecessarium. Si enim id fieret, non equidem tot & in rebus fidei sectas, & in rebus ad conscientiam pertinentibus, difficultates nodosq;, & ad peccandum tam multas apertas fenestras videremus. Quotus enim quisque nunc in hoc genere difficultatum ad Sacerdotes peritos recurrit? Ideo tot pactiones iniquę, tot contractus iniusti fiunt inter mercatores, & nobiles tot vsuræ passim: atque vtinam ab istis sint liberi vel illi qui in sortem Domini vocati sunt. Sciunt & intelligunt, qui sunt affines his lapsibus, quamuis nonnunquam dedignentur intelligere sua pericula: quia volunt peccare: & ne amittant commodū temporale, perdunt æternum in cœlis, & peccatū dupli-

Doctrinæ morales.

1. In dubijs ad sacerdotes recurrendum.

2. Ignorantia affectata fugiēda.

duplicant. Talibus enim competit illud: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Et addit Propheta rationem: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.* Graphicè videtur mihi descripsisse huiusmodi homines. Meditantur, imò & loquuntur iniquitatem, dum inter alia à Sacerdotibus & Doctoribus, scrupulos tantùm generari non necessarios, conscientias intricari; deniq; de rebus quarum experientiam non habent, præposterum ferri iudicium quærendo dictitant. Quasi verò nemo verum, & iustum de vitiis iudicium dare possit, nisi qui vitiosus vel sit, vel fuerit. At si hæc ratio pondus haberet, etiam Dei & Christi ipsius, qui nullum vnquam vitium committere potuit, omne de peccatis iudicium vt inane abiiciendum esset. O mens humana misera, quæ dum ipsa cœcutit, videntes cœcos esse autumat. Propterea etiam dicitur, quòd *astiterunt omni viæ non bonæ.* Nam dicat illis aliquis improbus consultor quippiam, quod commodum redoleat, quod voluptatibus eorum, quod vanis honoribus velificetur; & si desunt illi rationes ad id approbandum, adferat tantùm aliquot, veranè, an ficta exempla, nil interest: & statim acquiescent, continuò adstant viæ non bonæ. Quia malitiam non odiuerunt, veritatem autem & eius patronos iam pridem animo detestati sunt & contempserunt. Addunt insuper *excusationes in peccatis.* Enumerant tot iisdem

Psal: 35. 4

3. Doctorũ item sugillatio.

NOTA.

4. Et excusatio.

cooper-

coopertos flagitiis, etiam è magnatibus. Quasi verò vel multitudo peccantium minuat, & non aggrauet potiùs peccatum, vel tumidos principes, stolidamq; eorum superbiam vereatur Altissimus. Audi quid dicat Sapiens: *Potentes potenter tormenta patientur.* Addunt, vt se iustificent, etiam leges malè intellectas, quæ id permittere videntur, & fulminant contra illos, qui vt ipsi aiunt, extra sui officij orbitam in negotia Reipublicæ sese ingerunt. Denique posset quis argutulus obiicere hîc scriptum esse.

Sap: 6. 7.

AD EVM, videlicet, ad Ioannem missos esse Sacerdotes & Leuitas. Vos verò, inquiet, contra ad Sacerdotes mitti oportere contenditis. Quid faciemus profanis sacratissimarū legum deformatoribus? qui etiam Ioannis Baptistæ, audebunt affectare prærogatiuam? Sed ne plus sapiant quàm oportet: duo dicemus, vt resipiscant, & viuant. Alterum etiam, Ioannem, tam magnum virum ad Christum suos misisse, vt ante octiduum in Euangelio lectum audiuimus. Christum verò reliquisse in terra legatos suos, eosq; ita audiri præcepisse, vt qui id præstare recusaret, eum pro ethnico & publicano haberi voluerit. Ex iisdē præterea nuntiis relictis dedisse vnum, quem optimè nominare possum LEGATVM NATVM. Quamprimum enim summus Pontifex per legitimam electionem & consecrationem creatur, statim Deus per illum ita nobis loquitur

5. LEGATVS NATVS consulendus.

Matt: 18. 17.

quitur, vt dubia noſtra tam in rebus fidei, quā morum abſq; vllo diſſoluat errore. Ideo bene legati nati honorifico titulo inſigniri, & ad illum magnis in rebus, & dubiis, recurri debet à fidelibus. Quod ſi hæretici non credunt, ſatis eſt quod credant quibuſcum nunc ago Catholici, prout maiores illorum crediderūt, & quiq; vetuſtiſſimi Chriſtiani gentis noſtræ. Nunquid, ô Poloni mei, non habetis in veſtris ſanctionibus, à ſummo Pontifice reprobatos articulos non paucos Iuris Magdeburgenſis, quo ciuitates veſtræ vtuntur? Habetis equidem, & optimè, ea quę reprobata ſunt, reproba ducitis. Atque vtinam idem in aliis quoque facere velitis, & ſacerdotalis oraculi ductum ſequeremini: ſecurior certè conſcientia & longè florentior patria noſtra eſſet. 6. Ab illo petēda legum confirmatio.

At hoc eſt quod obiicitur; perſtringiturq; Sacerdotalis quædam velut indiſcreta curioſitas in negotia Reipub: ſeſe ingerens. Imo verò zelus hic religioſus eſt, eorum, qui politicos, non politicos, ſed pſeudo-politicos, & Machiauelliſtas inſectantur & ſtringunt, ne ſe contra diuina iura commouere poſſint: Eſto malè habeat hæc diligentia maleſanos, & detractores: attamen quidni eos arguant, quos Deus & Eccleſia, quos omnes pij & lumen naturale, adeoq; ipſi etiam Philoſophi Ethnici, ſola ratione duce inſectantur, & è numero bonorum ciuium explodunt? Id equidem ſatis conſtat cuiuis, qui Platonis, Ariſtotelis, 7. pſeudo-politici cauendi.

 & alio-

& aliorum præstantissimorum ac doctissimorum virorum Ethica & Politica scripta mente vigili reuoluunt. Peterem equidem abhisce politicis viris sanè non rarò doctis, & acutis, in oculis autem suis sapientissimis, vellemq; vt mihi pro sapientia sua responderent: An viro sapienti conueniat, vni vel alteri homuncioni, quorum vitæ ratio & doctrina, si cæteris etiam ethnicis conferatur, ne mediocri laude digna est, ita esse addictum, vt deserantur innumerabiles viri sanctissimi, qui in toto orbe doctrinæ & pietatis laude summa floruerunt, & ethica & politica (nam politica sine ethica, est vt corpus sine anima, & putridum putidumq; cadauer) multa scriptis suis inseruerũt, vt Gregorius Nazianzenus, vt Ambrosius, vt Gregorius magnus, vt alij; hos inquam & in eis iudicium totius Ecclesiæ deserere, & alios Dei cõscientiæq; suæ parum memores sequi, estné viri sapientis, & recte iudicio vtentis? At ratio, inquis, contrarium suadet. Quæ ratio obsecro? Certè non è morali & vera Philosophia petita, sed è diabolica philotimia (vt eam Cicero vocat) id est ambitione, & honoris appetentia, non amore boni communis, sed insatiabili, siue per fas, siue per nefas dominandi libidine. Nunquid enim Machiauellus versipellis Principem suum stylo describẽs non tyrãnum boni Philosophi Aristotelis ad viuum depinxit? Tyrãnum ergo vos ceruicibus Christianis imminentem, non Principem Christianum

8. NOTAN. Quid sit politica sine ethica.

9. Diuina prouidentia laudãda.

anum formatis. O quàm bonus Israël Deus, qui contra venenum, quod aliquãdo Christiano nomine indignus sophista eructaturus erat, præuidit etiam antidotum, penè ante bis mille annos. Ante tot enim annos floruit Aristoteles. Est ergo quod diuinæ ipsius bonitati gratias agatis, pro tanta gratia, & Ecclesiam matrem politici status, tam aperta pericula propulsantem audiatis, neq; iis qui vobis Christi, & sponsæ eius nomine veritatem hanc annuntiant, succenseatis aut detrahatis. Nunquid non audistis Deum per Prophetam dicentem: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum?* At- *Isa: 58. 1.* qui talia sunt hæc scelera, quæ & populum, & principes ducesq; populi ruina inuoluũt sempiterna; quomodo igitur taceri debent? Nihil equidem est ab officio & munere nostro alienum, quod vestræ saluti est necessarium. Hæc vniuersè dicta sufficiant, particularia quandoq; Christo volente, data occasione attingemus.

Quare, vt ad Ioannem redeamus, sicut Ioannes misit suos ad Christum Iesum tunc præsentem, vt ad supremum omnium controuersiarum iudicem, non misit verò illos ad Iudæos, iam deficientes: (Quis enim habens vinũ *Similitudo* nouum præstantissimum, fęces alterius vini appetat? At hoc est illud *vinum nouum* quod Dominus Iesus *in vtres veteres* mittere noluit) *Mat: 9. 17.* Ita tu in rebus dubiis, mitte ad sacerdotes Iesu, qui

ſu, qui ſi ita res poſtulauerit, mittent ad ſummum ſacrorum Antiſtitem, illum LEGATVM NATVM, quem nobis Chriſtus Ieſus pater miſericordiarum reliquit ſui loco, & inſuper eius authoritatem ad conſummationẽ ſeculi integerrimè duraturam, ſacroſancta promiſſione firmauit.

10. Doctrina, ad pios recurrendum.

NOTA.

Quod ſi adeò tibi placet hæc legatio Iudæorum ad Ioannem, etiam hinc poteris eximiam haurire doctrinam. (& hoc eſt alterum quod promiſimus) Exempli gratia, eſt dubium de tali & tali contractu, an ſit vſurarius, de huiuſmodi ſanctione, an ſit veræ, non adulterinæ politiæ conformis: deniq; de negotio quocunque aut beneficio, an cum aliis Eccleſiaſticis prælaturis licitè haberi poſſit. Etiamſi eccleſiaſticus ſis, conſiderá Ioannem vita & doctrina tibi prælucentem. Conſidera, inquam, alios presbyteros vitæ innocentia præditos, de quibus mala fama etiam mentiri veretur, illuſtres bonis operibus, vitia verò, & maximè adulationem, quæ in talibus valde excœcat oculos, fugientes. Vide an docti ſint, an zelum à Spiritu ſancto inſtinctum habeãt. Conſidera etiam hoc, idq; maximè, vt Ioannis nomen piè intellectum illis quadret, quod Hebræum eſt, & Latinis ſignificat, pium, gratioſum, gratia plenum. Vide igitur num illi, quorum captas conſilia vera opinione ſint tales, & tu eorum monitis exempliſq; probis acquieſce. Deniq; tu ipſe Ioannes eſto, da operam per

tam per ſacramentorum & bonorum operum ſtudium, diuinæ gratiæ poſſeſſionem firmam tibi compares. Hoc enim ſi feceris, ſiq; tales conſulueris, nec in aliquam commodorum tuorum partem propendebis, ſed purè & ſincerè gloriæ Christi & ſaluti tuæ intentus eris: non dubito te agniturum veritatem, quam amplecti & exequi ſtudebis. Abſit autem, vt eos qui ſecùs faciunt imiteris. Sunt enim quidam, prô dolor, qui tales quærunt conſiliarios & confeſſarios, qui eis placentia dicant; quorum ſententiã omnibus aliis præferunt, quamuis non parùm à vero Christiano rigore abhorrentem. Et impletur in eis illud Saluatoris: *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Sed diutius in hoc loco morali hæſimus, præter intentionem quidẽ, ſpero tamen non inutiliter. Nunc tranſeamus ad quæſtionem, ab his Leuitis Ioanni, nomine ſuo & totius populi Iudaici propoſitam. **Cœcitas intollerabilis.** *Mat: 15. 14.*

TV QVIS ES? Non interrogant, cuias eſſet; Bene enim nouerant Ioannem fuiſſe Elizabethæ ſterilis, & Zachariæ ſacerdotis nobiliſſimi *de vice Abia* filium: ſed quærunt quis eſſet officio, & maximè omnium, an ipſe eſſet Meſſias. Dicit enim alter Euangeliſta: *Exiſtimante populo & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Christus.* Hæc ergo omnium ſuſpicio delata ad ſuperiores, impulit eos vt hanc ad illum expedirent legationẽ. Videbant enim, vt dixi, & prophetias iam ex- *Luc: 1. 5.* *Luc: 3. 15.*

pletas, & Ioannem magna sanctitatis famæ præstantem. En quantùm valet vitæ bonę, pręsertim austeræ exemplum: plus certè quàm centum ratiocinationes & argumenta. Huic igitur studeamus, Dei, proximi, & nostri causa; Deo enim nil gratius, proximo ad ædificationem & multos Christo lucrandos nil efficacius, nobis verò nil ad coronam perennem vberius esse potest. Sed videamus quid Ioannes respondeat.

11. Sanctitati studendum.

ET CONFESSVS EST ET NON NEGAVIT. Quamuis consueuerit phrasis Hebræa, quod affirmatiuè dixit, negatiuè iterũ efferre, vt in eodem capite de Christo Deo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* attamen non caret id mysterio. Non solùm enim semel & iterum, sed etiam tertiò dicitur.

Quinq; Iudæorum interrogationes.
1. An Ioannes sit Christus.
Ioan. 1. 3.

ET CONFESSVS EST QVIA NON SVM EGO CHRISTVS. Magna igitur attentio ex magna contentione excitari debet. Sed cur se negat Christũ, cùm hac de re interrogatus non fuerit? Volunt quidam fuisse interrogatum, cæterùm nõ necessariò id consequitur. Nam & illi totius populi motus & cogitationes, quæ Ioannem non latuerũt, & tam magnifica legatio, quam hodie vidit, hoc ei tam clarè ob oculos ponebant, vt etiam non requisitus præpropera responsione occurreret. Quid verò ad hæc nũtij?

Luc. 3. 16.

ET INTERROGAVERVNT EVM, QVID ERGO, ELIAS ES TV? Secundam addunt interrogationem. Causa nota omnibus, cur de Elia interrogant.

2. An sit Elias.

Sciebant

Sciebant enim & Eliam non esse mortuum, & Ioannem ipsius prę se ferre habitum, viuendiq; rationem; denique quod caput est, non ignorabant quod scripserat Malachias: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Sed istud non nôrant, duplicem debuisse esse Messiæ aduentum, humilem & sublimem, abiectum, & (vt hic dicitur) magnum ac horribilem. Et hæc fuit & est ad hanc horam, causa interitus Iudæorum. Idcirco hinc vrgendi sunt, & declarandus est illis ex scriptura iste duplex aduentus; maximè verò primus ille humilis. Nam & Christus idem fecit, cùm sedens in asello triumphauit, & Euangelista ex Propheta inde hunc primum aduentum probat. Iudæi verò tantùm secundum imaginantur, neque talem qualis erit. Itaque respondet Ioannes Iudæis: NON SVM Elias. quo responso conuincit hæreticos, qui nixi testimonio Christi malè intellecto, asserunt, & Eliam Thesbitem amplius non venturum, & Ioannem esse Eliam, quod hic ipse negat. Sed dices fortè, vt superintendens quidam mihi respondit, dum illum vrgerem quodam dicto Pauli, quod ei videbatur contrarium dicto Christi: Quid (inquit) vis tu, vt ego propter Paulum deseram Christum? Ita fortè tu dices: vis vt propter Ioannem negantem, deseram Christum asserentem? Tales sunt hæreticorum solutiones, qui Apostolos & Ioannem, imò & Christũ ipsum

Mal: 4. 5.

Cur Iudæi non conuertantur.

Zac: 9. 9.
Mat: 21. 5.

Quomodo neget Ioannes se esse Eliam.

(quod faciunt Anabaptistæ) facilè inducentur vt deserant, modò somnia capitum suorũ defendant. Verùm in hac quæstione non solùm Ioannes Christo, sed etiam Christus erit sibi contrarius, qui ab vno eodemq; Euangelista inducitur, nunc asserens iam venisse Eliam, nunc venturum esse & restiturum omnia. Verùm nodum istum ipse Angelus Domini dissoluit, loquens de Ioanne ad Zachariam: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Ioannes igitur in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat, vt breuiter & pulchrè D. Gregorius & alij sancti Patres disserunt. sed maiorem habet difficultatem quod sequitur.

Mat:17.11

Luc:1. 17.

3. Quærunt an Ioãnes sit Propheta.

PROPHETA ES TV? interrogant Sacerdotes Ioannem tertiò. ET RESPONDIT, NON. At pater talem illum futurum prædixit aiens; *Et tu puer Propheta altißimi vocaberis,* & Christus Dominus; *Etiam dico vobis,* videlicet quòd est Propheta *& plusquam Propheta.* Sed huius quasi contradictionis duplex datur solutio. Altera, Ioannẽ ideo negasse se esse Prophetam, quia erat plusquam Propheta, è Christi testimonio, quod alias à nobis declaratum est. Altera, Ioannem è mente Iudæorum interrogantium, negasse se esse talem Prophetam, qualem ipsi augurabantur, videlicet vnum ex antiquis Prophetis, præsertim Eliseum, qui perinde olim circa Iordanem versabatur, aut illum Prophetam prædictum à Mose: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus*

Luc:1. 17.
Mat:11.9.
Cur id neget.

Quomodo sit & nõ sit Propheta Ioannes.

Deut: 18. 15.

minus Deus tuus, ipsum audies. Et hoc ſecundum eſt conformius, tum reſponſo Ioannis, qui nō ſe attollere pluſquam Prophetæ titulo, ſed deiicere potiùs voluit in omnibus: tum textui ipſo. Nam in interrogatione Iudæorum, PROPHETA ES TV, additur in Græco articulus, illum magni momenti Prophetam eximium inſinuans. Quomodo verò Iudæi poterant cogitare Ioannem vel fuiſſe Eliſęum, quem tamen ſciebant mortuum, vel illum Prophetam Deuteronomico teſtimonio promiſſum, cùm non ignorarent, illud de Meſſia dici (& ſic in primam incidiſſent interrogationem;) Reſpondeo cum D. Hieronymo, non eſſe noſtrum omnium errorum cauſas texere. Poterant enim pro libertate opinandi ſentire, vel Eliſęum reſurrexiſſe, qui etiam poſt mortem alios ſuſcitabat, vel illum Prophetam in Deut: alium futurum à Meſſia. Auditis igitur Sacerdotes illi & Leuitæ hiſce reſponſis, pertęſi tot negationum Ioannis.

DIXERVNT EI, QVIS ES? affirma aliquid. 4. Quis ſit tandem.
Et ne curioſitatis arguantur, addunt: VT RESPONSVM DEMVS HIS, QVI MISERVNT NOS. QVID DICIS DE TEIPSO? Iam fortiùs illum interrogationibus vrgēt, nec habet textus quicquam literalis difficultatis; iure etenim id à Ioanne exigebant. Sed nos habemus hic non contemnendam ad mores pertinentem conſiderationem. Rogo enim à vobis, mihi in Chriſto chariſſimis, vt ad normam illius pro- NOTA. Moralem doctrinam

 phetici

eximiam ex verbis. phetici solitarij sedentis & tacentis & leuantis se super se, ponderetis verba ista, & dicatis in corde vestro: QVID DICIS DE TEIPSO? quibus nam è rebus affectas gloriam, ô anima & lingua mea, coram Deo, coram hominibus, coram teipso? Credite mihi, si sincerè, si diligenter, si animo recto, & vero emendandi proposito latentes conscientiæ nostræ recessus scrutaremur, videremus sanè miserabilem commiserationem, & indignam vanitatem inopiamq; nostram: nec facilè nobis nostri ignoratio imponeret. Hæc salutaris consideratio omnibus ordinibus, personisq; pernecessaria est. Maximè vero illis, qui cum aliis versantur, & quo plus sunt talibus intenti: eò magis propendent ad ruinam. Quoties enim ex ore incautorum egreditur illud: Ego, ego? vanæ superbiæ indicium. Ego hoc feci, ego istud dixi; ego tale consilium dedi. Hinc contemptus aliorum, amor sui, obliuio Dei, hinc tot lapsus linguæ, quibus nostra exaggeramus, aliena deprimimus, hinc adulationes infinitæ, & nobis & aliis factæ, hinc gloria, tumor, complacentiæ, piis omnibus, Angelis, & ipsi Deo odibiles, quæ omnia æquus vltor DEVS grauiter punit, etiam in magnis personis. Nabuchodonosor Rex & monarcha maximus, in aula Babylonis deambulans cœpit se magnificè circumspiciendo dicere: *Nonnè hæc est Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?*

QVID DICIS DE TEIPSO.

Tren: 3. 28

Ne superbias ideoque puniaris.

Vt Nabuchodonosor.

Dan: 4. 26

Quid

Quid ex hac complacentia & gloriatione illi euenit? Subdit Propheta; *Cumq́; sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex; Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te.* Neq; mora; *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor.* Obstupescimus inflictam pro re tam parua, vt nobis videtur, tam ingentem pœnam, Rex regno spoliatus, per omnia bestiæ similis, per septem annos, non alio cibo quàm fœno tanquam bos cum bestiis vsus. Huic non dissimile, quanquam horrendum magis Christus Dominus narrat de quodam diuite, dicente animæ suæ: *Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Hæc fuit istius in corde tantùm soli Deo nota gloriatio. Quis verò effectus? Subdit Christus; *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Nec minus terrificum de Herode rege, qui *vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos,* Tyrios videlicet, & Sidonios, & immoderatiùs laudes & facta sua ingerebat. *Populus autem acclamabat: Dei voces & non hominis.* Quid inde? Narrat D. Lucas: *Confestim autem percussit eum Angelus Domini eo quòd non dedisset honorē Deo, & consumptus à vermibus expirauit.*

Vt diues in Euangelio *Luc: 12. 22*

Vt Herodes. *Act: 12. 23*

Audistis loquentes de seipsis? Intellexistis pœnas quibus puniti sunt; qui id inordinatè fece-

Quomodo à nobis e-

tiam peiora fiant.

fecerunt. Quid vobis videtur, de vobiſmetipſis? inueniturné tale quid inter nos, vel etiam intra nos? Abſit, inquies, nam illi reges honore priuabant Deum, quod vtique nemo noſtrum attentat. Quid ſi oſtendero multò atrociora etiam, à multis fieri, quàm ſunt iſta? Nunquid nõ digna erunt acerrima pœnitentia? Conferte enim, quæſo, gloriationes veſtras cum gloriationibus iſtorum, facta veſtra cum factis horum. Eſto, Nabuchodonoſor & Herodes, non dederint honorem Deo, at nos inſuper nouam ingerimus Deo cõtumeliam. Illi gloriabantur de vanitatibus quibuſdam; nos haud raró de peccatis, contra Deum commiſſis. Quid horum deterius ac rationi Deoq; magis contrarium? An factum negabimus? Nimis publicæ & ſonorę ſunt illę voces gloriantium de inimicis vindicatis, pulſatis, cæſis, de circumuentis & fraude deceptis, rerum variarum nundinatoribus. Nimis peruulgata & quotidiana eſt illa iactantia, de conuiuiis, comeſſationibus, ebrietatibus, de tot ad æquales hauſtus adactis comitibus, & potu nimio ita tractatis, vt vix aliquis fuerit, cuius mens aut pes, officio ſuo fungi potuerit. Quid dicam de turpitudine, de laſciuia, quam ſolutiſſimi paſſim potiſſimum ſermonum & gloriationum ſuarum materiam habẽt? O Chriſtiani, Chriſtiano dũtaxat nomine dealbati, quia pluſquam cœlum à terra ab hac inſigni vita veſtra abeſt profeſſione! Quæ maior ignominia Chri-

NOTA. Gloriationes de peccatis.

nia Christo, quàm cùm ita viuitur, vt Ethnicos etiam superet malitia? quando neq; ratione ab hac amentia, neq; tot castigationibus tam acribus,& tantorum regum exemplo denuntiatis, neq; vlla alia re à scelere tanto terremini? Dolebitis & ingemetis aliquando,sed vtinam non serò. Resipiscite nunc potiùs,per salutem vestram vos obsecro, & non ad vestrum interitum,sed ad bonum vsurpet quisq; verba ista. Quid dicam de meipso? Non gloriabor de vitiis vel vanitatibus:sed pudore suffundar de maxima mea in quoduis scelus procliuitate, de bonorum operum inopia, de tot admissis malis, quorum conscia mens assiduè me lacerat, neq; tamen ad ea punienda,vt deberet assurgit. Hæc facite obsecro, cùm aliàs, tum eundo cubitum quotidie, nec reges in stulta gloriatione, sed Ioannem in humilitatę imitamini, dicentem.

EGO VOX CLAMANTIS IN DESERTO, DIRIGITE VIAM DOMINI, SICVT DICIT ISAIAS PROPHETA. Magnæ & admirandæ doctrinę:sed circumsepti hac temporis breuitate differemus ad octiduum,vbi eadem ferè verba repetentur.Nunç reliqua videamus.

ET QVI MISSI FVERANT, ERANT EX PHARISAEIS. Hucusque vinum,licèt non omnino merum: nunc sequitur fæx turbida cum Pharisæorum mentione. Isti enim sectarij erant,sicut & Saducæi, quamuis non tam absurdi, vt isti.Erant enim paulò doctiores, ideò

ET IN-

Iudicium fugiendm. ET INTERROGAVERVNT EVM; secũdum quosdam Patres & doctores, bono, secundum alios, malo animo. sed quis nouit cor hominis, nisi ipse Deus qui finxit illud? Proinde à talibus abstinendum censeo, ne in temerarium incidamus iudicium. Non dico de hoc facto Pharisæorum, sed aliorum fratrum, quorum sæpe corda ex coniecturis leuissimis iudicamus. Interrogauerunt ergo Ioannem, quintùm iam videlicet:

5\. Interrogant cur baptizet. QVID ERGO BAPTIZAS? scilicet nouum quid baptismus illis videtur, qui non solùm seipsos toties lauabant, sed etiam *baptismata calicum, &* *Mar: 7. 4.* *vrceorum, & æramentorum, & lectorum* seruabãt. Sed fortè ideo nouum, quia homines baptisabat Ioannes, idcircò addunt:

SI TV NON ES CHRISTVS, NEQVE ELIAS, NEQVE PROPHETA? vnde hoc habuerint, vel Christum baptizaturum, vel Eliam aut Prophetas homines baptizasse, nescio: nec diuinæ literæ produnt. Fortè acceperant id ex traditione & doctrina Rabbinorum suorum, nec falsi sunt in Christo.

RESPONDIT EIS IOANNES, dans differentiam inter suum & Christi baptisma.

Ioan: 3. 26 EGO BAPTIZO IN AQVA. Ergonè Christus non in aqua baptizare debuit? Imò baptizabat omnino in aqua, vt etiam Ioannis discipuli eo nomine questi sunt. Non negat itaq; Ioannes Christum in aqua baptizaturum, sed negat eundem ipsius & Christi esse baptismum,

Differẽtiæ inter baptisma Ioãnis & Christi, cõtra Caluinum.

quod

quod nihilominus asserit, & Euãgelicus Christianus censeri vult Caluinus, aliiq;. Quanta impudentia, sed iam satis confutata. Nos in gratiam lectoris, per trãsennam aliquot differentias attingemus, inter Christi & Ioannis 1.
baptisma. Prima sit, quia Ioannis erat tantùm Mat:3.11.
in aqua: Christi *in aqua & Spiritu sancto*, vt ipse Act:19.4.
Ioannes testatur. Secunda Ioannis fuit in 2.
Christum venturum, vt D. Paulus insinuat; Mat:vl.19
Christi, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vt ipse praecepit. Tertia, Ioannis fuit in si- Mar:1. 4. 3.
gnum pœnitentiæ; ideo *Baptismus pœnitentiæ* Luc:3. 4.
vbiq; nuncupatur, quia signum fuit, eos qui Act:13.24
illo tingebantur velle facere pœnitentiam.
Christi verò non item, sed potius *lauacrum regenerationis & renouationis* dicitur: quod dabat Tit: 3. 5.
& dat gratiam. Quarta, baptismus Ioannis, 4.
non dabat *remißionem peccatorum*, sed tantùm
præparabat ad eam, vt bene Chrysostomus Chryso: in
docet; at Christi dabat, vt Apostolus testatur Mat.ca:3.
dicens: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*: aduerte particulam PER, quia verè per baptismum Christi datur remissio peccatorum, gratia, & salus. Exultet pia mens Catholico- Tit: 3. 5.
rum in verbo isto. Insuper, qui Ioannis Bapti- 5.
smate erant baptizati, iterum baptizantur, iu- Act:19.4.
bente Paulo; Christi autem baptisma nunquã
repetitum leges. Denique, Ioannis cessauit, 6.
Christi perenne est. Audiamus porrò Ioannem pergentem.

MEDIVS AVTEM VESTRI STETIT. Non fugit in

deser.

desertum vt ego, vobiscum versatur,communem agit vitam, vt vos lucrifaciat & Deo & sibi,quia ipse quoq; est Deus de Deo,sed quia nullo tantæ suæ curæ precio; Ideo sequitur:

Cur Iudæi ignorabāt Christum.

QVEM VOS NESCITIS. Quare? Quia scire non vultis, quia sole splendente lumina clauditis, quia tenebras peccatorum iudicij & amoris proprij diligitis: propterea quem omni affectu excipere & amare debuistis, contemnitis. O quàm pulchræ sunt hic doctrinæ ad correctionem vitæ nostræ, sed ad alia properandum est.

Quomodo Christ9 ante Ioannē.

IPSE EST QVI POST ME VENTVRVS EST. Sex videlicet mensibus tantùm, quot nempe Iesus post Ioannem conceptus & natus est, vterq; autem anno ætatis suæ trigesimo prædicare cæpit, quia hæc ætas muneri tanto fuit idonea. Pergit Ioannes encomiasten Christi Dei agere.

QVI ANTE ME FACTVS EST. non tempore, sed conditione mihi præstans interuallo infinito. Nam si ad tempus id retulisset, nihil magnopere in laudem Christi dixisset. Quot enim sunt iuniores qui senioribus excellunt? Certè ipse Ioannes patri suo multùm præeminebat, licèt tempore multò ei esset posterior. Volens igitur Ioannes laudibus extollere Christum, testatur tantopere sibi fuisse prælatū, vt dicat:

CVIVS EGO NON SVM DIGNVS, VT SOLVAM EIVS CORRIGIAM CALCEAMENTI. minimo se eius obsequio indignum iudicat. Magna planè humi-

humilitas magni materia ſermonis. Poſtrema ſequitur pars Euangelij, in qua deſcribitur nobis vbi hæc acta fuerint.

HÆC IN BETHANIA FACTA SVNT TRANS IORDANEM. Video modernis Doctoribus placere, eſſe vitium ſcriptorum, & pro Bethania Bethabara eſſe ponendum, quia ad illud oppidum Ioannes verſabatur; nec aliam video apud eos rationem, cur antiquos non ſequantur, qui dicunt duas fuiſſe Bethanias: vnam propè Hieruſalem, vbi Lazarus fuit reſuſcitatus, alteram iſtam; niſi quia antiqui, inquiũt, aſſerunt quidem duas fuiſſe, ſed non probant. At meo iudicio non parùm habet probationis, vel nuda maiorum teſtificatio, & tam in Græco quàm in Syriaco ſermone Bethaniæ vox expreſſa. Imò hic etiam non abſq; cauſa additum videtur, *trans Iordanem*, ad differentiam videlicet alterius Bethaniæ propè Hieruſalem. Ideo vel antiquorum opinio ſequenda erit, vel præceptoris mei, qui ſuſpicatur [vtroque nomine locum vocatum.] Nam hoc in ſcriptura non eſt inſolens, vt D. Hieronymus teſtatur. Quia tria ponit vnius loci nomina [Iebus, Salem, & Hieruſalem] neq; id abhorret à myſterio. Concluditur Euangeliũ.

Bethaniæ.

Eman: Sa.

D. Hiero: epiſt: 17. ad Marcel.

VBI ERAT IOANNES BAPTISANS. Quia ibi oportunus traiectus per Iordanem, magnum hominum hinc & inde concurrentium ſuppeditabat numerum. Docuit nos, vt ſicut mercatores ad vendendas merces terrenas &

Ioan: exẽplo occaſio bene agendi quærenda.

A ſimili.

nas & temporarias aucupantur, & magno redimunt loci commoditatem; ita qui spirituales sempiternasq; merces distrahere cupiunt, vbi maior est hominum concursus, ibidem ad maiora lucra animarum se accingãt. Quod etiam ipse Saluator fecit in ciuitate maritima & populosa Galileæ Capharnaum diutius cõuersando, propterea Capharnaum vocatur, *Ciuitas sua.*

Mat: 9. 1.

CONCL. Summam habens dictorum, & spẽ erigẽs.

Hæc de toto Euangelio dicta sufficiant, restat vt quod in principio promisimus, in conclusione præstemus; & ex dictis spem veram viuamque in nobis excitemus: qua inter alia hostibus nostris esse superiores solemus. Ita enim inquit Apostolus: *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* In pugna autem tria requiruntur. Primò vt hostiles nos incursus non lateant: deinde vt aptis armis cõtra eos muniamur: postremò vt victoriam referamus. Ista tria docent nos hæ tres Euangelij partes. Hostem enim latentem detegit nobis prudentia; quo pacto sit resistendum, docet pietas & religio; obedientia demum summam ex eo reportat victoriam. Quæ omnia & spem viuam in nobis excitant, & spes suo modo omnia ista in se complectitur. Prudentia tali in nobis se prodet indicio, si in rebus tam fidei, quàm morum, neq; affectibus, neque iudicio nostro regamur. Scitum enim, & vt verum, ita mirandum sanè est dictum illud: Prudentis esse prudentiæ suæ minimè fidere,

Per spem autem dũ pugnam⁹. *1. Thes: 5. 8*

1. Per prudẽtiã hostẽ agnoscim⁹.

dere,

dere. Ideo Sapiens monet: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Proinde ad illos nobis recurrendũ erit, qui nec volunt, nec poſſunt nobiſcum aſtu & deceptione agere. quod beneficium Catholica tantùm congregatio agnoſcit, habet, amplectitur. Cuius rei duplicem hic fontem aperuimus; alterum inferiorem, qui in recurſu ad viros pios, religioſos, ſanctos, doctosq; conſiſtit, qui cùm ſint eruditi, non facilè poſſunt falli: cùm verò ſint boni, omnino fallere renuunt; alterum altiorem, in quo ad ſuperiores, & ſi opus eſt ad ſupremum confugimus Iudicem, cui id priuilegij dedit Christus in gratiam dilectæ ſponſæ ſuæ, vt nec poſſit, nec velit nos in errorem inducere. Hac igitur ratione beneficio prudentiæ, quæ virtus eſt intellectualis, ideoque cognoſcitiua, hoſtem & eius fraudes optimè deprehendemus. Porrò illi reſiſtere adnitetur religio, cuius hîc aliquot habuimus documenta. Primùm, vt maioris ſit apud nos Catholicæ religionis, quàm pſeudo-polyticorũ iudicium. Alterum vt diligẽter & religioſè perquiramus à nobis, QVID DICIS DE TEIPSO? Religioſè inquam, non glorioſè; eorum enim qui ſecùs fecerunt, exempla & pœnas grauiſſimas ſanè audiſti; diligenter verò vt noſtra omnia tum dicta, tum facta atq; adeò etiam cogitata, ad calculum quotidie reuocemus, & pœnitentia ſancta caſtigemus. Ita videlicet reſiſtemus *diabolo & fugiet à nobis*; ita caput noſtrum optima galea ſpei

Prou: 3. 5.

2. Per religionem illi reſiſtim.

Iaco: 4. 7.

1. Theſ: 5. 8.

5. Per obedientiam vincimus. ſalutaris muniemus, vnde ſequetur optata, cuius typum in fine Euangelij habuimus, victoria. Quid enim BETHANIA ſonat, quàm domum obedientiæ? Hoc & ipſa Bethabara ſignificat, quæ domum tranſitus deſignat. In domo enim tranſitus, in peregrinatione ſumus, dilectiſſimi mei; Iordanis quidam fluuius, iudicij diuini, rapidiſſimo non abſimilis torrenti, traiiciendus nobis eſt; obedientiæ igitur ſtudeamus, obedientiæ operam demus, in domo obedientiæ hæc omnia exequamur, alias fruſtrà labor cedet, niſi ex charitate fluẽs acceſſerit obedientia. Nam teſte Sapiente:

Pro:21.28 *Vir obediens loquetur victoriam*, quam nobis tribuat Chriſtus Ieſus Dominus noſter, qui eſt benedictus in ſecula. AMEN.

CONCIO QVARTA.

Charitas.

Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.

Imago Dei in charitate. Gen:1. 27. ARbitror equidẽ illud quod in principio Geneſis dicitur: *Creauit Deus hominẽ ad imaginem et ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum*: imaginem hanc non ſolùm de anima, quoad naturalia dona, vt rectè ſancti Patres volunt, ſed etiam quoad ſuper-

ſupernaturalia, id eſt, quoad charitatem & gratiam (qua primi noſtri parentes in creatione præditi erant, ideoq; vtramq; imaginem in ſe gerebant) intelligi poſſe. Imò ni fallor, imago Dei, in charitate, qua ſoli iuſti dotati & ornati ſunt, excellentiùs quàm in animæ potentiis, quibus nullus homo carere poteſt, lucere & effingi videtur. Si enim animus noſter reſpectu corporis tantæ eſt eminentiæ; quantæ dignitatis erit anima, & quaſi vita animi ipſius, eidem animo noſtro comparata? Similitudinem hanc & imaginem, vt eſt in natura humana, aliàs declarauimus: nunc, quonam modo eadem in charitate fulgeat, quantùm exordij patitur breuitas, paucis accipite. Fide Catholica credimus & profitemur Deum prępotentem, ſi in eo ſpectes quæ abſoluta ſunt, vnum, ſi verò terminos & id quod eſt reſpectiuum conſideres, trinum eſſe, id eſt, vnum (vt dicere ſolemus) in natura & eſſentia, trinū verò in perſonis; quæ tamen tres perſonæ, ita in diuinitate ſibi vnitæ ſunt, vt vna nec eſſe ſine relatione ad alteram, nec nominari queat. Simili igitur quodammodo ratione, amor diuinus qui in piis reperitur; ſi naturam eius intuearis, vna virtus eſt, vnus eſt, vna gratia, vna *Charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris*: ſin verò terminos, ad quos charitas refertur, aſpicias, triplex omnino reperietur, Dei, ſuipſius, & proximi, quæ nihilominus ita cohærent ſibi, vt vnum ſine alio eſſe non poſſit: & ſi quid ex *Rom: 5. 5.*

illis auferas, charitas tota ruat necesse est. Hac igitur ratione imago Dei in vna elucet charitate. Itaq; cùm duabus præteritis Dominicis, bina concione, de charitate Dei & proximi egerimus: ordinis ratio postulat, vt de tertia quoq; disseramus, nempe de amore sui, secundum Deum rectamq; rationem ordinato. Nã si ordinatus non erit, neque charitas erit, sed planè contrarius charitati, amor ille sui; qui summopere est fugiendus. Vtrumq; tangi videmus in themate proposito. Cùm enim Ioannes Baptista de Christo inquit: MEDIVS AVTEM VESTRVM STETIT. Inprimis illũ amorem sui bonum, & sedẽ ipsius in nobis insinuat. Cùm verò addit: QVEM VOS NESCITIS; alterum amorem sui improbum subindicat. Non alia enim de causa Iudæi Christum nesciuerunt, nisi quia hoc impotenti sui amore pleni erant.

PROPOS: Quadrimẽbris. Quare ne in nobis idem, quod absit, figat radices, & vt tertium Christi aduentum, qui est in nos explicemus, in hac concione considerabimus. Primò, quis sit amor sui bonus, per quem demoratur in nobis Christus; & quis malus, sedem præparans inimico Christi. Deinde, quænam sit illa velut sedes animi, in qua Christus adeò libenter conquiescit in nobis. Præterea, quomodo hæc sedes sit præparanda, & in quo amor sui bonus maximè consistat. Postremò, quid inde emolumẽti in nos deriuari possit. Da tu immensa & increata Trinitas vnus De⁹, vt hæc ternaria veræ charitatis essen-

essẽtia per te instauretur & pficiatur in nobis.

Vt quæ proposuimus intelligantur commodius, & instituto nostro quadrent meliùs, explicanda nobis est inprimis prolata sententia in themate, quoad literalem & spiritualem sensum. Et quidem quod ad literalem attinet, is clarus est. Arguit enim Ioãnes Iudæos, quod cùm Christus Messias, Dei filius assumpta in se natura humana, visibiliter inter eos steterit, ipsi tamẽ eum nesciant, nec agnoscere velint. Iuxta sẽsum verò spiritualẽ, possum⁹ hic quatuor cõbinationes ponderare, in quibus, quot quot Christiano censentur nomine, reperiri necesse est. Primò etenim sunt aliqui in quorum medio stat Christus, id est, sunt in gratia & charitate ipsius, sed hoc ipsi nesciunt. Tales sunt omnes penè pij & iusti Catholici, in quibus quamuis habitet Christus, tamen latere eos tantum suum thesaurum voluit, propter eas quas iam copiosè recensuimus causas, & ob recondita iudicia ipsius. Addidi, penè omnes iustos, in hoc reperiri ordine, quia fuerunt, suntq; aliqui secundi ordinis, in quorum medio stat Christus, ipsis hoc scientibus & agnoscentibus. Quod quidem probabiliter sciunt non pauci, (vt in quadam concione disseruimus) at paucissimi qui certò id norint, præsertim multo tempore ante mortem. In morte tamen vel paulò ante, reperiuntur etiam nunc aliqui, quibus id pro sua misericordia, quando vult, Deus crebriùs manifestat.

I. MEMB.
Amor sui bonus malusuè quis.
Explicatio thematis.
Quatuor hominum ordines.
1. Bonus.
2. Melior.
Dõ: 2. Adv. Conc: 3.

 Terti-

3. Pessimus. Tertium genus est illorum, in quorum medio non est Christus, ipsi verò putant omnino esse: tales sunt præter hæreticos omnes (quos nunc missos faciamus) non pauci gelidi Catholici, qui dum non sunt sibi conscij blasphemiæ, homicidij, adulterij, latrocinij, & aliorum grauissimorum scelerum, licèt sint pleni detractionum, turpiloquij, ebrietatis, perniciosæ adulationis, & similium, arbitrantur se esse iustos, imò etiam in publicis consessibus, & in conuiuiis eo nomine se iactant dicuntque: Quid ego peccaui? neminem certè occidi, nihil furatus sum, adulterium non commisi. &c. Quasi verò hæc sola essent peccata lethalia. Contra tales lamentatur Deus in Apocalypsi dicens: *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Valde odiosus est hic tepor Deo, vt nauseam prouocet. Estq; hoc genus hominum in pessimo statu; quia morbus qui non agnoscitur, difficulter curatur. Postremum genus est eorum, in quorũ medio nec est Christus, nec ipsi id ignorant. Quia in peccato mortali perseuerant, neq; sese inde extricare ad pœnitentiam volunt. Ex his quatuor ordinibus, duo priores continent in se amorem sui bonum, per quem sanctificant & vniunt Deo animam suam; & si in eo perseuerauerint, in æternum ab eo non diuellentur in Hierusalẽ cœlesti. Contrà verò, quos in vltimis posui classibus, hi amore sui inordinato & pessimo

Margin notes: Apo: 3. 16. — 4. Malus. — Vbi amor sui bonus. — Vbi malus.

vitiati

vitiati sunt, & æternam fabricant perditionem animæ suæ, si sic permanserint.

Posse autem imò debere reperiri amorem sui bonũ clarum est, & in ipso præcepto charitatis, & ex dicto Christi. Quando etenim iubemur diligere proximum sicut nosmetipsos, profectò iubemur & nos diligere. Absit autem vel cogitare, Deum pręcepisse amorem proximi inordinatum; Necessariò igitur consequitur, amorem nostri, cuius instar proximũ amare debemus, ordinatum ac perinde bonum esse oportere: & hæc est charitas. Charitas enim nihil aliud est, quàm amor ordinatus. Et eundem commendat nobis Christus, cùm inquit: *Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo cõmutationem pro anima sua?* Amare igitur quilibet debet animã suam, ideoq; & seipsum; atq; ita amare eam tenemur, vt vniuersi potius orbis, quàm animæ detrimentum adeamus. Quod à contrario sensu expressisse mihi videtur Dauid cùm inquit: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animã suam.* Idcircò qui odio prosequitut iniquitatem, amat necessariò animam suam: amore scilicet ordinato, bono, sancto.

Esse amorẽ sui bonum probatur.

1. Ex præcepto diuino *Matt: 19. 19.*

2. Ex dicto Christi. *Matt: 16. 26.*

3. Ex Dauide. *Ps: 10. 6.*

De amore verò sui peruerso, non est quod adferantur testimonia scripturæ sacræ, cùm eò tendat vniuersa, vt hunc amorem stirpitùs è nostris euellat mentibus & cordibus. Hic enim est fons omnium peccatorum teste Apostolo,

Esse etiam peruersum probatur.

1. Ex tota scriptura.

2. Ex D. Paulo. Et esse pessimum. 2.Tim:3.2 stolo, qui cùm dixisset: *Erunt homines seipsos amantes*, inordinato videlicet amore, recenset quid inde mali consequatur, *cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti*, &c. Quãta improbitas, vnde talia mala scaturiunt? Et quod peius est, latet is nonnunquam amor sui malus, & sub specie boni irrepit, sicut & amor proximi inordinatus, sub larua charitatis proximi. Bonum est velle conseruare corpus suum: at quot sunt qui sub hac specie tradũt sese delicijs, epulis, ebrietatibus, ne quid grauius dicam? Pari ratione sub prætextu tuendæ dignitatis & honoris ad maiorem Christi gloriam, quàm multi vindictam propriam moliuntur, quàm multi detractione laborant, æmulantur, detrahunt alijs, rebusq; minimis offenduntur, licèt maioribus ipsi alios afficiant iniurijs? quæ tamen sicut non agnoscuntur cùm à nobis alijs fiunt, ita cùm alij eas inferunt, nimis morosè & implacabiliter æstimantur. Et hæc omnia facit amor sui inordinatus.

Sæpeq; laruatum incedere. Tam respectu nostri.

Quàm respectu proximi dupliciter.

Quod & in amore proximi vsu venit. Quot enim sunt, qui sub specie boni amoris proximi, tot malorum patroni sunt & fautores? & permittendo peccata quæ impedire tenentur, & ipsi patrando quæ minimè deberent. Hinc illę voces: proximo condescendendum esse, & in gratiam eius, aliquid faciendum. Fas equidem est bona facere: sed nefas est hac veluti larua obtegere sua errata,

errata, cùm dicat Apoſtolus: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* O quàm id eſſet nunc neceſſarium, quando adulatio & hypocriſis inundarunt. Audite quomodo de vtroque amore inordinato idem conqueritur. De ſui quidem, cum inquit: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.* O Paule, ſi id iam tum temporis fuit, quando adhuc ſanguis Chriſti nuper effuſus feruebat bulliebatq́; & quando primitiæ Spiritus vigebant, quid putas nobiſcum agi, qui in fines eorum ſeculorum deuenimus, de quibus dixit Saluator, *quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum?* De amore verò proximi inordinato, illud bene accipitur: *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſumemini?* Sub prætextu enim ſpiritualis amoris proximi, in carnalem ſæpiſſimè fit prolapſio.

Oſtenduntur hæc ex Apoſtolo. *Gal: 1. 10.* *Phil: 2. 21.* *Matt: 24. 12.* *Gal: 3. 3.*

Diſcernendus igitur eſt prudenter & cauẽdus diligenter cùm proximi, tum verò ſui amor inordinatus. Quam cautelam docet nos ille Pſalmi locus: *In circuitu impij ambulant.* Videtur enim ſimilitudinem accepiſſe Dauid à cane, vel beſtia alia catena ad palum alligatis, qui & in circuitu ſemper ambulant, & quicquid intra ſphæram ſuam reperiunt, omnia ad ſe trahunt, lacerant, comminuunt: ita omnes amore inordinato laborantes, quicquid faciunt, loquuntur, cogitant, omnia propter ſeipſos faciunt, omnia in ſuam deriuant vtilitatem. Examina te diligenter, qui laboras hoc vitio,

Quomodo cognoſcẽdus amor inordinatus. *Pſ: 11. 9.* A ſimili.

Cauebim⁹ illum per odium sui & proximi. vitio, & ita se rem habere videbis. Cauebis autem, si tum eorum quæ iam dicta sunt incommodorum ac peccatorum; tum quæ hæc consequentur pœnarum; tum doctrinę Christi obseruatu certè dignissimæ, memor eris. Christus enim auocare nos cupiens ab hac inordinata tam nostri, quàm proximi dilectione, non solùm vt fugiamus eam præcipit, sed etiam vt odio nosmetipsos & proximos hoc nomine habeamus, seriò & cum magna comminatione mandat dicens: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, adhuc autem & animam suam, nõ potest meus esse discipulus.* Hæc in praxim reducamus, obsecro, & sancto exardescamus in nos odio. Hoc enim odium, amorem Dei in nobis, & tam nostri quàm proximi veram charitatem procreat. Nam vt dictum est, nunquam amores isti boni à se auulsi sunt; vel enim omnes habeas necesse est, vel omnino nullum. Id nihilominus inter Dei & alios amores interesse videtur, quod nunquam in scriptura legatur, nos odio debere habere Deum: at non solùm legitur, sed etiam iubetur, odium & sui & proximi, vt discas, quod iam explicuimus, amorem nostri & proximi duplicem reperiri; vnum bonum, qui Charitas dicitur: alterum malum, qui cõcupiscentia à sanctis Patribus (præsertim verò sancto Augustino) nuncupatur. Qui duo amores licèt in nomine conueniant, in re tamen non solùm discrepant, sed ita sunt sibi contra-

Luc: 14. 25.

Non tamẽ Dei.

Aug: lib: 3. Conf. ca: 1. & alibi sæpè.

contrarij, vt vnus alium destruat, si sit vehemens, labefactet verò, si sit modicus. Proinde si est in vobis amor vestri ordinatus, Christus Iesus MEDIVS VESTRI STETIT. Sin verò fuerit inordinatus, inimicus ipsius diabolus sedem ibi fixit suam; quod tamen de magna, & quæ cum lethali peccato coniuncta est, inordinatione amoris intellige. Nam si modica erint, non expellet à nobis gratiam Dei, sed feruorem charitatis redundet, tantò magis, quantò maior in amore sui deordinatio fuerit.

Medium autem per quod Christus Dominus velut sedem occupare solet in nobis, duplex videtur reperiri in scriptura, secundum duplicem etiam hominis diuersimodè considerati partitionem. Nam si quod est in homine pręcipuum caput videlicet consideres, medium eius erit cerebrum ibidemque intellectus: sin totum corpus spectes, cor medium eius esse fateberis. Istæ igitur sunt duæ sedes Christi in nobis; in intellectu manet per fidem, qua intellectum nostrum illuminat; in corde verò per gratiam, qua cor nostrum per charitatem ad amorem sui, nostri, & proximi, ordinatum inflammat. Nam testatur Apostolus, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris.* Et quamuis cordis faciat mentionem propter charitatem, cuius statim meminit, tamen fidem esse in intellectu certum est, ipso etiam D. Paulo consentiente. Et de hac mansione intel-

II. MEMB. Duplex sedes Christi in nobis.

1. Cerebrū, vbi est per fidem.

Eph: 3. 17.

Heb: 11. 1.

intelligitur, quod hic dicit Ioannes Baptista: QVEM VOS NESCITIS. Nouerant enim Iudæi Iesum ex facie, sed nō nouerant per fidem, quia illum pro Messia recipere noluerūt. Ideò alter Ioannes de illis conqueritur, dicens: *In*
Ioan: 1. 11. *propria venit & sui eum non receperunt.* Iudæi videlicet, ad quos missus fuit Christus. Et subiūgit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credūt in nomine eius.*
2. Cor vbi per charitatem. Ecce quàm clarè dicitur per fidem recipi Christum, proinde sic adesse illum, & manere in nobis necesse est. De altera etiam sede tam euidens est, vt hanc sibi mansiunculam à nobis concedi postulet Deus, per Sapientem di-
Prou: 23. 26. cens: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Istæ sunt duæ sedes, in quibus Christus Iesus spiritualiter in nobis adest: sed cùm hodierno nostro instituto, secunda maximè seruiat, ideo de hac sola
Differentia inter has sedes. nunc agemus. Inter quam & illam aliam hoc interest, præter alia, quòd in corde nunquam sedem suam soleat collocare Christus, nisi & ipse sit amicus noster, & nos vicissim illius. Per charitatem enim id fit, quę nos gratos Deo reddit: in alia verò sede potest etiā esse inimicus. Nam qui solam fidem absq; bonis operibus habet, est quidem in illo Christus, modo iam explicato, at est & non amicus, & inuitus quodam modo. Per charitatem solam quæ in cordibus nostris diffunditur, manet perquàm libenter & beneuolè.

III. MEMBRVM. Quomodo autem ad hanc Christi in nobis mansio-

mansionem nos disponere oporteat, iam est nobis pertractandum: nec sunt omnia nobis media percensenda, sed illud tantùm, de quo nos acturos proposuimus, nempe de amore sui ordinato: quo si præditi fuerimus, sine dubio Iesus in MEDIO NOSTRI figet domicilium. Videndum est igitur nobis, qua nam in re amor iste nostri ordinatus consistat? Ad quod respondeo: Consistere in humilitate, quam totum Euangelium hodiernum nobis commendat. Excutite etenim cùm alia, quæ sunt in illo laude digna, tum verò responsa & verba omnia Ioannis Baptistæ, & inuenietis nihil ea magis spirare vniuersa, quàm humilitatem, quàm sui abiectionem. Humilitas itaque est, vel sola vel præcipua virtus, quæ in nobis amorem nostri ita ordinat, vt charitas mera efficiatur. Humilitate præsente amor sui diuinus in nobis est, & in corde sedē Christo certissimam præparat: humilitate absente, amor nostri adulterinus est, Deo & Angelis ipsius abominabilis, imò & in corde nostro diuersorium tartareo dæmoni parat. Humilitas igitur est procuranda, superbia verò illi cōtraria, vt pestis fugienda, si Dominum Iesum in nobis manentem habere volumus, prout debemus. Humilitatis verò tot, vt dictum est, hîc argumenta reperiuntur, quot penè verba Ioannis Baptistæ.

Amor sui bonus.

Consistit maximè in humilitate

Et primùm quidem in tribus prioribus Ioannis responsis, tres gradus humilitatis, con-

Cuius tres gradus cōtrarios

trarios

trarij trib' superbiæ. trarios tribus superbiæ, notare licet. Primus etenim omniumq; pessimus superbiæ gradus

1. Gradus superbiæ pessimus & triplex. est, cùm aut quod non es, aut plusquam es, aut quod es quidem sed esse non debes, cum gratia creatoris tui Dei iniuria tribuis tibi. Ita pec-

Luciferi. cauit Lucifer dicens: *In cœlum conscendam, super*

Is: 14.14 *astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo.* Tribuebat enim sibi, quod esse non potuit. Cui contrario planè processit modo Christus Dominus, vt de illo testatur Apostolus, dicẽs:

Phil: 2. 6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Lucifer enim, vt vides, cùm esset seruus, formam Dei rapere volebat. Christus verò, cùm esset Deus, formam suscepit serui. Idcirco hic propter humilitatem ita est exaltatus, vt *in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum:* ille verò, propter superbiam ita depressus, vt eum &

2. Pet: 2. 4. cum sociis Deus *rudentibus inferni detractos in tartarum tradiderit cruciandos.* Videant Christiani quem imitari velint. Eodem typho super-

Nabuchodonosoris. biæ rex Nabuchodonosor tumebat, quando

Dan: 3. 15. elatè loquebatur ad Sidrach, Misach & Abdenago: *Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?* Cui, quidnam & quàm dextrè sancti iuuenes respondeant, & quomodo superbi regis stultam retundant gloriationem, vide ibidem, imitariq; stude. Hoc vitio & hæretici omnes,

Hæreticorum. & quidam laborant Catholici. Illi quidem, cùm & notitiam vniuersæ scripturæ, & certitudi-

tudinem ſalutis ſuperbè ſibi arrogant. hi verò quando contra edicta Eccleſiæ lectionem librorum hæreticorum temerè ſibi aſſumunt, cuius quidem temeritatis ac ſuperbiæ, & hîc per infidelitatem ſæpè debitas pœnas luunt, & poſtmodùm grauiſſimas ac æternas ſuſtinere illos oportebit, niſi reſipiſcant, quod opto, & vt fiat moneo. Deniq; in hoc ſuperbiæ malo occupati reperiuntur illi, de quibus Propheta: *Et peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala.* De quibus quia multa iam diximus, id tantùm addo, vt iſtud, *væ animæ eorum,* ex ore Dei procedens, diligenter conſiderent, necnon quod ſequitur, *quoniam reddita ſunt eis mala.* Poſſet etenim quiſpiam dicere; nulla videri quæ eos afficiant mala, imò affluere eos lætitia quotidie, cum tripudio epulantes. At crede mihi, vel Deo potiùs, non abſque cauſa ingeminari væ illud. Ingens equidem malum eſt, nolle peccatũ cognoſcere ſuum; ſed multò grauior peccati pœna, de impietate gloriari. Iſti igitur omnes grauiſſimo ſuperbiæ peccato obſtricti tenentur. Illi quidem tribuentes ſibi quod non habent, hi verò gloriantes de eo, quod gemitu & lachrymis deteſtari & à ſe amoliri deberent.

Quorundã etiam Catholicorũ.

Et omniũ qui de peccatis gloriantur.

Iſa: 3. 9.

In 1. Conc.

Omnibus verò iſtis, & repugnat, & ſimul dat remedium, primum Ioannis reſponſum, quod ita expreſſit Euangeliſta: ET CONFESSVS EST, ET NON NEGAVIT. ET CONFESSVS EST, QVIA

Remediũ, primus humilitatis gradus.

NON SVM EGO CHRISTVS. Vnde duo obſeruatu digna habemus: Alterum, gradū primum humilitatis in eo conſiſtere, vt quod deeſt boni, nobis non adſcribamus, quod verò adeſt mali, de eo impiè non gloriemur. Illud vides in Ioanne, qui non adſcripſit ſibi, ſed negauit conſtantiſſimè, ſe eſſe quod non erat. hoc verò (peccatum ſcilicet) cùm adhuc in vtero ſanctificatus fuerit, habere nō potuit. At nos, qui multa in nobis eſſe aduertimus, res tantoperè deteſtandas, in nobis & aliis perſequamur. Alterum conſideratione eſt digniſſimum, quanta cum animi & vocis contentione neget id de ſe Ioannes, vt ter idem repetatur. Veræ etenim humilitatis ſignum eſt, ea quæ honorē ſapiunt aut redolent, ſummoperè faſtidire. Quod ita facit Ioannes, & ita agunt homines verè humiles, vt exiſtimem, nunquam virginem quampiam caſtiſſimam & pudiciſſimam tantoperè erubeſcere, ac affligi, quando verbum aliquod impudicum ipſius ingeritur auribus; quantoperè commouetur homo verè humilis, dum laudes ſuas recenſeri audit. Vidimus id in quodam noſtræ religionis eximiè humili viro.

2. Gradus ſuperbiæ.

Secundus ſuperbiæ gradus eſt, quando quis ex eo quod non plenè habet, res tamen ſuas plus nimio exaggerando, plenam quærit ſui laudem & gloriam. Talis fuit illa murmuratio Aaron & Mariæ contra Moſen, cùm inquiunt: *Num per ſolum Moſen locutus eſt Dominus, nōné*

Num. 12. 7

Aaronis & Mariæ.

né &c.

ne & nobis similiter est locutus? Qui licèt Prophetæ fuerint (vt de Maria testatur scriptura) longè tamen erant Mose inferiores. Propterea ita sua murmuratione Deum ad iram prouocauerunt, vt non solùm declararet, quātò essent inferiores Mose, sed etiam lepra percuteret Mariam, à qua neq; Mosi fratris sui precibus liberari potuit, nisi post dies septem. In hoc gradu reperiuntur, qui de ingenij sui acumine, de doctrinæ excellentia, de prosapie nobilitate, de fortitudine animi vel corporis, plùs æquo addendo & axaggerando magis, quàm res se in veritate habet, gloriantur. Talibus dat remedium Ioannes in secunda sua respōsione. Is enim interrogatus: ELIAS ES TV? AIT, NON SVM. In qua non solùm non affingit sibi plus quàm habuerit, sed etiam negat de se, quod in aliquo sensu concedere potuit. Magnum & imitandum moderationis exēplum. Sed aliud adhuc est eminentius.

Ex. 12. 20. In nobis. Remediū, alter humilitatis gradus.

Tertius etenim superbiæ gradus est, quando quis non quidem magis prędicat sua quàm reuera mereantur; neque effert, sed de iis quibus caret, aut peccata quæpiam iactat sua: nihilominus tamen de iis quæ possidet, & ipse gloriatur inordinatè, & alios laudes suas recētes audit libenter, sibiq; in suis rebus complacet plurimùm. Huius exemplum videtur dari in Ezechia rege: qui quamuis non nisi ea quæ habebat, *cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothe-*

3. Gradus superbiæ infimus. Ezechiæ Regis. *Isa. 39. 2.*

apothecas supellectilis suæ, & vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris eius, ostenderet nuntiis Regis Babyloniæ: tamen quia id inordinatè faciebat, stimulante vana gloria (vt exponunt S. Patres) missus est ad illum Isaias Propheta, qui prædiceret non solùm illa omnia, sed etiam filios eius transferendos in Babylonem. Hunc infimum superbiæ gradum, Ioannes dum tertiò interrogatus: PROPHETA ES TV? RESPONDIT, NON. supremo humilitatis gradu reprimit, & funditùs euertit. Non solùm enim non gloriatur de eo quod est, verumetiam negat id de se, quod & pater ipsius prophetando, & Christus laudando illi concedunt: tantoperè Ioannes vanam gloriam fugiebat. Quomodo autem id sine mendacio dixerit, alias declaratum est.

Remediũ, supremus humilitatis gradus.

In 3. Conc.

Isti sunt tres gradus humilitatis, tribus superbiæ oppositi, inter quos hæc est differentia; quòd primus sit cum peccato mortali coniũctus (nisi vti alia peccata huiusmodi, aut inaduertentia, aut materiæ leuitate excusetur) alter venialem habet offensam, dummodo cum graui proximi contemptu non coniungatur. Contemptus enim si grauis aderit, mortale peccatum pariet. Quale esse censet ipse Saluator, cùm quis ex superbia iræ coniuncta dicit fratri suo *fatue*. Vnde tu cætera huiusmodi, imò longè atrociora iudica. Qualia sunt, prô dolor, inter Christianos, quando quis proximum licèt genere inferiorem, tamen æquè pretio-

Differẽtia inter hos gradus superbiæ.

Mat. 5. 23.

pretioſo Chriſti ſanguine redemptum, ablutum & ſanctificatum, canino ſanguine vel germine cretum, canina planè rabie vocat; quando vt diuitias ſuas quis iactet, ita alterum deprimit, vt fidem apud vicinos illi deroget; quando alius ita ſuum extollit, alienum verò ingenium, doctrinam, prudentiam extenuat, vt is inde non mediocre honoris detrimentũ patiatur. Tales enim gloriationes cum peccato mortali coniunctæ ſunt. Poſtremus verò vanæ gloriæ gradus, ſemper imperfectionem denotat, vt plurimùm autem veniali culpa non caret. His tribus illæ tres humilitatis ſpecies opponuntur: excellens primus, cùm quis nihil ſibi tribuit alienum à ſe, multò minus autem in peccatis gloriatur: excellentior ſecundus, quando nihil eximium nec verè nec falſò, de rebus ad ſe laudemq; ſuam pertinentibus narrat: excellentiſſimus verò eſt tertius, quando omnem oſtentatorium ſermonem ita fugit, vt ſi tale quid de ſe dictum audiuerit, ſummoperè affligatur & erubeſcat.

Hæc ex negante Ioannis oratione eximia ſanè humilitatis ſigna haurimus. Ex affirmante verò nihilo leuiora. Nam Ioannes de ſe loquens, præterit teſtimonium vnius Prophetę, imò ipſius Chriſti, qui illum angelum vocat; & aſſumit alterius, qui multò parciùs de eo loquitur: vt noſtrum planè diuerſum refutet morem, qui abiecta noſtra ſubticemus, excellentiora plenis buccis prædicamus. Deinde

Alia humilitatis ſigna.
1. Excellentiora noſtra tacere.
Mal: 3. 1.
Mat: 11. 26
Iſa: 40. 8.

2. Vilia amare. voce quid vilius? quæ quàm parum admodum existentiæ habeat quis nescit? est enim sonus aërem verberans, & mox euanescens. Et verò talis est omnis homo; nihilominus intumescit sibiq; applaudit, de diuturnitate vitæ, de opum magnitudine, de honorum eminentia, cùm hęc omnia velocius, intereant, quàm vox

3. Aliena magnificare. quæ aërem verberat: Iam verò, quando se & baptismum suum deprimit, vt Christum & eius lauacrum extollat, quid nos docet aliud, quàm de rebus nostris humiliter & abiectè, de alienis magnificè & cum laude loqui? Quis est nunc talis, & laudabimus eum? vel Deus potiùs qui humilia exaltat, alta verò deprimit?

4. Neminē cōtemnere Præterea cùm de Christo dicit: IPSE EST, QVI POST ME VENTVRVS EST, QVI ANTE ME FACTVS EST. id est, mihi prælatus est. Illum affectum in nobis damnat, quo seniores solent iuniorū contemnere consilia gestaq;. Quodsi in antiquis turpe, quantò erit fœdius, cùm iuniores seniorum (qui vtiq; & prudentia & experientia excellunt) consiliis non acquiescunt? eaq; rident? Omnia hæc ex vno fonte amoris proprij inordinati erumpunt. idcirco ordinanda sunt exemplo Ioannis, vt Christus commoretur in medio nostri. Postremò cùm inquit Io-

5. Altiora non appetere. annes: NON SVM DIGNVS, VT SOLVAM EIVS CORRIGIAM CALCIAMENTI. quantùm se submittit? Equidem submittit se filio Dei, qui maximus est: attamen ipse quoq; non paruus erat, quia plusquàm Propheta: Sed tamen vide quàm ad abic-

ad abiectum, quo vilius nil esse potest, pedum seruitium se abiicit. Qua in re duo triaué ad reprimendos altos spiritus & retundendum amorem proprium nos docet. Vnum, ne altiora officia appetamus, prout sæpius nobis subrepit. Quis enim exempli gratia dignum se reputabit, vt pro Christo legatione fungatur ad populum verba faciendo, cùm tantus prædicator & Propheta abiectissimo munere indignum se esse censuit? Alterum, vt sincerè, non nostrum, sed Christi honorem & gloriam quæramus. Postremum, vt Christo in pauperibus, in quibus se esse ipse asserit, vilissima etiã pręstare obsequia non dedignemur, quod fecisse Ioannem dubium non est. Certè illud ipsum, quòd tantus vir, & quoad Deum, & quoad homines (quia ex magna prosapia) vilissimos & pauperissimos quosq; ad se ventitãtes, aquis Iordanis tingebat & abluebat, huius esse generis nemo contentiosè negauerit.

6. Sincerè Christi gloriam quærere.

7. Pauperibus seruire.

Itaque D. Ioannem dilectissimi imitari pro virili satagamus, & mediis quibus ille vsus est, ad sublime cœli culmen per humilitatem requirendam studiosè vtamur. Quam ad rem valebit plurimùm sui cognitio, de qua iam dictum est. Cognitionem verò sui, vt in humilitatem sanctam excrescat, iuuabit multùm tum rectè facta sua priora nihili facere, ac ad anteriora se referre: tum non inferiores, sed se superiores diligenter considerare. Illud fecit Apostolus Paulus, hoc noster Ioannes.

8. Seipsum cognoscere.

9. Ad anteriora sese extendere.

Phil: 3. 13. Paulus cùm inquit: *Vnum autem quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum.* Et meritò quidem id fit. Quis enim pugil, aduersarium habens acriter instãtem, & pedem pede prementem, post tergum respiciet suum? Aut quis currens in agone, nõ ea quæ ante se porrecta habet, sed illa, quæ iam emensus est, spacia intuebitur? Nos verò hostem acerbissimum, nulla penè ad quietem concessa mora, habemus aduersum, cum quo continuo in agone contendimus: non igitur retrò, sed antè prospectare debemus, ne aut ab inimico lethalem accipiamus plagam, aut à cursu deficientes, desiderato non perfruamur brauio. Vix enim dici potest, in via spirituali, ac proinde in sui contemptu proficere volenti, quantùm noceat, ea quæ iam retrò sunt opera nostra bona non sine complacentia intueri.

Duplici similitudine D. Paulus id declarat.

1. Cor: 9. 25.

10. Excellẽtes intueri

Ioannes verò Baptista, en quomodo non se inferiores (qui tot erant quot vnquam extiterunt nati mulierum) sed Christum Dominum superiorem intuendo, seipsum humiliat, contemnit, abiicit. Hoc erat cùm aliorum tum eorum qui olim in eremo morabantur sanctorum excellentissimum illud medium, quo ad tantam peruenerunt humilitatem, quam omnes tunc mirabantur, pauci etiã credebant, & nunc vix vnus & alter capere possunt, illum, inquam, humilitatis gradum; quo licèt essent sanctissimi, tamen viliores se omnibus,

NOTA. Eximiũ humilitatis gradum.

nibus, qui erant in mundo, hominibus arbitrati ſunt: imò propter peccata ſua, Deum tot plagas orbi terrarum inſligere ſincerè affirmabant. Notum eſt hoc alterum in Catharina Senenſi, virgine puriſſima: illius verò tale apud quendam virum ſpiritualem exemplum legimus: Cùm Abbas Zozimus, vir ſanctus, occaſione quadam, vt fit, peccatorem ſe eſſe dixiſſet, mox ex iis qui tum aderant Sophiſtis quidam mirari vehementer cœpit, adeoq; Zozimũ vrgere, & quaſi mendacii arguere, quòd cùm opinione omnium vir eſſet ſanctus, nec non miraculis clarus, ita tamen de ſe ſentiret. At ille nihilominus in eadem perſtabat ſentẽtia, ſeq; omnino peccatorem eſſe ex animo fatebatur, idque certò ſibi conſtare aſſeuerabat, proindeq; rogabat Sophiſtam, ſibi ne ampliùs moleſtus eſſe pergeret. Dorotheus interea, qui tum huic altercationi interuenerat, vidẽs Zozimum argutiis premi, Sophiſtam dextrè conuincit, oſtendens humilitatem, ſicuti alios habitus, ſenſim, vſuq; longo comparari, ac proinde non facilè rationem reddi poſſe, cur humilis ita de ſe ſentiat, cùm ex habitu quodam talis de ſe perſuaſio animo inſederit. Modum porrò quo ad humilitatem peruenitur, idem Dorotheus, in alia quam ibidem recenſet hiſtoria expreſſiſſe videtur. Cùm enim in ciuem Gazenſem incidiſſet, ipſeq; non caperet, quòd ita ſancti viri ſe infra omnes peccatores aliquando ponere ſolerent, ſic eum affatus eſt:

Doroth: doctrina seu serm: 2. de humilitate.

Vnde proueniat, nẽpè ex ſui & Dei cognitione.

tùs eſt: Dic age, quem nam locum inter tuos ciues Gazenſes obtineas? Habeo, inquit, me vt nobilem & principem ciuitatis meæ. Subiunxit Dorotheus: Quid ſi Cæſaream migres, quo te loco futurum putas? Non alio (inquit ille) quàm quo ruſtici eſſe ſolent. Rurſus Dorotheus: Si autem Bizantij ſis, in curia Cæſaris, quem te eſſe cenſebis? Reſpondit ille: planè vt pauperem & mendicum. Tandem intulit Dorotheus: Ne igitur mirere, ſi viri ſancti ſe de numero peccatorum grauiſſimorum eſſe exiſtimant. Quò enim Deo veræ lucis fonti & origini propiores ſunt, eò ſe abiectiores vilioreſq; reputant. Probabat etiam idipſum exemplis Abrahæ, Iſaiæ, & Danielis. Quibus & noſtrum Baptiſtam poſſumus aggregare. Humilitas enim eſt, quę ex ipſo illam profundæ ſubmiſſionis indicē expreſſit vocem, cùm toties ingeminans dixit: NON, NON, NON. Ex contemplatione enim maieſtatis Chriſti Domini, in veram ſui cognitionem, & profundiſſimam abiectionem venerat, quem vtinam nos quoq; imitari ſtudeamus.

IIII. MEMBRVM. Fructus ex ſui amore ſancto.

Neque verò id gratis fecerimus. Ingentia etenim in nos ab eo, qui *humilibus dat gratiam*, (Iac: 4. 6.) manabunt inde præmia; opimæ & planè ineffabiles diuitiæ, deliciæq; ſpirituales deriuabuntur. Verè ineffabiles. Benè enim illud quod Propheta Noui teſtamenti, nomini cuidam in calculo candido deſcripto tribuit, hic applicari poteſt, quod *nemo ſcit niſi qui accipit.* (Apo: 2. 17.)

Nullus

Nullus enim in mundo ita deliciis affluit, vt humilis, qui tamen hoc ipſum quod accepit, verbis exprimere nequit. Nonné id in Zoſimo illo ſimplici & Zoſimi ſimilibus planè videre licet? Dicamus tamen aliqua humilitatis commoda, & ſic finem concioni imponamus. Emolumenta igitur quæ inde hauriuntur, ad duo capita reduci poſſunt, quæ ſub themate propoſito nobis conſiderare licet, vt melius memoriæ hæreant. Si enim hunc ſanctum amorem veſtri habueritis, bene de vobis dici poterit, quòd Chriſtus MEDIVS VESTRVM STETIT. Quod cùm fiet, quid non boni cum tam opulento habitatore vobis obueniet? Primum quidem, quia à peccatis terrebimur. Quis enim fur in oculis ſeueri Magiſtratus furari, aut quæ coniunx marito præſente fidem thori violare audebit? ita etiam nos præſentis Chriſti per gratiam conſideratione à peccatis facilè abſtrahemur. Deinde Chriſto in medio noſtri ſtante, quæ non bona obuenient nobis? Si ad liberaliſſimi Regis vel Principis alicuius aduentum lætatur hoſpes, ſciens præſente illo, magnum ſibi lucrorum cumulum non defuturum; quantò magis nos ad aduentum IESV lætari oportebit, qui ideo ſtat in medio noſtri, vt tanquam non ſolùm Dominus, ſed etiam Pater, omnibus noſtris abundanter prouideat neceſſitatibus?

1. Sic enim Chriſtus in medio noſtri ſtabit.

2. Vnde à peccato abſtinebim⁹.

3. Omnib⁹ bonis affluemus.

Inde etiam & illud conſequemur, vt bene & rectè hoc ſanctum tempus Aduentus Domini

4. Bene hæc feſta tranſigem⁹.

mini recolamus, & transigamus. Tertij etenim, vt diximus, Aduentus Domini hodie memoria recolitur, qui est IN NOS. Qui quidem Aduentus tanti est momenti, vt alij sine hoc nil nobis prosint: imò obsint plurimùm. Nam si Christi gratia carebimus, & in morte nostra, & in fine seculi terribilem Aduentum Christi experiemur. Incarnati enim & passi Christi merita, non nisi tum optimè nobis cedent, si Dominus propitius & beneuolus medius nostri steterit. At ex eo quod dicitur, QVEM VOS NESCITIS, iuxta spiritualem sensum, id fructus referemus: vt quemadmodum ipse IESVS vult à nobis sciri vel nesciri suam præsentiam; ita nos nesciamus & sciamus illum. Nesciemus eum, præsumptione hæretica infallibilem nobis salutem promittendo; sciemus, spe Catholica illi sincerè fidendo. Nesciemus, ne superbiamus; sciemus, quomodo cum metu & timore salutem nostram nos operari oporteat. Nesciemus per humilitatem, sciemus per charitatem, & per signa illius quæ in nobis elucebunt: nesciemus deniq; rigorem iustitię Dei pertimescentes, si nos cum Sanctis & ipso Deo comparabimus; sciemus, si mentem nostram humilitate securissimè erigente attollere studuerimus. Nostis enim Iustitiæ symbolum libram esse. Vt ergo in libra, quantò maiora in vna lance pondera ponuntur, tantò magis alteram sursum attolli necesse est; ita in vita nostra, quantò

5. Quæ nescienda sunt ignorabimus, & quę scienda sciemus.

6. Aequilibrio iustitiæ optimè vtemur.

quantò plura humilitatis & abiectionis opera reperientur, tanto animus noster cœlum versus feretur magis, & Deo appropinquabit.

Quæ cùm ita sint, vos ego mihi in Christo dilectissimos, & rogo vt fratres, & moneo vt filios, meq; vnà vobiscum exhortor, vt huic virtuti, sanctæ humilitatis, in qua tota recti amoris nostri natura consistit, quàm diligentissimè insistamus. Fugetur hæretica præsumptio Christiana humilitate: noxia & odiosa Deo tepiditas, feruenti charitate. Exterminetur è nobis inordinatus amor, licito & à Deo præcepto amore nostri. Humilitas eius custos & effectrix est. Hac enim præditi salutare nostri odium concipiemus, & nil perperam ad nostrum commodum deriuare, sed potiùs nos in Christi gratiam & ad proximi ædificationem totos impendere, nec quæ nostra, sed quæ sunt IESV quærere studebimus. Hac enim ratione domicilium pectoris nostri, in quo libenter IESVS commoretur & consistat pulchrè adornabimus. Humilitas omnium virtutum propagatrix est. hæc intellectum in obsequium fidei captiuat; hæc spe secura de bonitate diuina humilibus promissa implet: hæc ordinat in nobis charitatem, frangens altos spiritus, è quibus vitiosus nostri amor, veri diuini amoris vnicus hostis pullulat. Adsit nobis Dominus humilitate duce, tanta bona vt consequamur. Qui viuit & regnat in secula seculorum.

AMEN.

Exhortatio summam concionis continens.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

Euangelium Lucæ 3.

ANno quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei.

PARTITIO.

Duæ sunt Euangelij hodierni partes. Prior describit principes tam seculares, quàm ecclesiasticos, sub quibus Ioannes Baptista cœpit prædicare, itemq; tempus & locum annotat. Posterior verò pars, initium concionis Ioannis ob oculos ponit. Imò si benè rem expendamus, reperiemus hic compendium eorum omnium, quæ idem Ioannes dixit fecitq;, vt ritè suo fungeretur officio. Venerat enim vt esset præcursor Christi, & prodromus. Ac proinde debuit manifestare IESVM, & populum ad eum

recipiendum præparare. Primum illud præstitit: tum concionibus, tum intento digito Christum demonstrando: hoc vero alterum exequutus est singularibus quibusdam ceremonijs ad Christi sacramenta suscipienda Iudæos disponens. Ne multis; habemus hic finem missionis Ioannis Baptistæ, habemus media, habemus deniq; impedimenta, & remedia contra illa. Finis declaratur verbis illis: Et videbit omnis caro salutare Dei. *Propterea etenim præcessit Ioannes, vt per illum omnis homo & agnosceret Messiam, & eius beneficio saluus fieret. Media autem ad hunc consequendum finem sunt, tum Sacramenta, tum aliæ dispositiones. Ad Sacramenta Christi Domini (maximè illa per quæ directè datur remissio peccatorum, vt est baptismus & pœnitentia) accōmodat Ioannes populum: tum lauacro suo, tum prædicatione pœnitentiæ: ad alias dispositiones hortatur illis verbis:* Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. *Impedimenta verò ponuntur quatuor, & totidem contra illa remedia. Hæc de Euangelio. Series verò & concionum nostrarum ordo iste erit. Prima timorem incutiet illis verbis, VOX CLAMANTIS IN DESERTO, idq; ex cōsideratione illorum quatuor, quæ impediunt remissionē peccatorum, addito aliquo remedio. Secunda, aliud tollet impedimentum, & è prima Euangelij parte fidem Catholicam confirmabit. Tertia, spem eriget, totum penè Euangelium explicando, indeq; doctrinas morales hauriendo. Quarta, charitatem in nobis (vt vult Sapiens) ordinabit, vt & festa proximè futura celebrare, & salutare Dei læti videre valeamus.*

CONCIO PRIMA.

Timor.

Vox clamantis in deserto.

Plena

Exordium ex incitamentis timoris.

PLena timoris ac formidinis videntur tria illa verba, VOX CLAMANTIS IN DESERTO, ex Propheta in hodierno Euangelio prolata, suntq́; velut fulmina & tonitrua ordinata, vt maiora minoribus succedant. Vox enim terrendo est aptissima, quoq; magis intensa & minax fuerit, eo maiorem excitat in audiente metum. Hic verò audimus vocem CLAMANTIS, magna contentione videlicet vociferantis. Et clamantis IN DESERTO, quod terribilissimum est. Nam si in loco aliquo deserto & auia solitudine minima etiam territamenta maxima videntur, vbi echo resonat, & respondentis vox esse creditur, vbi gannitus vulpeculæ pro rugitu vrsi leonisué reputatur, vbi & caducum folium quod à vento rapitur formidinem aliquãdo generat. Quid fiet in magnis & veris terroribus, quales hîc esse nemo dubitauerit, modò personam, vitam, verba, intensionem huius vocis, de qua agimus, expendat?

PROPOS: Trimembr.

Consideremus itaq; illa, & ponderemus diligenter, vt eum quem & Ioannes, & cuius ipse præcursor fuit Christus Dominus desiderat, fructum referamus. Tria autem inprimis intuebimur. Primum: Quid nam hic per vocem intelligatur, quamué sit terribilis. Deinde, cur taliter prolata, & quos maximè percellat vox ista. Postremò: Quid remedij. Da Christe Iesu, vt voce Ioannis perculsi, sanctoque ti-

que timore correpti per apta quæ dantur hîc media, à vinculis peccatorum expediamur.

Per vocem CLAMANTIS IN DESERTO passim sancti Doctores duo intelligunt: alterum, ipsum Ioannem Baptistam: alterum, eius prædicationem. Prima expositio frequens est tam apud Græcos, quàm apud Latinos Patres. Nec immerito sanè. Quemadmodum enim statuæ alicuius marmoreæ, siue totam simul spectes, siue per partes, caput, brachia, pedes, aliaq; eius membra consideres, tam generatim quàm sigillatim, nihil sunt aliud, quàm lapis quidam affabrè effigiatus: Ita si Ioannem Baptistam, eiusq; vniuersas & partes, & membra, itemq; genealogiam, & omnia quæ habuit contemplaberis; nihil aliud quàm vocē quandam diuinitùs mirabiliter efformatam esse reperies. Neq; verò qualemcunq; vocem Ioannem dixeris, sed vocem Verbi illius diuini ineffabilis, & incomprehensibilis, quo *cœli firmati sunt* & mundus totus reformatus. Sicut enim vox priùs auditur, quàm verba penitùs intelligantur: ita Ioannes vox, Christum Verbum præcessit, vt nos ad audiendum Iesum excitaret, & ad percipienda mysteria eius præpararet. Fuitq; præterea Ioannes non solùm vox, sed etiam VOX CLAMANTIS. Altam enim, contentam nimisq; sonoram vocem protulit Ioannes, quæ IN DESERTO primùm; postmodū quando placuit illi, qui in talem eum vocem formauit, VENIT IN OMNEM REGIONEM IORDA-

[Margin notes: 1. MEMB. — Duo significat vox clamantis in deserto. — 1. Ipsum Ioannem Baptistam. — Qui vox totus fuit. — Similitudo — Et vox Verbi. — *Psal: 32.6.* — Et vox clamose resonans. — Primùm in deserto.]

NIS, & in oppidis Iordani vicinis resonuit, cuius memoriam die hodierna sancta recolit Ecclesia.

Postea in oppidis.

Fingite cogitatione quæso, & ante oculos mentis vestræ ponite, hominem stirpe nobilissima procreatum, vnicum parentibus suis honestissimis pariterq; sanctissimis, ex ampla domo paterna, ætate planè puerili egressum atq; in eremo inter feras agrestes ad tricesimum ætatis suæ annum latitantem, ibiq; insipidis locustis melleq; syluestri & aqua tot annis victitantem: tandem postquam FACTVM EST VERBVM DOMINI SVPER eum, iussioq; diuina institit, ex deserto illo, & latebris eremi prodeuntem, & per oppida vicosq; ad ripam Iordanis sitos, clamores ingentes in plateis excitantem. Expendite quæso, quæ mens populi illius fuerit, tantæ rei nouitate attoniti, & quæ nostra esse debet. Vident hominem horrida impexaque cæsarie, vultu macie exeso, barba neglecta, & aut melote, vt alicubi (& fortè de ipso) loquitur Paulus, aut asperrimo ex camellorum pilis confecto, vestitum cilicio, non pretiosa vt hominum vsus & abusus fert, sed zona pellicea succinctum, fortè caprina, cuius ibidem Apostolus meminit. Brachiis prætereа tibiisq; nudatis, spectro, quã humanæ imagini persimilem. Vident, inquam, talem hominem, & audiunt nescio quæ verba detonãtem; neque enim principio statim ea satis intelligebant, quinimò eius congressum primo aspe-

Ipso etiam aspectu.

Heb:11.17.

Terribiliter.

aſpectu refugiebāt, inſanum quidam & emotæ mentis fortaſſis arbitrantes. Quid ni enim id credi poſſit, cùm de Christo manſuetiſſimo & communem vitam agente, hoc ipſum creditum eſt, & quod mirandum magis, ab amicis & cognatis ipſius? Ita enim Euangeliſta: *Et cùm audiſſent ſui exierunt tenere eum, dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt.* Idem etiam nunc ſeruis Christi ab iis, qui ſe Chriſtianos, imò & Catholicos nominant, euenire cernimus. Quot enim ſunt, qui dum quempiam ſtrictioris vitæ ſtudio religionis clauſtra ingreſſum, aut ad Ioannis normam, in circulis & publicis congreſſibus concionantē vident, illicò exclamant dementatum vtique, miserè mente captum eſſe, melāncholia & deſperatione adactum id agere. Valde itaq; procliue creditu eſt, Ioanni hoc idem accidiſſe. Verumtamen dum oppidani illi ſtudioſè percunctātur poſtea quiſnam ſit ille, & cùm demum intelligunt eſſe magnum illum Ioannem, magno Zachariæ ex Elizabetha ſterili natum, in cuius ortu & circumciſione tot miracula facta ſunt: attoniti ſtupere primùm, dein quid dicat, attendere, poſtmodū etiam dictis moueri, eaque amplecti incipiunt.

Pro ſtulto fortè reputatur, vt Christus.

Mar:3.21.

Vt nunc ſerui eius.

Nunquid non patet vobis dilectiſſimi, quomodo Ioannes ſit vox, quomodo perinde, vt è ſolido marmore ſtatua: ita ille è voce totus, quantus eſt, conſtat. Clamat inprimis incultum illud, diuinum tamen quid ſpirās caput,

Clamatq; Ioannes omnibus membris.

Rom. 12. 3. clamat inquam, *non plus sapere, quàm oportere sapere.* nec ingenio iudicioq; suo proprio, quod sæpè temerarium & insolens est, nimium fidere. Clamat reliquum malè vestitum corpus, suadetq; diuitias nõ appetere, multò magis rapinas, furta, vsuras & quamuis iniustitiam execrari. Clamat idem squalidum, macieque confectum, ingluuiem, comessationes, omnesq; carnis voluptates & cupedias fugiendas. clamat melotis & zona pellicea, effusum in vestitu luxum, tum in rebus aliis aspernandum. Clamat deniq; totus Ioannes, quippe vir clarissimus, & genere nobilissimus, mãsuetudinis, humilitatis, patientiæq; suæ maximæ præclaris exemplis, omnem superbiam & animi elationem, orisq; inanem iactantiam, ac iracundiam, & quæ inde fluunt, detractiones, odia, homicidia, procul à nobis amouẽs.

Omnibus temporib. Benè igitur ipse Ioannes vox dicitur, & VOX CLAMANTIS tam sonorè & clamosè, vt vox eius primùm per montana, postea per totam Iudæam, deinde per vniuersum orbem, ac demum

Per totum orbem. per omnes consequentium seculorum ætates diffusa resonaret. Imò etiam in DESERTO

Iterum in deserto Eremitis. ipso, talia clamoris sui reliquit vestigia, vt postmodum non solùm Palestinæ, vbi ille vixit, sed etiam Ægypti, Thebaidis, Nitriæ, Scitiæq; ipsius vasta deserta, & inuiæ solitudines, tot anachoretarum & monachorum implerentur millibus, quibus tam vox Ioannis, quàm ipse Ioannes dux & auctor, ad talem vitam instituendam

endam fuit. Non enim tam voce & doctrina, quàm austerioris vitæ suæ exemplo, docuit eos tale viuendi genus amplecti, quale ipse complexus olim fuerat.

Deniq; ipsum Ioannem vitamq; eius, fuisse vocem timoris, terrorisq; plenam, quis non fatebitur, qui vitam suam, cum ipsius viuendi ratione conferre voluerit? Quis enim secum reputans & expendens, tum peccata sua, quæ ab ipsa patrauit pueritia; tum tenuem aut propè nullam, quam pro illis egit pœnitentiam: tum magnum, quem hucusq; in corporis castigatione, & affectuum suorum compressione habet teporem, & hæc omnia comparans cum perpetua Ioannis innocentia, cum admirabili eius austeritate, cum corporis stupenda planè per tot annos afflictatione, cum feruore deniq; ipsius tam in his omnibus, quàm in officij sui exequutione, quis inquam facta tali collatione animo non perhorrescat, metuq; ac formidine non concutiatur? Fuit itaq; ipse Ioannes vox, & VOX CLAMANTIS, primùm quidem IN DESERTO, postmodùm verò, & nunc quoq; per totum orbem, & vox terribilis, timorisq; plena. Deniq; ominib. hominibus.

Neq; verò Ioannes Baptista vox tantùm ipse fuit, exemplo suo docens omnes, sed etiam in vocem oris prorupit, sanè terribilem illam, nempe, PARATE VIAM DOMINI, & quæ sequuntur. Sed vox ista videtur potiùs Isaiæ Prophetæ, hæc de illo prædicentis, imò alia 2. Vox significat prædicationē.

etiam verba addentis, quæ ibi legimus. Sed vultis audire ipsius Ioannis propriam planè vocem, & verba? Statim post hodiernum Euangelium subiungit illa Lucas, ita scribens: *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizaretur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Terribile concionis principiũ, vt scias ideo illum venisse, vt per timorem, ad amorem Christi populum præpararet. Subdit plura: *Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Tremenda planè verba. Quid verò fiet, ô Ioannes illi arbori, quæ penitùs cassa bonis fructibus, profert lõgè pessimos? Nihil dicit. Nobis id cogitandum relinquit. Vtinam verò cogitemus etiam atque etiam, & benè summam hanc rei indignitatem expendamus, ne malè postea iudicemur. *Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, dicit Saluator Iesus. Si ergo malè iudicabis, & tibi in hoc iudicio fauere fueris deprehensus, malè iudicaberis postmodùm, non ex parte Dei, cuius iudicia semper recta & iusta, sed ex parte tui, quia pro malis è rigido iudicio mala recipies. Addit præterea Ioannes de Christo loquens: *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & cõgregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quid notatur his verbis, *comburet igni inextinguibili*, nonné infernus? Quid autem est quod magis huius seculi amatores offendit quàm

[Margin notes: Eamque acrem. — Luc: 3. 7. — Infernum minitantẽ. — Matt: 7. 2.]

quàm inferni commemoratio? quid à concionibus audiendis nonnullos arcet, quàm tales minæ, de gehennæ flammis intentatæ?

Noſtis etenim illas querelas veſtras contra concionatores, quòd ſemper increpant, ſemper minantur, ſemper pœnas inferni ob peccata communia, vſuq; iam recepta, exaggerãt, vt vix ferendi ſint, & amplius adeundi. Semper enim (vt phraſi veſtra vtar) inferno nos deſtinant. Certè non ſum mihi conſcius, me aliquando vos genimina viperarum appellaſſe, quod tamen hic à Ioanne fieri tam ſignificanter videtis, imò ipſe quoq; Chriſtus idem præſtitit dicens: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui cùm ſitis mali?* Verùm in poſterum tantis authoribus, quid ni iiſdem vos aliquando verbis perſtringamus? At inquies: Chriſtiani ſumus, ideoq; fas non eſt tam acribus nos compellare inſectarique verbis. Equidem ſi Chriſtiano nomini parem vitam inſtitueretis, piaculum eſſet ita vos compellare: At ſi præter Chriſtianum vocabulum vix aliud in vobis extet, quod Chriſtianum verè ſit, quid de agnomine ſuccenſetis? Conſtat enim & mihi, & aliis ipſa experientia magiſtra, neminem in eiuſmodi verbo offendi, niſi quem ipſa intus redarguit conſcientia. Vitium ergò ſuum, non nos accuſet, vel emendet potiùs, quiſquis eſt huiuſmodi.

Chriſtiani nõ ferũt acres admonitiones.

Iniquè ſanè.

Matt: 12. 34.

Quia digni ſunt talib*us*.

Quod verò ad infernum attinet, mittimus vos eo, mente ſaltem & cogitatione, terrorem afferen-

Quia infernum cogitare bonũ.

afferendo, ne eo præcipites ruatis; primùm in anima, deinde etiam in corpore voluptuosè nimis licentioseq́; viuendo. Terremus vos, non vt è templo inconsultò vos proripiatis, sed vt pœnitentiam amplexi, liberi sitis ab illo, quem tantopere fastiditis, vt nec nominari eum velitis igne inextinguibili. Cur non vsurpem hic illud Christi? *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Lingua videlicet acri. Cur veritatem nō agnoscis & complecteris? Quid si probauero quòd non plus vos amamus, quàm ipsi vos ipsos? idq́; testimonio Dei, & per seipsum & per lumen naturale id confirmantis? Sic enim ipse per Psalmistam: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: ac proinde contraria, sed necessaria consequutione, qui amat animam, odit iniquitatem: hoc nostrum, illud verò vestrum est opus. Nos etenim quia odio prosequimur iniquitatem, vt ea de medio tollatur, rogamus, monemus, minas intentamus, sicut facit scriptura, sicut Ioannes Baptista, sicut ipse Christus: idcirco amamus animas vestras. Vos verò secùs, quando ita diligitis iniquitatem, altas in vobis agentem radices, vt eam nulla vi, nullis denunciatis terroribus è vobis exterminari patiamini; nonnè teste Spiritu sancto, odistis animas vestras? Magis igitur nos, quàm vos ipsi vos amamus.

Ioan: 18. 23.

Quia minę signum amoris.

Ps: 10. 6.

NOTA.

Patet id ex scriptura.

Quod hac quoq; ratione fit planum. Peto enim, cur non sustinetis commemorari minas in-

Patet & ratione euidenti.

nas in-

nas inferni? Certè non alia de causa, nisi quia displicet vobis gehenna, quia nolletis perpeti ignes inextinguibiles, hoc verò & nos cupim9 ardentissimè: ac proinde vos vrgemus, vt caueatis peccata, quæ in infernum certissimò præcipitant: vos verò tantum abest, vt ea declinetis, vt etiam molestè feratis, si quis à scelere vos absterrendo, simul à præcipitio reuocet horrendo: & multo ante, ne in illud incauti ruatis denuntiet, moneat, si quis deniq; modum vitandi tradit. Rectené tam salutaribus consiliariis succenseatis; ipsi iudicate. Sed & illud expendite quæso, quisnam magis animam amet vestram, num vos qui inferni mentionem ferre non vultis, & vltrò citroq; per lethalia peccata, velut amentes in gehennam ruitis: an nos, qui idcirco, toties ignis inextinguibilis flammas ingeminamus, vt vos per terrorem ab eo liberemus. Quare si isti, quorum fit mentio in Euangelio, licet asperè increpati à Ioanne, amore potiùs quàm alio affectu erant moti erga illum, nec fugiebant, sed vt audis, exibant vt baptizarentur ab ipso, profectò vos qui Christiani estis, idem præstare debetis iis, qui si non pari feruore cum Ioanne, non dispari tamen animo salutem vestram desiderant, amantque. Item alia.

Arbitror rectè vos iam intellexisse, quid hæc VOX CLAMANTIS IN DESERTO sibi velit. At cur tam asperè prolata? VT REMISSIONEM PECCATORVM omnibus conciliaret, & vel maximè II. MEMBRVM. Vox ista acris adfert remissionē peccati.

ximè amoueret impedimenta, quæ efficiunt, vt neq; remissionem hanc peccatorum obtineamus, neq; ad Regnum cœlorum, quod est nobis in votis, perueniamus. Hæc verò impedimenta sunt quatuor, quæ apposité allegorica quadam oratione notantur, sumpta ab iis, qui Regi, vel Imperatori ad se cum pompa venienti vias complanant. Itaq; vt ibi montes & colles, aliaq; loca abrupta adæquantur, valles verò & fossæ implentur, lapides & omnis asperitas viarum in gratiam Principis multorum comitatu venientis aufertur, denique obliqua & tortuosa itinera recta fiunt: idem Christianæ turbæ otiùs agendum est, imitatatione quadam, vt Regem regum dignè suscipere, & SALVTARE DEI videre possit. Id tamen inter hos, & illos, est differentiæ. Nam qui terreno regi vias parant, quicquid efficiunt, id Marte proprio & impensa consequuntur: qui verò Regi cœlorum iter ad se adornant, animi duntaxat conatum, desideria pia, ac voluntatem promptam satis est vt tanto Regi offerant, qui pro sua omnipotentia vires suppeditabit, auxilia præbebit, gratiam largietur vberrimam, vt non solùm vltrò ac spontè, sed etiam cupidè, libenterq; omnia apparentur. O nunquam satis laudanda bonitas, & meritò ab omnibus ardentissimis votis optanda, illiq; collaborandum!

Et tollit impedimenta. *Notanda similitudo* *Et dissimilitudo.*

Propter eiusmodi itaq; quatuor itineris spiritualis impedimenta, præsertim si magna fuerint,

Quatuor impedimē

erint, etiam nunc fieri solet, quòd nunquam, vel si nõ tanta fuerint, difficilimè perueniatur ad videndum SALVTARE DEI. Itaq; sic perierunt omnes Iudæi, Messiam non recipientes: ita cadunt in interitum omnes hæretici, eundem agnitum per schismata repudiantes: ita corruunt omnes impij Catholici, non fide, sed operibus Christum abnegantes. ta remissi peccatorũ.

Est autem, saluo meliori iudicio, prædictorum quatuor impedimentorum hæc intelligentia. Per valles, vitia carnis, & eorum illecebræ fomentaque: (Nam sine Cerere & Baccho friget Venus) per montes & colles, superbia, & illius asseclæ, ira, inuidia, ambitio, aliaq; eiusmodi: per praua & obliqua, hæreses, schismata, hisq; similia, tortuosa, & praua dogmata: per aspera, diuitiæ, auaritia, cum omnibus sibi cognatis vitiis intelliguntur. Nec immeritò, in libidinosum etenim, & ebriosum ventricolam, omnes sordes brutarũ voluptatum, quasi in vallem profundam & patentem defluunt. Superbiæ tumor optimè montium iugis & collibus comparatur. Certè de primo superbię authore Lucifero ita scribitur: *Sedebo in monte testamenti.* & quis sit iste mons, paulò post indicatur: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altißimo.* mons igitur superbia est, è quo præceps idem affectator summæ sedis datus est. Sed & illud quomodo per incurua & obliqua, hæreses & aliæ prauæ doctrinæ notentur, expositione non indiget:

1. Carnalitas.

2. Superbia.

Isa. 14. 13.

3. Prauitas.

4. Auaritia.

indiget: quòd per aſpera, diuitias & auaritiam intelligamus, facit hoc Saluatoris authoritas; qui diuitias & nimias de rebus temporalibus curas, ſpinis comparat. Quid verò magis eſt aſperum quàm ſpinæ? quę licet nonnulla florum candidorum gratia commendātur, mirum tamen in modum pungunt, & ſauciant ſuis aculeis, illos qui eas tractant. Neq; ſecùs diuitiæ, molles illæ quidem ſunt, ſi externam earum faciem ſpectes: at aculeis plenæ, ſi affectum erga illas conſideres, quem quicunq; inordinatum erga eas habuerint, miſerabili modo cruentati & extincti ſunt ab eis.

Matt: 13. 22.

Declarātur iſta, PRIMVM vallis luxuriç. 1. Apud Iudæos.

Hæc igitur quatuor obſtacula remiſſionis peccatorum Ioannes hic tangit: poſtea verò ipſe etiam Chriſtus crebrò notauit, propter eadem Iudæos vberem à Deo oblatam gratiam repudiare ſolitos: Præſertim in illa parabola de inuitatis ad cœnam magnā; vbi cùm alia tum præcipuè vorago illa fœda libidinis notata eſt: cui Iudæi cum ſuis repudiis, & pluralitate vxorum, immerſi erant. Itaq; dicunt abſq; vlla excuſatione: *Vxorem duxi, & ideo nō poſſum venire.* O quàm id nunc eſt frequens! Inprimis apud hæreticos, qui ſacrilegas nuptias cum perſonis Deo dicatis approbant; & cōnubia execranda, thorum immaculatum vocant; qui nolente vxore, ancillam venire iubent; qui vxori deceptæ, inceſtum cum fratre mariti permittunt. Et quid apud prophetam execrandum Lutherum, in antiquis eius libris hu-

Luc: 14. 20.

Apud hæreticos.

brishuiusmodi non legimus? Nam in posterioribus editionibus, discipuli procacissimam hanc dicacitatem paululùm correxerunt. Prô dolor, prô stultitia. Deinde tum apud eosdem, tum apud impios Catholicos, quanti, quàm miserabiles lapsus in hanc voraginem? Adulteria, stupra, incestus, fornicationes, mollities, & alia nominatu horrenda. Tum etiam quæ ad ista disponunt (licèt per se etiam turpissima sint peccata) comessationes, ebrietates, verba turpia, quæ ignem habent, quæ omnia pro iocis reputantur, etiam ab iis, qui sanguine Christi sunt abluti. O Christiani vix eo etiam nomine digni: quid cogitatis cùm in istis volutamini? Cogitate saltem quod ex ore Ioannis audiuistis, de securi ad radicem apposita, cuius vno ictu primùm anima, postea etiam corpus, quod tam delicatè nutritis, in ignem mittetur inextinguibilem. O quàm crudeles estis in corpus vestrum, cùm illud tantopere inordinatè amatis. Apud Catholicos.

Alterum, ne videatur SALVTARE DEI Christus Iesus (& si videtur per fidem, ne apprehẽdatur per charitatem) impedimentum, sunt montes & colles; superbia videlicet, ambitio, honoris inordinata cupiditas, & his similia: ꝓpter quę Iudæos repudiasse Christũ ipse apertè testatur, dicens: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Vides quàm significanter id asserat, nequaquam id eos posse? Et profectò ita SECVNDVM. Montes superbiæ. In Iudæis. Ioã. 5. 44.

ctò ita se rem habere, quotidie conspicimus cum lachrymis. Quot enim sunt inter hæreticos, conuicti planè in intellectu, Catholicam fidem esse veram; & tamen, ne gloriam amittant, quam ab inuicem accipiunt, Deo dare gloriam denegant? Quot inter Catholicos, qui ne contemnantur (vt illi aiunt) epulas & ebrietates continuant; turpia, ne inurbani videantur, loquuntur; famæ aliorum detrahunt, de peccatis perpetratis gloriantur? Alij verò, propter nescio quam vmbram honoris momentanei, furunt planè iracũdia, anguntur, excruciantur, ac proinde vindictas, mortes, cædes, & quid non moliuntur, ipsum etiam Acheronta mouentes? Alij totam suam gloriam & honorem, thrasonicè in auis & proauis ponunt. Quibus optimè quadrat illud Ioannis: *Ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham.* Quid enim prodest tibi decus maiorum, cùm tu vitiis sis coopertus? quid fides illorum, cùm tu sis perfidus & periurus? quid prodest quòd illi sanctissimè in Catholica professione vita acta, nunc in gloria vident Christum SALVTARE DEI, cùm tu maculosus, infamis, ad infernum properas? Hem vide quid agas, imitare, non iacta insolenter maiorum virtutes.

In hæreticis.

In Catholicis.

Luc: 3.8.

TERTIVM Tertium obstaculum videndi Iesum, sunt PRAVA videlicet itinera, id est dogmata. Nihil magis absurdum, quàm cùm quis volens obuiam ire alicui ab oriente, verbi gratia, aduentan-

Praua dogmata.

Simile.

uentanti, iter arripiat occidentem versus: quis non rideat præposteram istius mentem? Tales fuerunt Iudæi, quos arguens Christus inquit: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionẽ vestram?* Vrgent hæretici hæc verba contra Ecclesiam Catholicam, non minus imperitè, quàm impudenter. Sed de hoc alias. Nunc sufficiant illæ, in quas paulò ante incidi, eorum traditiones, de sacrilegis & incestuosis nuptiis, quæ sicut legi Christi planè cõtrariæ sunt, ita euidenter demonstrãt, quàm distorta, curua, prauaq; sint illorum dogmata omnia, in quibus à vera Ecclesia dissentiunt, per quæ tamen suis asseclis conspectum SALVTARIS DEI promittũt; sed non magis isti quàm illi quos paulò ante depinximus, ab eius desideratissimo conspectu arcebuntur. *Matt: 15. 3.*

Huc spectant qui Magicis præstigiis, & superstitiosis precationum formulis occupantur. Neq; verò multùm ab illis absunt nostri pseudo-polytici. Nam prauæ certè sunt viæ illorum, qui sub specie politiæ, vitia admittũt: qui scelera laruis virtutum vestiunt: cœlum terræ, spiritum carni, id est, statum Ecclesiasticum seculari subiiciunt: qui ordinem, totum diuinum, imò & naturalem, funditùs euertunt. Omnibus igitur istis singulari ratione, quòd competat illud Ioannis: *Progenies viperarum*, obscurum non est. Sicut enim viperæ nascendi more impatientes, vẽtre matris corroso exiliunt: ita primùm hæretici ingenij quadam

Viperę hæretici & Machiuellani.

NOTA.

quadam immatura festinatione noua dogmata parturiunt, non sine conuulsione & discissione vteri, id est vnionis sanctæ Ecclesiæ, in qua contineri & quiescere debebant: Quod & pseudo-polytici in Respublicas, quibus se maximè consulere dicunt, designant; neq; animaduertit hoc genus hominum miserabile idem sibi exitium ab aliis parari, viperino planè ritu. Nam & inter hæreticos posteriùs enata hæresis priorem enecat: & in pseudo-politica, quod vitio & malis artibus coaluit, vitio quoq; & scelerata aliorum factione ac subdolis machinationibus corruat, necesse est. Cæterùm dum hæc dicimus, ij quos oratio nostra tangit, ringuntur fortassis contra nos, & strident dentibus suis. Sed *verbum Dei non est alligatum*, ait Apostolus: moderentur ipsi affectibus suis, missas faciant improbas artes, è quibus crescere & nomen sibi propagare in animo constitutum habent, nos quoq; stylum multò libentiùs occupabimus in aliis.

2. Tim: 2. n. 9.

QVARTVM. Asperitas auaritiæ. Declaratur id experientia.

Postremum viarum impedimentum est, asperitas nimia, quæ pedes cruentat, & deficere facit currentem in via. Tales sunt spinæ diuitiarum, quæ & asperè per furta, rapinas, vsuras, aliaq; auaritiæ instrumenta, cum summa aliorum iniuria, & animæ pernicie colliguntur; & asperiùs cum metu & angore asseruantur, & asperrimè cum animi amaritudine, aut expenduntur, aut in morte deseruntur. Nunquid non ita se res habet? Testis est Iudas proditor,

Ex facto Iudæ proditoris.

ditor, qui quod impiè collegerat, cum amaritudine proiiciens, infami supplicio rependit. Testes, vt ait D. Lucas, *Pharisæi qui erant auari, & deridebant* Christum, contra hoc vitium disserentem, & non dubiè dissecabantur in cordibus suis. Hos imitantur raptores bonorum Ecclesiasticorum propter traditiones suas hæretici, hos pseudo-politici, decimas non soluentes: hos nonnulli Catholici, & cum illis alij socij furum: affinitatem cum hoc vitio habentes. Quibus maximè competit illa Ioannis parabola de Christo ventilabrum in manu gestante, ac aream suam purgante, paleas verò igni inextinguibili tradente. Mirabilis sanè est Iesus sapientia diuina, apud quem argẽtum, aurum, lapides pretiosi, prædia, ciuitates, prouinciæ, regna, & alia, quæ hîc tantum habere pondus videntur, ita sunt leuia, vt paleæ instar ventilentur, & in ignem mittantur, & ardeant cum suis possessoribus, qui illis inordinatè afficiuntur. Contra verò quæ hîc pro rebus leuissimis computantur, vt paupertas, vt abiectio, vt humilitas, vt patientia in tribulationibus, hisq; similia, si propter Christum vltrò tolerentur: maximi sunt apud eum ponderis, ita vt tanquam granum optimum in horrea & thesaurum recondantur æternum. Tu vide quid eligas.

Luc: 16. 14.
Et Pharisæorum.
Et aliorũ.
Isa: 1. 23.
Luc: 3. 17.
Christi miranda facta
NOTA.
A simili.

Intellexistis vt arbitror, quæ nam sint remissionis peccatorum gratiæq; diuinæ consequendæ impedimenta, & quàm acriter Ioannes Ba-

Obiectio retorquetur.

annes Baptista ea insectatus fuerit. Sed dicet fortasse aliquis vestrum: Hæc omnia iam per Christi aduentum sublata esse, id enim disertè prædixit Propheta. Ita sanè fecit amantissimus & benignissimus Iesus, quãtum in se fuit, vt omnia ista obstacula tollerentur. Verùm quid nos hæc iuuant, quandoquidem omnia ista denuo restauramus? per nos denuo montes erecti turgent, valles & abyssi profundissimè hiant, viæ Christi, prauæ & asperatæ redduntur, idq; eo vel maximè tempore, quo deceret potissimè ea omnia explanari & corrigi.

NOTA.

Quomodo se mundus ad festa prę parat.

Audite & intelligite. Instant festa solennia Natiuitatis Christi, secundum carnem. Quæ est animorum vestrorum ad ea præparatio? Alij magna cura, esculenta & poculenta comparant. Alij sumptuosas vestes pro se, pro liberis, pro vxoribus adornant, vnde & seipsos planè exhauriunt, & rem familiarem perdunt omnem, præsertim artifices, & tenuioris conditionis ciues, dum vxorum suarum importunis cedunt precibus, aliis muliebri ambitione cedere nolentium, & ornatus vicinarum insolentes æmulantium. O vtinam ita virtutes intueri velint alienas & æmulari; sicut vanitates aspiciunt auidè & consectantur. Cæterùm de virtutibus nil eis pensi est, in luxu, & vitiis, nulli secundæ esse volunt. Quo fit, vt nunquam rem faciant, aut ad opes perueniant vel mediocres, tantùm abest, vt quid è fideli manuum labore, Christi pauperibus destinatum ser-

tum seruent. Quid dicam de intolerabili abusu, quo festis peruigiliis in multam noctem & ad vsq; ipsam diem sanctissimam labor producitur, vt aliorum luxui satis fiat? Quid de aliis qui noctem illam, qua Saluator mundi apparuit, in alearum lusu consumunt, & fortunam dementi quadam superstitione experiri statuunt? O nefas! ô cœcitas! Quem sequimini ô Christiani? Christumné, & sponsam eius matrem nostram Ecclesiam: an capitalem illorũ & vestrum hostem, dæmonem inquam infernalem, contraria omnia interim agentem? Clamat Christus & eius internuntij: Demolimini montes superbiæ, colles elationis æquate, implete valles lachrymis, ieiuniis, & aliis corporis mortificationibus, sint PRAVA superstitionum, IN DIRECTA bonorum operum, & sanctarum intentionum; sint ASPERA spinosarum diuitiarum IN VIAS PLANAS, per largas eleemosynas, per copiosa misericordiæ opera. Dignissimus clamor, cui pareatur. Sed facilius alius ex aduerso, prô dolor auditur, quem ingeminat princeps tenebrarum, qui per festa Natalitia, ad Bacchica ita præparat & dirigit homines, vt continuet seriem dominatus sui; nec ad momentum à seruitute sua liberos eos dimittat, ad quos redimendos Saluator in forma serui venit. Itaque paratur illi non segniter, luxus, pompa, ingluuies, & cætera vitia carnis frequentantur. Nos interea surdis fabulam canimus, & mysteria diuina, præsentem

eius gratiam magna concione proponimus. Monemus, vociferamur adesse præ foribus Deum, qui si non in forma humili, magna significatione pietatis excipiatur; aliquãdo tremendus iudex, seuerissima de contẽptoribus suis legumq; suarum, sumpturus est supplicia.

III. MEMB. REMEDIA duo. 1. Meditatio terribilis.

Quid ergò faciemus dicetis? Vtinam id sincerè & cum proposito veræ emendationis percontemini. Ego verò duo vobis suggeram. Primum est dictis non absimile, & auditu terribile, conqueritur alicubi Propheta horrendum quid de populo illo Deo ingrato, sic dicens: *Immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis.* Quæ summa impietas, quemadmodum admitti soleret, attendite. Ad murum ciuitatis Hierusalem, in loco & nemore amœnissimo, Gehennon dicto (vnde à Christo Domino infernus Gehenna nuncupatur) id est in valle Ennon, erecta fuit statua ænea, concaua ad concipiendum ignem apta, habens manus aliquantulum extensas, & ita sinuatas, vt infantes à parentibus idolis immolandi, intra eas includi possint. Qui cùm vlnis illius execratæ statuæ excepti fuissent, tum igne intra eandem statuam excitato pueri excruciabantur, & inter illas manus hærentes lentè consumebantur. Quàm dira isthæc fuerit crudelitas, qui tum clamores, fletus & planctus puerorum, vobis cogitandum relinquo. Astabãt cum aliis infinitis huic dirissimo spectaculo parentes puerorum. Interim verò sacerdotes idolo-

Ps: 105. 37. *4. Reg: 23. 10.* *Matth: 5. 14.*

idolorum, tympanorum & aliorum crepitaculorum valido ſono, eiulatum infantilem retundere & obruere ſolebant, ne vel ea comploratione miſerabili, viſcera paterna ad compaſſionem commota, à tam immani ſacrilegaq; cæde abhorrerent: à quo etiam tympanorũ ſtrepitu, locus ille *Tophet*, id eſt tympanũ, à Prophetis vocatur, quo nomine etiã Iſaias infernũ vocitat. Hęc erat illius quod Dauid tantopere exaggerat deteſtãdi facti ratio. Vos verò quid fratres mei? nunquid ſpectaculo hoc inuiſo, & pluſquã beſtiali crudelitate, nõ mouemini? Credo nullum reperiri cuius viſcera commota non fuerint ſuper infantibus tantopere afflictis, qui non excanduerit in parentes tam crudeliter inſanos. Vertite igitur iam obſecro hoc orationis exemplum in vos. Adſtringitur aliquis veſtrum peccato mortali: ſciat terribiliùs & immaniùs ſe enecari, quàm hi in complexu ſtatuæ candentis infantuli enecti ſunt, ipſumq; crudeliorem in ſe eſſe quàm iſti execrandi fuerint parentes. Illi enim filios & filias ſuas immolabant idolo Moloch, nõ vtiq; æternùm illis flammis torquendos: tu Chriſtiane propriã animam, à qua totũ tuum eſſe & viuere pẽdet, poſtea verò etiam corpus offers diabolo in æuũ ignibus torrenda. O ſi aperirentur oculi & aures tuæ, vt videre & attendere poſſis, quanta cum indignitate & ferocia raptetur, ſtringatur, vratur anima tua, dum ſerua eſt peccati. Si gemitus eius miſe-

Ier: 7. 31. & 10. 6.
Iſa: 30. 33.

rabiles per ſpeciem tibi poſſent obiici, quos edit quando præda facta eſt tartareo carnifici. Sed ais? nil tam immane vnquam ſenſi, nullũ alicuius doloris veſtigium in anima ſum expertus, peccem licèt toties. Id quidem ideò fit, quia obruis clamorem animæ miſerabilis eiulantis, & obruis eodem ritu, quo iſti impij cultores Moloch. Turbatur anima tua toties, pungit conſcientia, & lancinat cor ſtimulis quibuſdam penetrantibus, de perpetrato peccato; totus inquietudine & dolore velut ſubiectis facibus vreris. Tu verò quid? validam hanc cõſcientiæ arguentis vocem, obruis inani ſtrepitu. Iubes inſtrui epulas, adornari menſas, impleri ſcyphos, accerſi ſocios potentes ad exhauriendum. Accedit ſymphonia, choreæ, cæteræq; laſciuiæ & ſopiendi animi artes, quibus clamor conſcientiæ ingemiſcentis retunditur, & anima oblita ſui, futili lætitia velut ebria, deſinit intueri & timere tam euidentia pericula ſua. Et hoc eſt eſſe crudeliorem impiis illis parentibus, filios in gratiam dæmonis ad carnificinam offerentibus: Hoc eſt extremæ calamitatis genus, conſcientiæ quæ pro mille teſtibus eſſe tibi debet, vocem non attendere. Quid ergo inquis faciam? Excute ex animo diram hanc, quam in te exerces crudelitatem, & ama vnicè animam tuam.

2. Pœnitentia cuius vis eximia.

Et hoc eſt primum quod ſuggero, addo ſecundum, ſcilicet vocem CLAMANTIS IN DESERTO. At quænam illa vox? nempè illa:

Pœniten-

Pœnitentiam agite. De qua multa eſſent dicenda; ſed interim nec pauca, propter temporis anguſtias licet. Cùm tamen pœnitentia tantæ ſit virtutis, vt ipſa ſola omnia impedimenta auferat, ſola iter & IESV ad nos, & nobis ad illum planiſsimum reddit. Pœnitentia omnes etiam profundiſsimas valles obruit, & lachrymis implet. Mirum dictu, & effatu difficile, quàm ſuaues, quàm acceptæ ſint curiæ cœleſti Regiq; immortali noſtræ lachrymæ, quamque alacriter per has aquas currit. Pœnitentia, montes & colles per contentionem conquaſſat, & ſolo æquat. Pœnitentia PRAVA facit IN DIRECTA per confeſſionem, vbi & à Deo & à Confeſſario, quomodo ſint viæ diſtortæ dirigendæ, peccator edocetur. Pœnitentia deniq; ASPERA facit plana, per ſatisfactionem, & dignos fructus pœnitentiæ, per ieiunia, per eleemoſynas, per orationes. Hanc igitur amplectamur dilectiſſimi, vt id, quod eam ſequitur, Regnum cœlorum appropinquet nobis per IESV Chriſti merita, qui cum Patre in vnitate Spiritus ſancti, viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. AMEN. *Matt: 3.2.*

CONCIO SECVNDA.

Fides.

Anno quintodecimo imperij Tyberij Cæſaris. &c.

Tres vestes quibus Trinitas nuntios suos ornat.

TErnis insignibus, & quasi notis quibusdam, distinguere & exornare consueuit Deus omnipotens eos, quos & nomine suo, & per seipsum immediatè ad instruendos alios in gratiam sponsæ suæ Ecclesiæ mittit legatos. Vestit enim & ornat eos Miraculis, Constantia, & vitæ Sanctimonia. Offert se hanc ad rem comprobandam Ioannes Baptista, quem his instructum insignibus esse à Deo missum, nemo negauerit; adsunt peroportunè Euangelia, quæ de illo tribus istis continuis diebus Dominicis ab Ecclesia leguntur. Nos duo Christo iuuante absoluimus, ibidemq; duo talis missionis insignia spiritualia exhibuimus; restat hodiernum, tertiam notam nobis ob oculos ponens, imò omnes tres, sed de postrema præcipuè est nobis agendum. Verùm antequam id aggrediamur, explicandi sunt nobis modi, quibus diuina bonitas veritates suas, quæ nostrum superant intellectum, nobis manifestat. Id enim & promisimus aliquando nos esse facturos, & tam ad ea quę dicta sunt in hac materia, quàm ad illa quæ dicenda restant, multùm momenti habet, neq; à textu Euangelico abhorret.

PROPOS. Quadrimembris.

Quare in concione ista quatuor hæc considerabimus. Primum, quomodo & quot modis (in communi disserendo) nobis, dum in hoc mundo sumus, loquatur Dominus Deus. Deinde, quonam modo in particulari suam nobis

nobis declaret veritatem & voluntatem, per eos, quos ipſe per ſe ad nos mittit, & quomodo tales ſine errore cognoſcere poſſimus. Præterea, quomodo iſta in Euangelio hodierno reperiantur. Poſtremò, qua ratione tum ex his, tum ex aliis quæ nobis hoc Euangelium porrigit, inprimis pſeudo-prophetæ, deinde tam Eccleſia vera Chriſti Domini, quàm ſynagoga ſathanæ inueſtigari & cognoſci poſſit. Tu Chriſte Ieſu Domine & Saluator noſter benigne, tribue, vt ea quæ à te dicuntur, rectè cognoſcamus, ne decipiamur, & quæ cognouerimus, opere perficiamus, ne gratia tua vnquam excidamus.

Certùm, & ex antea dictis cognitum eſt vobis, Fidem noſtram, qua Catholici ſumus, tam excellentem & diuinam eſſe, vt non niſi ſoli diuinæ innitatur authoritati, ac proinde neceſſarium eſſe, vt nobis de veritate & volũtate diuina conſtet, aliâs enim turpiter & noxiè errabimus. Conſtare autem hoc non poteſt, niſi nobis dicatur Deum id locutum eſſe, & à tali dicatur, qui nos decipere non poſſit. Cùm enim talis deceptio ſit omnium, quæ in mundo eſſe poſſunt, periculoſiſſima, (nam agitur de ſalute animæ, qua nihil pretioſius) Dei benignitas in rebus tantoperè neceſſariis deeſſe non potuit, prout neq; defuit vnquam ab ipſo mundi exordio, neq; deerit *vſq; ad conſumationem ſeculi.* Habuit enim, habetq; ſemper aliquem, vel aliquos in mundo, qui ſuo

I. MEMBRVM
Deus dupliciter loquitur nobis.

Matth: 28. 20.

 nomine

nomine veritatem ad ſalutem neceſſariam nobis abſq; errore manifeſtare valent.

1.Intrinſecè. Sed inquis: Scriptum eſt & in veteri & in nouo Teſtamento de nobis qui in lege gratiæ viuimus: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* idcircò præter legem iſtam, aliud nihil eſt nobis neceſſariũ, præſertim cùm alter Apoſtolus teſtetur, quòd *vnctio eius doceat nos de omnibus.* Reſpondeo: rurſus ſcriptum eſſe, quòd *ipſe ſathanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, & pſeudo-apoſtoli in Apoſtolos Chriſti. Et iterum monet Apoſtolus: *Videte ne quis vos decipiat*, monetq; illos qui legem ſcriptam in viſceribus & vnctionem illam habebant; ad fideles enim ſcribit; & tamen teſtatur quòd decipi poterãt. Imò quoſdam deceptos fuiſſe aſſerit, & lamẽtatur princeps Apoſtolorum dicens: *Meliùs erat illis non agnoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti.* Vbi ergo fuit illa vnctio, qua hæretici tantopere nituntur, vt propter eam non poſſe ſe errare autument? Ecce iſti, quos D. Petrus reprehendit, & fideles aliquando erãt, ideoq; hanc legem ac vnctionem in corde habebant, & tamen decepti ſunt. O cœcitas iſtorum hominum, qui vno aliquo ſcripturæ loco malè intellecto, ita & ſuos, & ſuorum excœcant oculos, vt nulla alia, quantumuis clariſſima, ſcripturæ teſtimonia velint aſpicere: vtinam vel ipſa magiſtra omnium experientia illis oculos aperiat. Fatemur equidem nos Ca-

Ier: 31.33. Heb: 10.16

1. Io: 2: 27.

2. Cor: 11. 14.

Vbi tamen deceptio eſſe poteſt.

Col: 2. 8.

NOTA Obiectio hæreticorum quę ſoluitur. Tum per inſtantiam.

2. Pet: 2. 21

Tum per diſtinctionẽ.

nos Catholici legem Dei esse scriptam in cordibus & in visceribus nostris, fatemur & nos vnctionem diuinam habere, & ita fatemur, vt sciamus, & certa credamus fide, nusquam alibi quàm in animabus illis quæ subsunt Ecclesiæ Catholicæ, hanc legem, & istam vnctionem reperiri: sed & hoc fatemur, hanc legem scriptam in cordibus nostris, hanc vnctionē docere nos, vt nostro non fidamus iudicio, quod errare potest; vt caueamus nobis, ne *circumueniamur à Sathana*, qui nos decipere potest; vt confugiamus ad illos, quos Christus Iesus nobis sui loco reliquit, idq; in omni scriptura testatum esse voluit, ne erremus. O bonitas! ô diuina tua prouidentia Christe Iesu, summis laudibus perpetuò à nobis extollenda! *Illuminare*, quæso, *his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*, & isthæc non vident, vt veritatem tuam, & sole meridiano splendidiorem & summoperè necessariam, tandem aspiciant.

2. Cor: 2. 11.

2. Loquitur nobis Deus extrinsecè.

Luc: 1. 79.

Tantoperè autem hæc, quam præ manibus habemus, veritas est hominibus necessaria, vt ex ea omnes aliæ pendeant. Et qui ea careat, in densis planè tenebris versetur, vt vicissim, qui hanc habeat, in errore esse non possit. Non enim idem hic euenit, quod in aliis Catholicæ religionis veritatibus, vt de vna aliqua rectè sentiamus, de alia iudicium erroneum habeamus. Nam potest quis, exempli gratia, credere Trinitatem, & tamen errare circa Eucharistiam, prout errant Sacramentarij: Sic qui

Scire id summę est necessitatis.

credit in Eucharistia esse verum corpus Christi, potest in infinitis aliis decipi, sicut decipiuntur Lutherani. At qui hanc veritatem & corde credit, & ore sincerè profitetur, omnibus aliis veritatibus, quas Deus reuelauit, fidem adhibet firmissimam, quia omnes aliæ in hac inuoluuntur. Veritas autem ista hæc est: Ad id, ne quis in rebus fidei erret, præter vnctionē diuinam, & legem scriptam in cordibus nostris, requiri testimonium extrinsecum illorum, per quos Deus & veritates suas nobis manifestat, & internam illam locutionem ne euanescat corroborat. Manifestat autem has veritates Deus nobis modis variis: Ecce in Euangelio habes vnum expressum, cùm dicitur: FACTVM EST VERBVM DOMINI SVPER IOANNEM ZACHARIÆ FILIVM. Per Ioannem enim loquebatur Deus, & populo illi suas veritates extrinsecùs per vocem eius manifestabat.

PROPOSITIO Catholica NOTANDA.

Deum externè loqui variis modis

Probatur ex Euangelio.

De variis autem modis, quibus Deus extrinsecè ad nos loquitur, extat D. Pauli eximium testimonium quod ipse non solùm diuinè (vt cætera omnia) sed etiam præsago protulit animo, vt clarissimam hinc habeamus lucem, contra errores & illorum inuentores pseudo-euangelistas. Non solùm enim describit modos varios, quibus nobis diuina bonitas per suos, quos ad nos mittit nuntios loquitur, sed & causas cur id faciat exprimit, & quā diu id sit duraturum, definit, & cautelam contra sedu-

Item ex D. Paulo.

tra seductores apponit. Et quidem modos ad quinque capita reducit, quos loquẽs de Christo iam in cœlis triumphante, hisce expressit verbis: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Istis modis, & per has personas loquitur nobis Christus Dominus in Ecclesia, quam audire nos præcepit, sub interminatione pœnæ æternæ, quæ ethnicis & publicanis debetur. Horum autẽ quinq; capitum, quædam quidem singulos, quædam verò etiam plures loquendi modos in se continent. Primum locum obtinent Apostoli, per quos tripliciter nobis loquitur Deus. Primò per scripta eorum, qui illa ediderunt: secundò per traditiones, quas nobis de manu in manum tradiderunt: & tertiò per successores, quos reliquerunt. Scripta illorum quæ vera & canonica sint, ex approbatione Ecclesiæ scimus. Traditiones ex veris historiis, certis authoribus, & viris sanctis omnium temporum & ætatum, nouimus. Successores verò, in summis Pontificibus agnoscimus. Isti sunt tres modi, vnico quasi verbo à D. Paulo notati.

Qui ponit quinq; modos.

Eph: 4.11.

Matth: 18. 17.

1. Per Apostolos tripliciter loquitur nobis Deus.

Secundum locum dat D. Paulus Prophetis, quales in veteri testamento infiniti, quales in nouo *Agabus & filiæ Philippi*, Euangelistæ, quales multi alij, de quibus prophetauit Ioël (& exposuit D. Petrus, de nouo testamento id intelligi) dicens: *Et erit in nouißimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo, super omnem carnem,*

2. Per Prophetas.

Act: 21. 8. & 10.

Ioel: 2. 28.

Act: 2. 17.

carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Audis Prophetas Spiritu sancto loqui? audiẽdus est ergò Deus, per illos nobis veritates suas manifestans. Et nota, filiarum, id est fæminarum, factam mentionem, contra hæreticos, qui soli tantùm scripturæ credendum esse asserunt, in qua tamen ne iota vnum scriptum à fæmina reperies (saltem de nouo testamento nullum dubium) vnde euidenter concluditur, non per solam tantùm scripturam, loqui nobis Deum. Prophetas igitur admittit Ecclesia sexus vtriusq; : sed bene probatos, quia id maximè requiritur. Tertium caput complectitur Euangelistas, quod probatione non indiget, cùm ab omnibus recipiatur: Sed valde indiget approbatione Ecclesiæ, cùm in eo, quæ sint verè scripta Euangelistarum, tum verò qui sit sensus illorum. Quartum caput continet Pastores, per quos dupliciter nobis Deus loquitur. Vno modo per pastores ritè in cõcilio congregatos (ad pastores enim solos ibi definitiua pertinet sentẽtia.) Altero per Pastorem pastorum, cui non solùm dictum est; *Pasce oues meas*, sed etiam, *Pasce agnos meos*: duces videlicet gregum, & patres ouium. O singularem diuinam prouidentiam: qua exorituris necessitatibus, præsens prouidit & præparauit remedium! Nam in repentinis casibus ex toto orbe congregare pastores, quanta esset difficultas? Postremò, ab Apostolo Doctores nominantur, per quos etiam peculiari ratione nobis

3. Per Euãgelistas.

4. Per Pastores dupliciter.

Ioan: 21. 15.

5. Per Doctores.

nobis loquitur Deus. Quando enim omnes, vel penè omnes doctores omnium ætatum per vniuersum orbem, diuersis licèt locis & temporibus scribentes, idem dicunt, idē sapiunt, eodem modo aliquem sacrarum literarum locum interpretantur; signum est diuinam esse illam veritatem.

Hæc est suauis diuina dispositio, hæc Christi gratia, quam sola Christi Ecclesia agnoscit, recipit, eaq; vtitur. In hac loquitur nobis Deus, non solùm intimè per legem in cordibus nostris scriptam, & vnctionem, quæ facit vt omnibus diuinis veritatibus, quæ omnem etiam intellectum superant, assentiamur: sed etiam loquitur nobis externè, omnibus illis quos explicuimus modis, ne decipiamur à sathana, qui, vt suggerat nobis falsa dogmata, *transfigurat se in Angelum lucis*, vera illa esse mētiēs. Et quāuis inter istas varias Dei locutiones non parua sit differentia, tum in eo quod aliæ sint ordinariæ, quas expedit per nuntios, quas per manus hominum ordinariè ad nos mittit; aliæ verò extraordinariæ, de quibus in istis concionibus prēcipuè egimus, & in hac Christo duce finiemus: tum in illo quòd aliæ sunt Dei locutiones, quæ requirunt vt ab aliis iudicentur: aliæ quæ de omnibus iudicant, & ipsæ à nemine iudicantur: de his tamen, si Deo placuerit, erit locus aliàs pluribus agendi: nunc delibare tantùm aliqua satis sit, tum vt meliùs dicta dicendaq; intelligantur, tum vt Ca-

Quæ omnia in Catholica Ecclesia reperiuntur.

2. Cor. 11. 14.

Est tamen inter hæc differentia

1.

2.

vt Catholici noſtri conſolationem habeant, & diuinæ miſericordiæ quas poſſunt maximas agant habeantq; gratias, quòd in tam firma petra pedes eorum collocarit; tum vt illi, qui ab impoſtoribus ſeducti ſunt, videntes hæc, agnoſcant errores ſuos, & fraudes dæmonis ſanè ſtupendas, quæ cùm aliâs, tum hic apparent.

Ab hæreticis verò omnia hæc euertuntur

NOTA.

Audite, obſecro, & intelligite admirandũ, & omninò ſtupendum quiddam, quomodo Sathan per miniſtros ſuos, tam craſſa mendacia, & tam apertas impoſturas, Chriſti Sacramentis initiatis perſuadere potuerit? Nam vt omnem veritatem è medio tolleret, omnes iſtos loquendi modos, quibus nos Deus inſtruit, funditùs miro artificio euertit. Eccleſiam enim quæ ex omnibus iſtis conſtat, inuiſibilem fecit, ne quis illo antidoto, *Dic Eccleſiæ*, quod nobis Chriſtus contra pſeudo-apoſtolos vnicum reliquit, vti poſſit. Quomodo enim ego dicam Eccleſiæ cùm eam non videam, nec ſciam cui dicere debeam? Hoc aſtutè iacto fundamento; Traditiones Apoſtolicas, inuenta hominum eſſe dixit, à Deo prohibita: cùm tamen non hominum ſint inuenta, ſed Chriſti vberes gratiæ. Hiſtorias, vnde iſta habemus, etiam antiquiſſimas, etiam à viris ſanctiſſimis conſcriptas, mendacia eſſe aſſeruit. Ideoq; miniſtri eius ab etymo linguæ Germanicæ, quod mendacium ſignificat, Ligendas eas vocant. Iidem miniſtri

Matt: 18. 17.

diaboli

diaboli Prophetas noui Testamenti irrident: Miracula quæ fiunt in Ecclesia, in malum dæmonem authorem referunt, vt veros Pharisæorum filios agnoscas, qui eadem calumnia Christum Dominũ affecerunt: Pastores impostores nuncupant: Summum verò Pontificem, Christi Vicarium, per summam impudentiam Antichristum vocant: Concilia repudiant. Pastoribus omnibus ignorantiam, & errores infinitos impingunt. Consuetudines ab omni antiquitate receptas, superstitiones & abusus esse vociferantur. Deniq; omnes vias, & modos, ad cognoscendam diuinam veritatem nobis in hac peregrinatione relictos, repudiant, & abiiciunt. *Matt: 12. 24.*

Nam quòd scripturam sacram se recipere dicunt; hoc non eo faciunt, vt illius authoritate moueantur, & proprium sensum ei subiiciant, sed vt suorum capitum commenta pro scriptura incautis vendant. Proinde quicquid illis in sacra displicet scriptura, reiiciunt, etiam libros integros Canonicos, (imò aliqui eorum totam scripturam repudiant, vt Enthusiastæ) quicquid verò eis placet, id versionibus & glossematis à communi Ecclesiæ & Patrum sensu alienis peruertunt, quibus ita fidem adhiberi à suis volunt, acsi ab ipsis Euangelistis & Apostolis profecta fuissent. Quid hac impostura malitiosius? dolosius? perniciosius? Ad vos igitur me iterum conuerto, qui à talibus decepti estis, vosq; per viscera misericor- Quid hæretici de Scriptura sentiant.

diæ Dei obſecro, excutite hanc Miniſtrorum tyrannidem planè inauditam; abſtergite denſam ab oculis veſtris caliginem, vt viam veritatis tandem agnoſcatis. Quomodo enim illam apud eos & per eos agnoſcere poteritis, cùm ij omne lumen & omnes modos, quibus Deus veritates ſuas nobis manifeſtat, vobis eripuerint? Eripite vos viciſſim de medio illorum animas veſtras, & reuertimini ad matrem veſtram, ſponſam Chriſti, columnam veritatis, ſplendorem luminis diuini & veram ſcripturæ interpretem. Sed iam ſatis ſuperq; (ſi propoſitum noſtrum in hac concione ſpectes) de quinq; iſtis D. Pauli capitibus, continentibus modos, quibus Deus ſuæ ſponſæ loqui ſolet, diximus; nunc reliqua, quæ promiſimus, proſequamur, vel perſtringamꝰ potiùs.

Cur Deus tam variè nobis loquatur.

Recenſitis igitur Apoſtolus modis, quibus nos Deus inſtruit, ſubiicit cauſas, & quidem tres primùm, poſtea autem quartam, eamque præcipuam, propter quas id Chriſtus fieri voluit. Prima eſt: *ad conſummationem ſanctorum*, quòd nimirum in eo conſummatio ſanctorũ & ordo Eccleſiæ conſiſtat. Secunda *in opus miniſterij*, quia hoc miniſterium prædicationis verbi diuini requirit. Idcirco qui iſta non habent, non Chriſti, ſed ſathanæ ſunt miniſtri, teſte Apoſtolo. Tertia *in ædificationem corporis Chriſti*. Ita enim corpus myſticum Chriſti exigit, quod ſine his ſaluum & ſanum ſubſiſtere non poteſt. Verùm obiiciunt hæretici (quod

1. Ratio D. Pauli. *Eph. 4. 12.*

2. Eiuſdem

3. Eiuſdem.

Reſponſio hæreticorum.

& ſu-

& futurum D. Paulus præuidit, & nos quotidie audimus) iſta omnia fuiſſe tantùm in primitiua Eccleſia, quando hæc ſcribebantur, nūc verò non reperiri, quia neceſſaria non ſunt. Egregium ſanè acumen! Tunc inquiunt erant neceſſaria, quādo recens effuſus ſanguis Chriſti adhuc bulliebat; quando primitiæ ſpiritus etiam viſibiliter dabantur, nūc autem in tanta frigiditate & impoſtorum multitudine nō requiruntur. Quis vel tenuiſſimi iudicij hæc abſurda non aduertat? At bene habet, quòd huic obiectioni opportunè occurrit Paulus, tempus durationis deſcribens, & aſſerens duratura hæc: *Donec occurramus omnes in vnitate fidei & agnitionis filij Dei.* hoc eſt, donec per fidē veram, vnam, viuam, qua omnes in Eccleſia coniuncti ſumus, & filium Dei agnoſcimus, perueniamus ad finem, *& creſcamus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* quod demum poſt conſummationem ſeculi futurum eſt. tūc enim & viri perfecti erimus, & in eadem menſura ętatis plenitudinis Chriſti, parui & magni, ſenes & iuuenes, viri & fœminæ, omnes reſurgemus, id eſt *vſq; ad conſummationem ſeculi*, prout alibi Chriſtus Ieſus promiſit, ſe cum ſuis iſtis & aliis modis futurum.

Stupida & Apoſtolo contraria qui temp. durationis deſcribit.

Vide D. Hier: Epiſtola 27. ad Euſtoch: cap: 12.

Matth: 28. 20.

Poſtremò D. Paulus, ſummæ huius & diuinæ Chriſti gratiæ, adfert poſtremam eamque præcipuam cauſam, & cautelam perneceſſariam, cùm antea ſemper, tum verò hoc noſtro ſeculo. Exprimit autem illam his verbis: *Vt*

4. Et præcipua ratio D. Pauli.

iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Id verò hisce nostris calamitosis temporibus, nõ calamo & commentariis declarandum, sed oculis vsurpandũ, & fletu gemituq; prosequendũ est. Tam enim hoc est euidens in hæreticis, vt nesciam quidnam aliud sit sensibus ipsis & experientia euidentius. Quis vestrum qui cum illis versamini id non videt? quàm sint paruuli, nec scientes quid illorum ministri etiam circa prima fidei elementa sentiant, quàm porrò fluctuantes? Vnde enim illa verba eorum quæ sæpè auditis; Nescio quid iam amplius credam. Nec nõ illa alia, quæ etiam in scriptis habent: Nondum à nostris conclusum est, quidnam hac in parte sit sentiendum. Videtis item quàm leuiter circumferantur omni vento doctrinæ; hodie est Russus schismaticus, cras fit Lutheranꝰ, post annum flante vento doctrinæ Caluinianæ, efficitur Sacramentarius, tandem ad perfectionem quasi peruenit, & fit Anabaptista, apud quos tot diuersas doctrinas reperies, quot capita. O astutiam diabolicam! O circumuentionem ministrorum eius! O tenebras tam crassas, vt palpari possint! Vtinam aliquando tandẽ agnoscantur & discutiantur.

II. MEMB. De missione quæ fit à solo Deo cur hîc agatur.

Hoc igitur de variis Dei ad nos locutionibus posito fundamento, patet nos ab ea quæ extraordinariè à solo Deo fit legatione, peropportunè has nostras conciones inchoasse. Primùm

mùm quidem, quia hac ſola (quam tamen aduerſarij à veris Prophetis arcent) ipſi hæretici incautos præſertim in principio deceperunt, quinetiam nunc multi id faciunt, dum mentiuntur ſe tanquam reformatores Eccleſiæ à Deo miſſos eſſe. Deinde quia aliarum legationum explicatio, longiorem tractatum exigit. Poſtremò & præcipuè, quia noſtri, vt ſcitis, eſt inſtituti ab Euangelio quantùm fieri poteſt, ſermonem non auertere. Nam & illa quæ paulò altius & copioſius dicta ſunt, eò tendũt omnia. Cùm igitur Ioannes Baptiſta (de quo vt diximus tria iſta ſibi vicina agunt Euangelia) à Deo ipſo immediatè tanquam *propheta*, quin *pluſquam propheta* miſſus fuerit; in eo decuit hanc miſſionem declarari, in quo euidẽtiſſima illius apparent veſtigia. Diximus enim iam, Deum ſapientiſſimum tria ſigna reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ, per quæ cognoſci poſſit is, qui ſic ab eo mittitur. Tribus etenim illum notis inſigniuit, tria illi legationis quaſi teſtimonia attribuit: Primum miraculorum patrationẽ; ſecundum, conſtantiam ordinatam (in dictis factisq;) ſiue ordinem conſtantem; tertium, vitæ ſanctimoniam: In quibus veſtigium ſanctiſſimæ Trinitatis mirificè mihi videtur reſplendere. Nam in miraculis enitet omnipotentia, quæ Patri adſcribitur: in ordine, ſplẽdet ſapientia, quæ peculiari ratione Filio attribuitur; in ſanctitate verò eminet ipſa ſanctificatio. Sanctificatione autem Spiritus ſanctus denotatur.

[Margin notes: 1. Cauſa. — 2. — 3. — Tres illius notæ. — Veſtigium Trinitatis in ijs.]

De tertia nota id est de Sanctitate iam tractandū.

De duabus primis notis bina concione, binis istis præteritis Dominicis egimus, de tertia hodie est nobis tractandum. Vbi primùm notandū est. Nō pari passu ista tria ꝓcedere, quod antea insinuatum, nunc paulò fusiùs est explicãdum. Nam in missione quidē ordinaria, ac proinde in locutione Dei, quæ fit per tales, id est ordinarios Ecclesiæ prælatos, vnica tantùm nota est necessaria; secunda videlicet, quæ est ordo constans seu ordinata constantia (quamuis etiam his loco primæ notæ aliud quiddam est necessarium, de quo suo loco, si Christo placuerit, agemus.) In hac verò extraordinaria missione, duo quidem priora Dei ineffabili misericordia requiruntur: videlicet Miracula, ne decipiamur à malis; & ordinata constantia, ne circumueniamur à Magis, seu impostoribus. Tertia autem nota addita est, propter ornatum. Sicut enim quædam vestes ornatus magis & decoris, quàm necessitatis causa quæruntur, & comparantur ab hominibus: Ita de iis notis, & quasi togis Dei legatorum est sentiendum. Ita tamen, vt (quod non obiter dictum velim) nullum vnquam tam in veteri quàm in nouo Testamento, ad confortandam, vel vt hæretici dicunt, ad reformandam Ecclesiam, miserit Deus, cui non plus aliquid sanctitatis in vita attribuerit, siue respectu aliorum, siue respectu suiipsius, si eum cum eo, qui antea fuit, conferas. Nota autem quod dixi, ad confortandam Ecclesiam, ne fortè (quod

De qua nota propositionem.

Occupatio obiectionis

nonra-

non rarò mihi accidit) hæretici aut peruertāt, aut mala fide recitent verba mea, omittendo aliqua ex illis, in quibus vis maxima consistit, hacq; ratione suos decipiendo. Ideo addidi, (quod repeto tertiò) Deū non omnibus, quos aliquo alio fine siue mittit, siue venire permittit; sed illis tantùm, quos ad confortandam, vel reformandam Ecclesiam destinat, hāc sanctitatis vestem attribuere. Non ergo mihi obiicias, non modò in veteri testamento fuisse Prophetas, qui Dei nomine loquebantur, nec tamen sanctitatis laude excellebant, vt fuit scelestus *Balaam*; vt ille qui alterum prophetam decepit, vt & alij; sed etiam in nouo eiusmodi futuros asseruisse Christum, nempe qui in illa die dicturi sint: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* & tamen respondebitur illis: *Discedite à me qui operamini iniquitatē.* Nam isti omnes, & iis similes, non ad reformandam Ecclesiā missi erant, sed aut prohibiti fuerunt, ne malū inferrēt Ecclesiæ Dei, vt *Balaam*; aut ex suo capite, Deo id nolente, prophetabant, vt ille in libris Regum; aut gratia gratis data abutebantur, vt isti in Euangelio. At quicunq; aut ad fidem roborandam, aut ad mores peruersos corrigendos, à Deo immediatè missi fuerunt, tales omnes præter miracula & constantiam ordinatam etiam sanctitatis laudem afferebant. Sanctitatem autem constituo, & in interioribus, de

Num: 22. *3. Reg: 13. 18.* *Matt: 7. 22*

Quid Sanctitas.

quibus nobis ex ſcriptura conſtat, & in exterioribus; nempe quòd vel auſteriorem vitam præ aliis, aut præ illa quam ipſi antea egerunt, complexi fuerint, vel iubente permittentéue Deo, admirandas mortificationes & cruciatus patienter ſuſtinuerint.

Probatur iam propoſitio. 1. Ex lege naturæ, exemplo

Itaq; hanc propoſitionem ſic poſitam, & expoſitam iam demonſtremus, ex veteri & nouo Teſtamento. Et in lege quidem naturę pauca ſuppetunt exempla: neq; plura requiruntur. Non infringitur enim inductio, niſi contrarium demonſtretur exemplis euidentibus, quorum ne vnum producunt hæretici. Nos autem in toto ſacro volumine plura reperiemus. Habemus enim inprimis in illa lege Patriarcham Noë, qui primus videtur miſſus ad reſtaurandum mundum pereuntẽ, & Eccleſiam conſeruandam, in tanta impietate & morum corruptela. Huic ergo Noë tale dat teſtimonium ſcriptura: *Noë vir iuſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.* Eximium ſanè ſanctitatis ipſius encomium. Qui quanta ab impiis illis, quos à flagitiis ad meliorem frugem reuocare identidẽ conabatur, per centum annos quibus arcam fabricauit, paſſus fuerit, quis vel cogitatione aſſequetur? Sed & habitare cum tot beſtiis in vna naui, quantæ fuerit miſeriæ, conſiderent præſertim delicatuli. Notauit hoc Chryſoſtomus, qui excellentem Noë fidem, cum incredibili patientia & conſtantia prædicat. Habemus

Noë.

Gen: 6. 9.

Chryſ: ho: 25. in Geneſ.

mus præterea Abrahamum, qui declinante, imò ardente iam mundo in idololatria, à Deo ad conſeruandam augendamq; fidelium Eccleſiam excitatus, quanta ſanctitatis laude floruerit, tota ipſius hiſtoria teſtatur. Is enim dicenti Domino: *Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui*: incunctanter morem geſſit in re ſatis difficili. Is incertis ſedibus ad Dei nutum ſub tabernaculis degens hac atq; illac vagatus eſt: is deniq; magnum illud heroicæ virtutis & antehac inauditæ obedientiæ argumentum dedit, quando filium ſuum ad Dei imperium immolare aggreſſus eſt; vt alia omittam, quæ & in rebus proſperis geſſit, & in aduerſis propter Deum pertulit. Habemus & ipſum Moſen, qui ad conſolandam Eccleſiam fidelium tum temporis afflictam miſſus, magna ſanctitatis & innocentiæ ſuæ dedit ſpecimina, quæ enumerat Paulus. Poſtmodum verò ad inſtruendam illam & legem ei dandam à Deo delectus, quid non boni fecit? quid non mali pertulit, à gente illa duræ ceruicis, ac refractaria, Deoq; & ipſi rebelli? Qui quidem tam ſanctus fuit, vt ſcriptura de eo dicat: *Erat vir mitiſsimus ſupra omnes homines qui morabantur in terra.* tanta inſuper charitate erga homines ardebat, vt propter fratrum ſalutem dixerit Deo: *aut dimittte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Quid referam alios, qui ad reformandam & reſtaurandam Eccleſiam miſſi à Deo fuerunt?

Abrahami

Gen: 12.1.

Gen: 22.10

2. Ex lege ſcripta exẽplo Moyſis

Heb: 11.24

Num: 12.3

Exod: 32. 32.

Eliæ. *Elias* certè ad retinendam in Iſraël veram reli-
3. Reg: 17. gionem, quæ vix non iam eo loci perierat, à
20. Deo miſſus, magna paſſim ſanctitatis edidit
3. Reg: 19. documenta: corpus duriter habuit, pedes huc
8. & illuc vagatus eſt, ad mortem à *Iezabel* regina
quæſitus, *à paupere vidua vtcunq;* (vt ipſe ait, id
eſt miſerè) ſuſtentatus eſt: per quadraginta
dies ambulans, nihil toto illo tempore guſta-
Exo: 24. uit, quale ieiunium etiam *Moſes* bis tollera-
18. uerat: deniq; tanquam terriculum aliquod
Exod: 34. mortaliũ, vel Satyrus (vt hæreticorum verbo
28. vtar) talis tantuſq; vir piloſus & *zona pellicea ac-*
4. Reg: 1. 8 *cinctus renibus* ambulabat. Iam Iſaias cùm eſ-
Iſa: 20. 3. ſet vir & diſertiſſimus, & nobiliſſimus, nihilo-
Iſaiæ. minus vt inſanus, *nudus, & diſcalceatus*, iuſſu
Ieremiæ. Dei, quoquo verſus diſcurrebat. Ieremias prę-
Ier: 38. 6. ter carceres, famem, ſordes, lacum, & alia quæ
Ier: 27. 2. propter Deum & reſtaurationem Eccleſię ſu-
& 28. 13. ſtinuit, inceſſit Lymphatico ſimilis, primùm
ligneis, poſtea ferreis cathenis onuſtus. Eze-
Ezechielis chiel dormiuit in latere ſiniſtro trecentis &
Ezec: 4. 4. nonaginta diebus, & in latere dextro quadra-
ginta diebus, & comedit panem, quem vel au-
res horreant, nedum palatum. Verba ſcriptu-
ræ ſunt: *Ecce dedi tibi fimum boum pro ſtercoribus
humanis: & facies panem tuum in eo.* Ita tractat
ſibi dilectos Deus. Quid horum ſimile ha-
buit Lutherus? qui ſuam prædicationem à vi-
ta licentioſa exorſus eſt; & non multo poſt
ab inceſtis & ſacrilegis nuptiis, oppiparis epu-
lis quotidie ſe ingurgitabat, & graues mero

crateres

crateres euacuabat, prout & scripta discipulorum eius testantur, & ij qui Lutheri conuiuæ sæpiùs erant, & cum filiabus eius, patre iucundè inspectante, lasciuas duxerunt choreas, mihi retulerunt. Quid Caluinus? à quo delicatissimum quendam panem saccharitem, panem Caluini nuncupari audiui. Postremus Prophetarum, quos maiores vocant, fuit Daniel, qui adhuc puer asperè corpus affligit ieiunio, quod postea illi familiare fuit, sacco induitur, orat, leonibus obiicitur, & alia facit, & patitur propter Deum, quæ alias audire soletis. Quid dicam de Prophetis minoribus? Oseas vir præcipuus præcipiente Deo ducit mulierem fornicariam, cum quanto rubore facilè cogitare potestis. Amos Propheta frequenter plagis, teste D. Hieronymo afficitur. Ionas non sine magna afflictione delituit triduo in ventre ceti; sed multo maiorem molestiam sensit, quando non euenit quod prædixerat, vt testatur ipse. Abacuc capillis in Babylonem ab Angelo est portatus. Denique qui vult Catalogum afflictionum huiusmodi virorum videre, legat D. Paulum graphicè & emphaticè illum recitantem.

Aurifaber in colloquis mensalibus Luth.

Danielis.
Dan: 1. 12.
Ibid: 10. 12.

Oseæ &c.
Oseæ 1. 2.

Ion: 2. 13.
Cap: 4. 1.

Dan: 14. 33.

Heb: 11. 37.

Sequitur noster Ioannes Baptista, & hodiernum Euangelium, in quo non hanc solam sanctitatis notam, sed & alias duas, si bene cōsideraueris, expressam inuenies. Miraculis illum dotatum fuisse alias ostendimus. Certè quod hic dicitur; FACTVM EST VERBVM DOMINI

III. MEMBRVM
Idem probatur ex Euangelio de Ioanne Baptista.
Miracula

MINI SVPER IOANNEM ZACHARIAE FILIVM.
Et iterum; SICVT SCRIPTVM EST IN LIBRO SERMONVM ISAIÆ PROPHETÆ: clarè demonſtrat, & Ioanni, & circa Ioannem miracula non defuiſſe. Cùm enim & veteris & noui Teſtamenti teſtificatione aſſeratur illum à Deo miſſum, quid deſideramus amplius? Altera veſtis conſtantiæ ordinatæ, ſeu ordinis conſtantis, copioſè eſt demonſtrata in Ioanne præterita die Dominica. In hoc verò Euangelio, cũ dicitur: ANNO QVINTODECIMO IMPERII TYBERII, &c. & poſtea; FACTVM EST VERBVM DOMINI SVPER IOANNEM: duo ad ordinem ſpectantia inſinuantur. Primum, illum non ante trigeſimũ ætatis ſuæ annum prædicare cœpiſſe, quia id ordo illius temporis requirebat, quem etiam ipſe Chriſtus Dominus tenuit. Secundum, quia non prius id aggreſſus eſt, quàm miſſus fuiſſet à Spiritu ſancto. Poſtrema verò ſanctitatis nota denotatur illo verbo, IN DESERTO. Deſerti enim locus non parùm hanc ad rem confert. Magnum enim ſanctitatis argumentum eſt, vitæ auſteritas; & ita magnum, vt plebs hac penè ſola eam metiri conſueuerit. Deſertum verò multùm ad auſteritatem valere, & res ipſa loquitur: & cùm Ioannes, tum ipſe Chriſtus exemplo ſuo teſtantur. Ioannes enim toto ferè vitæ ſuæ tempore, Chriſtus verò ſaltem quadraginta diebus in deſerto vixit, & poſtea non ſemel in eo pernoctauit. Deinde Ioannis veſtitus, vt alij inſinuant Euangeliſtæ,

Conſtantia

Sanctitas.

Vitę auſteritas.

Veſtitus.

Iiſtæ, fuit, vel veſtis cilicina ex pilis camellorum confecta, vel melota ex camelli exuuiis: Zona verò pellicea vilis, caprina fortè: nec quicquam plus ad veſtitum addunt. Victus autem erant locuſtæ, inſipidiſſimum cibi genus, quod ad victum pauperum, vt credere fas eſt, conceſſit Deus, & mel ſylueſtre ſubamarum. Tale fortè, quale aliquando in pratis vidimus, guſtauimuſque etiam in his noſtris partibus. Potus non facit mentionem ſcriptura, facit Eccleſia; cùm cantat, [cui latex hauſtum, &c.] ſanè talibus ferculis, talis potus ratio competebat. Victus. Leu: 11. 21

Hæc in Ioanne tertiæ veſtis, id eſt ſanctitatis externæ quam hic maximè conſideramus, non tam ſigna, quàm demonſtrationes cenſeri poſſunt. Quæ ita exoſa habent pſeudoeuangelici, vt Dei & Euãgelij obliti è diametro, de Ioanne contrarium aſſerant. Videlicet Ioannem Baptiſtam nõ in deſerto (neq; enim aiunt fera fuit) ſed in oppidis propè deſertum, præcipuè verò in domo paterna honeſta & copioſa manſiſſe. Veſte vſum eſſe ſcutulata, ſeu vndulata, quam vocant, qua nunc vtuntur Cardinales; zonæ quod ſciam non faciunt mentionem, quia videbant etiam ſubtiliſſimum mendacium in ea locum habere non poſſe. Victum Ioanni aſſignant cancros, vel oſtreas, delicatiſſimum cibi genus, & mel excellens. Iſtorum enim, inquiunt, in illis oppidis circa Iordanem fuit copia. Mirari hic Quid de hoc ſentiãt hæretici.

meri-

meritò quis posset, cur non ita præclarè compto & ornato, ac deliciis affluenti, sociam thalami addiderint, sed ad mentiendum satis est adhuc temporis. Quis scit an iam aliquis Ministrorum, calamum hāc ad rem non stringat? Certè si ei vxorem addidissent, perfectum illum Lutheranorum Ministrum fecissent. Illis enim vxor tam necessaria est ad prædicandum Euangelium, quàm cibus vel aër ad vitam: quod etiam nostris Russis vsitatum est. Noui quendam doctum alioqui & pium iuuenem, quem ideò ad sacerdotium promouere, & vt illi vocant Popum creare noluerūt, quòd ducere vxorem recusarit. O stuporem incredibilem, castitatem & continentiam remouere à sacerdotio, quam primi sacerdotes nouæ legis, Christus videlicet ipse & Apostoli coluerunt, quinetiam successores Apostolorū, castam duxisse vitam, constat ex historiis & conciliis. Turbantur quidam Catholici tam crassa & insulsa mendacia ab hæreticis conficta audientes. At lætandum fortè esse potiùs & optandum, vt quàm plurima talia edant, vt eorum asseclæ, cùm nolunt euidentibus conuinci nostrorum demonstrationibus, saltem apertis suorum redarguantur mendaciis, & ad agnoscendam veritatem impellantur.

Fructus ex mendaciis hæreticorū

Sed iam reliqua noui Testamenti persequamur, vt plena sit nostræ propositionis ex totis Bibliis probatio. Neque arbitror multùm hic esse laborandum, cùm res nimis sit in aperto, videli-

Postremò probatur ex nouo Testamēto Exemplo.

videlicet tam ipsi authori noui Testamenti Christo Domino, quàm iis qui ab eo missi sunt immediatè, notā sanctitatis & vitæ austerioris, etiam in exterioribus non defuisse Ipse inquam Christus Iesus, antequam sua legatione fungi incipiat, in deserto manet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, totisque illis ieiunat nihil gustando Inde vbi prædicādi munus aggressus est, nulli prorsus parcit labori, omnia respuens commoda. Nam *fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*, sitiens & esuriens, & tamen allatum cibum ab Apostolis degustare noluit, saluti animarum intētus totus. Idem pernoctat in orationibus. De vestimentorum porrò ipsius vilitate, etsi tam clara testimonia scripturæ non habemus, vt obstruatur os aduersariorum perpetuò clamātium: Nego, Nego: facilè tamen id ex scriptura colligi potest. Certè cùm dicitur mulier peccatrix pedes ipsius lachrymis rigasse, satis arguit eum nudis pedibus incedere solitum. Habemus igitur in Christo illa omnia tria, ad quæ externæ sanctitatis signa alia reducuntur: nempe ieiunium, orationem & eleemosynā. Nam licèt ita *esset egenus & pauper* (quod ipsum est aliud sanctitatis indicium, & mirificè ab Apostolo exaggeratur) *vt non haberet vbi caput suum reclinaret*, licèt etiam viueret ex iis, quæ pij viri & matronæ illi subministrabant; nihilominus tamen ex sua illa tenui stipe aliquid, pauperrimus ipse pauperibus impertiebat.

Christi Domini. *Matt:4. 1.* *Ioan:4. 6.* *Luc:6. 12.* *Luc:7. 37.* *2.Cor:8. 9* *Luc:9. 58.* *Luc: 8. 3.* *Ioan: 13. 29.*

Magi-

Discipulorum eius. Magiſtro non abſimiles fuère diſcipuli, quorum inopiam & exiguum victum, illud *Matt:12.1* ſatis arguit, quòd aliquando ipſo etiam Chriſto præſente, neque panem durum ad famem ſedandam habuerint, ſed excuſſo ex ſpicis ſegetum obuiarum granis, frumento crudo eſu- *Matt: 19. 27.* riem ſedare debuerint. Iidem Apoſtoli toties teſtantur ſe omnia ſua propter Chriſtum reliquiſſe; quod quantæ fuerit ſanctitatis argumentum, præmium à Chriſto promiſſum demonſtrat. Quãta verò poſtea propter Chri- *2.Cor: 11. 23.* ſtum & Euangelium, vel paſſi fuerint, vel ſanctitatis ſigna ediderint, nimis clarũ eſt. Vnus Pauli. D. Paulus longum harum rerum quę ſibi con- Timothei. tigerunt catalogum contexuit. Timotheus *1. Tim: 5. 23.* etiam licèt non fuerit à Chriſto immediatè miſſus, tamen à vino ſuæ valetudini neceſſario abſtinuit. Conferant hæc omnia hæretici cum vita tum Miniſtrorum ſuorum, tum Anteſignanorum ipſorum, & aperiant tandem Hæretica ſanctitas. aliquando oculos, videantq; illorum ſanctitatis ſigna præcipua eſſe illa: Honeſtè cum vxore viuere, quod faciunt etiam Iudæi: Deo dicatas virgines ex monaſterio educere, & ſacrilegis ſibi nuptiis copulare, quod bene norunt etiam Tartari. Maioribus ſuis nolle obtemperare, ſanctos contemnere, & infinita huiuſmodi facinora, quæ peſſimus & improbiſſimus quiſq; ſe feciſſe erubeſcat, patrare.

IIII. MEMBRVM. Quare cùm ex vniuerſa pateat ſcriptura; nullum vnquam miſſum eſſe à Deo immediatè ad

tè ad restaurandam reformandamuè Ecclesiam, cui vitæ sanctitas pro missionis symbolo attributa non fuerit: haud difficilè illa duo nobis colligere licebit: Alterum quod principaliter intendimus, nempè hæreticorum Coryphæos, non à Deo ad reformandam Ecclesiam missos, sed à dæmone ad eam destruendam obtrusos esse: alterum obiter & quasi aliud agendo, vbi nam sit vera in terris Christi Ecclesia. Primum tam clarum est, vt nihil suprà. Si enim pro pseudo-prophetis sunt habendi, qui dicentes se à Deo missos, vel vna tantum ex illis tribus notis carent, cùm omnes habere teneantur, vt ex vniuersa scriptura demonstrauimus, quales & quàm manifesti pseudo-prophetæ erunt, qui nullam illarum habent? Nam quamuis certum sit nullum pseudo-prophetam posse veraciter vllam istarum trium notarum habere; nec enim vera miracula edere, nec cum antiquis conuenire, nec veræ sanctitatis particeps esse quisquam eorum poterit vnquam; fictè tamen & in speciem primam, & postremam notam potest quispiam præ se ferre, imò verò ipso facto quidam ostentarunt, & Antichristus primam iactabit. Nam falsa patrarunt miracula, Simon Magus, Apollonius ille Tyanæus (quo nescio an quis alius plus damni intulerit Ecclesiæ Christi) & alij. Nec defuerunt etiam olim hæretici vitæ sanctitatem & austeritatem simulantes, vt Manichæi, vt flentes, vt flagellantes, & his similes.

Duo ex dictis colliguntur.

Primum, nostros hæreticos supremos esse Pseudo-prophetas.

1. Quia omnibus tribus notis carent.

2. Quia nec apparenter vllam habent.

Vide Baro: tom: 1. Annal: sæpè.

At in hæreticis noſtri temporis, cùm nihil tale etiam ſimulatè, & in ſpecie appareat, inſuper contrarium manifeſtè cernatur, quanti impoſtores cenſendi erunt? Nam Lutherus, Caluinus, & huius farinæ alij, non ſolùm nihil patrarunt mirabile, ſed contrarium planè, vt antea diximus. Nam & Lutherus dum tentat dæmonem eiicere, ipſe à dęmone ita vexatus fuit, vt vix effugeret, quod teſtatur Staphilus, qui tragœdiæ interfuit; & Caluinus volēs fictè mortuum reſuſcitare, verè illum occidit; neq; in noſtra Polonia talium impoſturarum deſunt exempla. Deinde non ſolùm non conueniunt hęretici cum antiquis, ſed nec ſecum ipſi. Imo eò res dementiæ deuenerit, vt primus author illorum Lutherus teſtatus fuerit, ſi Concilium conſtitueret vſum Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie, ſe [in deſpectum tam Concilij quàm ſtatuti ſui, velle, aut vtra tantùm, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri.] Quid dici potuit magis diabolicum? diabolo enim maximè eſt proprium, nolle pacem & vnionem. Poſtremò, ſanctitatis, humilitatis, & carnis mortificationis, in quibus tertia nota conſiſtit, non ſolùm nulla apud eos ſunt veſtigia, ſed ſunt horrendæ contra hęc omnia blaſphemiæ. Nam votum virginitatis, aut caſtitatis, ſtultitia ab ejs nuncupatur. Mortificatio carnis, carnificina dicitur; delectus ciborum, & ieiunia, doctrinæ dæmoniorum appellantur; orationes & cantus Eccleſiaſtici, nocturni & diur-

3. Quia inſuper contrarium in eis viſitur.

Lutherus de formula Miſſæ.

diurni, murmurationes, hypocriſes, boatus nominantur: Omnia deniq; carnis domandæ exercitia irriſa, profligata, diris ſunt ab eis deuota, & verbis & factis, quod exemplo vnius Lutheri ſatis probatur. O quanta erit condemnatio eorum qui talibus credunt? Omnium profectò acerbiſſimè diris in inferis cruciatibus mulctabuntur, ni reſipiſcant. Siquidem alij hęretici apparentia aliqua decepti fuerunt, iſti autem apertis oculis cadunt, & vltrò ſeſe in baratrum præcipitant; ſed ad alterum tranſeamus.

Multa ſunt & euidentia Eccleſiæ Chriſti hîc argumenta, ſummam eorum accipite, quæ nouem capita continet. Reducemus autem illa ad contextum Euangelij hodierni. Primũ eſt in primis verbis, ANNO DECIMO QVINTO, &c. Vbi vides duplicis ſtatus mentionem, ſecularis & Eccleſiaſtici, quos hæretici & fratres eorum Machiauelliſtæ, vel confundunt, vel euertunt. Secundum in verbis, FACTVM EST VERBVM DOMINI, &c. ex quibus multa habemus, & inprimis expreſſum alium modum quo nos Deus alloquitur, ſcilicet per Prophetas. Apud nos igitur erit Eccleſia, qui illum recipimus, apud illos verò non, qui præter internam locutionem & ſcripturam, nihil volũt agnoſcere. Tertium ſignum habemus, quia non ſolùm hunc, ſed etiam omnes alios modos receſitos ab Apoſtolo, nos amplectimur, illi repudiant, vt vidimus. Ergo apud nos eſt

Secundo, colligimus 9. notas Eccleſiæ.

1. Duplex ſtatus Eccleſiæ.

2. Diuina miſsio.

3. Varij modi loquendi Dei.

ſia, nam de Eccleſia illa dixerat Apoſtolus, vbi tot ſunt ſigna Eccleſiæ, quot ibi locutionum modi; ſed nos breuitatis cauſa in vnum argu-
4. Perduratio. mentum conſtringimus omnia. Quartum ex eodem Apoſtolo, qui teſtatur hæc manſura vſq; ad conſummationẽ ſeculi, & dat cauſam, ne fluctuemus. Hoc nos credimus. Illi contrà, & ceſſaſſe iſta aiunt, & firmos ſe eſſe in fide aſſerunt, licèt experientia doceat vix quicquam in mundo eſſe fide illorum infirmius.
5. Miracula. Sed iam preſſiùs loquamur. Quinto itaq; habemus ex iiſdem verbis, & ex illis, SICVT SCRIPTVM EST, &c. Primam illam notam nuntij diuini, nempè miracula. Hæc ſunt per diuinam gratiam, certiſſima & copioſiſſima apud nos, apud illos verò, ne veſtigium eorum. Sex-
6. Ordo. to quoq; hinc aliam notam colligimus, ordinis videlicet conſtantis, qui viget in Eccleſia Romana, apud illos planè exulat. Romana igitur Eccleſia, erit Eccleſia Chriſti: illorum
7. Sanctitas verò, congregatio ſathanæ. Septimo in illis verbis IN DESERTO. Tertia nota ſanctitatis inſinuatur, quæ ſplendet apud nos, apud illos verò conuitiis laceratur. Eſſe verò & hanc & omnes tres notas in Catholica Eccleſia, vel ex ſolis fundatoribus religionum patet. Qui quoniam à Deo excitati erant, vt opem ferrent Eccleſiæ, ſiue in hæreſes, ſiue in malos mores, propter impiorũ multitudinem labenti, ideò iſta tria omnes habuerunt. Vt in oriente, Antonius, Hilarion, Baſilius, & alij. In occidente, Be-

te, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, noster quoq; B. Ignatius, & similes, qui & per se, & per ordinem suum, toti mundo opem tulerunt. Omnia autem ista eos habuisse, constat ex historiis probatissimis, prophetias multas, miracula infinita, constantiam ordinatam, talem, vt non solùm nihil assererent contrarium maioribus suis, in iis quæ ad fidē & bonos mores pertinent: sed etiam qui propinquiores fuerunt, à sede Apostolica confirmationem expetierunt & obtinuerunt, ordinem Ecclesiæ Dei confirmantes. Quantæ verò sanctitatis & austeritatis, alij plus, alij minùs pro ratione vocationis fuerint, docebunt lectæ eorum historiæ. Quibus si non credunt hæretici, ipsæ tamen non ideo sunt falsæ, credent aliquando vel inuiti, sed suo magno malo, nisi nunc volentes credant. Octauum Ecclesiæ Christi signum est tantò clarius, quantò magis aduersarios ex illorũ axiomate premit. Scitis illud semper esse in ore hæreticorum, hos esse in Ecclesia, qui Euangelio credunt, indeq; Euangelici dici volunt. Ego verò id libenter accipio, & aio nos Papistas (vt vestro vtar verbo) Euangelio credere, vos verò minimè. Quod tum ex aliis mille scripturæ locis, tum ex hoc solo aliquot constat argumētis. Nos enim credimus Ioannem Baptistam habitasse In deserto, quia id dicit scriptura: vos asseritis in oppidis, & domo paterna cum mansisse, cuius ne vestigium est in scriptura.

8. Euangelicum esse.

Nos igitur sumus Euangelici & in Ecclesia. Et videte quæso, quàm ineptè id dicant hæretici. Nonnè hic audis, ET VENIT IN OMNEM REGIONEM IORDANIS? Quomodo ergo eò venit, id est ad oppida prope Iordanem, quandoquidem antea ibi habitauit? Credimus præterea Ioannem non mollibus, sed pilis camelorum & zona pellicea vestitum fuisse, quia illud Christus Dominus, hoc Euangelistæ, de illo asserunt; item cibum illius fuisse locustas insipidas, & mel syluestre, vt scriptura ait: Hæretici verò vestiunt illum veste vndulata, satis delicata, cibant verò cancris delicatissimis, & melle excellentissimo. Non illi igitur, qui verbis Euangelij non credunt, sed torquēt ea prout placet; sed nos, qui ea vti sonant intelligimus, Euangelici, ideoq; etiam ipsorum iudicio in vera Ecclesia erimus. Quod etiam patet ex iis, quæ ex D. Paulo attulimus, de modis, quibus nos alloquitur Christus, & de tempore, & de causa, quæ omnia nos sicut verba sonant, intelligimus, ipsi verò penè nihil eorum credunt. Postremò verba illa, PRÆDICANS BAPTISMVM POENITENTIÆ, eximium nobis tribuunt signum, apud nos esse veram Ecclesiā, vbi (quod fecit Ioannes & ipse Christus) pœnitentia eiusq; fructus maximè prædicantur: apud illos verò non esse, vbi pœnitentia eneruatur, fructus verò eius ridentur. Sed hoc indiget integra cōcione, ideò insinuasse sit satis.

9. Prædicatio pœnitentiæ.

Conclusio

Nunc finem concioni imponens, auditores me-

res meos omnes, tam Catholicos quàm cæteros quoslibet rogo plurimùm, vt hæc quæ dicta sunt terna concione, semper in promptu habeant, & bene probent illos, qui dicunt se à Deo missos esse ad reformandam Ecclesiam, quorum infinitus est numerus. Talem ergo ante omnia, iube vel prophetare, vel miracula aliqua facere: si recusauerit, certissimus est impostor, nec audiendus quidem, sed statim explodēdus. Quodsi (vt scripturæ verbis vtar) *prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est*, audiri poterit, quid dicat; sed duo interim alia consideranda, nempè quid dicat, & quomodo viuat. Nam si dicit quidpiam contrarium iis, quæ pro articulis fidei suscepta & credita sunt, non audiatur ampliùs, sed arceatur. Similiter si in vita ipsius nihil apparet sanctitatis & strictioris vitæ, explodatur. Euidenter enim ex tota scriptura probatum, & demonstratum est, omnia ista tria requirere Deum, & concedere illis quos ad reformandam, vel consolandam Ecclesiam suam, ipse solus per se mittit. Et hæc sit Catholicis maxima consolatio, quia & ista & alia veræ Ecclesię signa, hìç manifestè vident. aliis verò sit ad cōuersionem incitatio, quos per viscera misericordiæ Dei rogo, & per salutem animarum suarum obtestor, vt tandem veritatē agnoscant, vt conuertantur & viuant, vt reuertantur ab iis, qui omnes penè modos, quibus nobis loquitur Deus, reiiciunt, ad illos qui omnes recipiunt,

Continens probationem corū qui veniūt

Deu: 13. 1.

Et exhortationem.

cipiunt. Conuertimini inquam, conuertimini à falsis, vel nullis, ad vera & copiosa miracula, quæ sunt in Ecclesia, à confusione plusquã Babylonica, ad constantiam & ordinem diuinum: ab iis qui sacrilegam vitam approbant, ad eos qui sanctissimam laudant, & plerique sectantur ab his, qui se Euangelicos dicunt, & non sunt, ad illos qui verè sunt tales licèt hoc nomine non glorientur. Et vt vno verbo omnia concludam. Reuertimini à mendacio & impostura, ad veritatem & omnem sinceritatem, vt amplectamur vos tanquam fratres dilectissimos, vna fide & eadem charitate nobis coniunctos & compaginatos. Per illam summam & supremam charitatem, quæ Deus ipse est trinus in personis, vnus in essentia; cui laus, honor, & gloria, & gratiarum actio sit, per infinita secula seculorum. AMEN.

CONCIO TERTIA.

Spes.

Aduentus Christi ad nos excellentissimus.

SVperest nobis quartus, si Euangeliorum ordinem sequemur, primus verò si rei naturam consideremus, IESV Christi Domini nostri aduentus, à Deo adhuc in Paradiso in remedium præuaricationis primorum parentum promissus, à Patriarchis, Princi-

Principibus & Regibus olim figuris quàm plurimis designatus, à Prophetis summis desideriis expetitus, à suis, id est impiis Iudæis, non agnitus, sed repudiatus, à fidelibus verò obuiis, vt dicitur, vlnis susceptus, ac magnificatus. Aduentus, inquam, Saluatoris nostri ad nos, per naturam nostram ex nobis in vtero virginis assumptam & diuinitati vnitam. Excellentissimus sanè, ac fons & origo totius boni nostri. Hinc enim omnia Sacramenta profluunt, hinc omnes gratiæ deriuantur, hinc vniuersa bona opera nostra, vim & meritum suum accipiunt, hinc ad alios aduentus vigor omnis emanat. Ex aduentu enim filij Dei ad nos per incarnationem; & ille aduentus qui fit per Spiritum sanctum inhabitantem in nobis; & alter, quem post vltimum agonem iusti experiuntur, ac deniq; ille quem in consummatione seculi pij expectant, sequitur. Ad quem explicandum offert se nobis hodiernũ Euangelium. quod si diligenter considerauerimus, inueniemus omnia, vel penè omnia ad Domini primum aduentum pertinentia. Adest enim aduentus huius præcursor, adest author & consummator, adest celebritas eius, adsunt viæ, quibus authori eius obuiam procedere possimus, adest & modus eundem recipiendi, & vtilitates ex eius ad nos ingressu promanantes. quæ omnia rectè considerata & expensa hoc efficient, vt & spiritualiter ad nos Christum Dominum venturum sperare,

 & vl-

&vltimos eiuſdem duos aduentus ſecuri ex-pectare poſſimus.

PROPOS: Euang: explicabitur cum doctrinis.

Hæc igitur tractanda, & inueſtiganda in hac concione nobis erunt, non tamen eo quẽ propoſuimus ordine, verùm textui inhærendo, vt & litera, & ſi quæ circa illam ſunt dubia, ab omnibus intelligantur, & doctrinæ quas Deus conceſſerit adferantur, ac denique circa finem, & quæ ſunt inſinuata declarentur, & ſpes noſtra in nobis erigatur. Da Chriſte Ieſu, vt ita hunc tuum primum aduentum meditemur, vt poſtremum cum viua ſpe expectemus, atq; aduentantem læti excipiamus.

Quãtopere Deus amet ordinem.

Inuentor & fabricator boni ordinis Deus, ita ſemper & in omnibus adamauit ordinem, vt nihil vnquam contra illum agere voluerit; imò quæ ordinatè conſtituta fuerunt, ea ipſe obſeruari voluit. Quod cum in aliis infinitis, tum verò in eo apparet, quod neq; filium ſuũ vnicum, neq; præcurſorem eius Ioannem ante trigeſimum ætatis illorum annum permiſerit prædicationis fungi officio, quia id apud Iudęos in more poſitum fuit. Vt igitur demõſtraret noſter Euangeliſta, Ioannem iam ſufficientem ad id ætatem habuiſſe. Ait:

Trigeſimo anno Ioan: cœpit prædicare.

ANNO QTINTODECIMO IMPERII TYBERII CAESARIS. Conſtat enim Ioannem Baptiſtam anno quadrageſimo ſecundo imperij Auguſti Cæſaris natum, à quo tempore ſi annos numeres ad hunc, quem audis decimum quintum Tyberij, inuenies Ioannem trigeſimum annũ,

vel iam

vel iam expleuisse, vel saltem inchoasse. Vnde verò Iudæi id habuerint, vt nullus ante trigesimum annum apud illos Doctoris munere fungeretur vel prophetaret; colligunt quidam ex libro Paralipo: quod tamen cùm ibi adeò clarè non dicatur, credendum est, vel ex diuina traditione, vel ex maiorum suorum institutione id illos habuisse, & vtrumq; Catholicam fidem quæ & traditiones obseruat, & pia maiorum instituta veneratur mirabiliter confirmat, perfidiam verò hæreticorum labefactat. Natus autem fuit Ioannes, vt bene nostis, sex mensibus ante Christum, idcirco totidem etiam mensibus Christi prędicationem præcessit. Posito itaq; Imperatore, ponit deinde etiam Prætorem D. Lucas dicens:

Vnde id Iudæis.

1. Par: 23. 3.

PROCVRANTE PONTIO PILATO IVDAEAM, sub quo etiam Christum Dominum passum esse nostis, quod contigit post quatuor ferè annos ab eo tempore, quo hæc quæ in Euangelio recensentur, acta fuerunt. Nam tres tantùm menses ad id deerant. Neq; verò D. Lucas his contentus fuit, sed addit insuper.

TETRARCHA AVTEM GALILEAE HERODE. Illo videlicet, qui Christum Dominum veste alba indutum irrisit. Dicitur autem tetrarcha, quasi quartæ partis Princeps, non quòd ita se res tunc haberet, sed quia titulus iste, qui olim ortum habuit ex diuisione alicuius regni, vel principatus, in quatuor partes, postmodùm Principibus, imò & Regibus dabatur, vt ex autho-

Tetrarcha quid.

Luc: 23. 1.

authoribus patet. Illius igitur qui infantes occidit Herodis regnum, in tres vt nimiùm partes diuisum fuit, quarum duas duo ipsius filij obtinebant. Ideo additur:

PHILIPPO AVTEM FRATRE EIVS TETRARCHA ITVREAE ET TRACHONITIDIS REGIONIS. Tertiam verò alter quidam obtinuit, qui quisnam fuerit, præter nomen certò non constat. Nam D. Lucas nominat illum dicens:

ET LISANIA ABILINAE TETRARCHA. An verò in plures etiam Tetrarchias, seu partes, diuisum fuerit hoc regnum, parum refert nos scire. Illud autem aliquanto magis nostra interest, quod non solùm Principes seculares, sed etiam spirituales diuisi erant. Nam sequitur:

Quid sibi velint hi duo Pontifices?

SVB PRINCIPIBVS SACERDOTVM ANNA ET CAIPHA. Non dicitur hoc ideò, quòd vterq; esset eodẽ anno summus Pontifex, hoc enim nunquam factum legimus (nisi velimus dicere alterum fuisse absolutè summum pontificem, alterum verò præfuisse magno illi consilio Synedrin dicto) sed ideò vterq; nominatur, quod essent annui & fortè alternatim pontificatum exercebant, propterea hic primo loco ponitur Annas, quia fuit Pontifex anni illius, sicut Caiphas quando crucifixus est Christus. id enim si annos bene computes, ordo exigebat. Annuum autem gerere pontificatum erat præter consuetudinem legis veteris, vt apparet ex libris Mosi.

Ioã: 11. 49

Num: 35. 28.

Hæc circa declarationem textus occurrebant.

bant. Neq; verò ſine cauſa tot nomina & diſ-ſectiones ab Euangeliſta ponũtur. Fecit enim hoc tribus inter alias de cauſis. Prima eſt literalis. Voluit enim plenam fidem facere de prædicatione Ioannis, & aduentu Meſſiæ in hunc mundũ, idcirco omnes enumerat principes, ſub quibus id fieri cœptum eſt. Altera eſt allegorica. Recenſentur enim gentiles dominãtes Iudæis, vt ſcias adfuiſſe tempus quando fides vera & verus Dei cultus à Iudæis ad gentiles transferri debuit, vt etiam in hoc appareret illud quod dixit Apoſtolus: *Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale.* Prius itaq; gentiles Iudæis ſunt prælati in temporalibus, poſtmodùm in ſpiritualibus. Tertia ratio eſt moralis. Habemus enim hic pulchram doctrinam politicam ad confirmationem illius quod dicitur: Concordia res paruas creſcere, diſcordia verò maximas etiam dilabi. Quod non ſolùm in eadem domo, in eadem vel diuerſis familiis, in congregationibus, in ciuitatibus, ſed etiam in regnis, imperiis, monarchiis, fieri videmus.

Cur tot perſonæ nominentur.

1. Ratio literalis.

2. Allegorica.

1. Cor: 15. 46.

3. Moralis notanda.

Proferamus tria exempla earum ſaltem monarchiarum, quarum in primo libro Machabæorum fit mentio, quibuſcum tum temporis Iudæi amicitia & fœdere iungebantur. Primum eſt Macedonum, qui vniti ſub Alexandro Magno Rege ſuo, domini facti ſunt vniuerſæ terræ. Poſt mortẽ verò illius multis modis diſſecti, mala in orbem inuexerunt plurima, pro-

Diſcordia & inordinatio perdit regna.

Exempla. 1. Macedonum.

1. Mac: 1. 9 ma, prout ſcriptura clarè teſtatur dicens: *Et*
1. Mac: 12. *impoſuerunt omnes ſibi diademata, & multiplicata*
2. Lacedæmoniorũ. *ſunt mala in terra.* Alterum Spartiatarum ſeu Lacedæmoniorum, quibuſcum Iudæi pacta inibant, quia tum temporis adhuc florebant propter vnionem & concordiam; Poſtmodùm verò dilapſi ſunt maximè propter Ephoros, id eſt inſpectores (notate agnomen illorum qui inſpiciunt, ne quid libertas detrimenti patiatur, imò vt augeatur quotidie) ad quos ab ipſis etiam Regibus dabatur appellatio. Sicut itaq; prædictæ Monarchiæ concordia ordinata creuerant, ita diſcordia inordinata perierunt. Ter-
3. Romanorum. tia Reſpublica erat Romanorum, cum quibus
1. Mac: 8. itidem Iudæi inibãt amicitias, qui quidẽ dum eſſent concordes, mirum inmodum fines Imperij protulerũt ſuos. Exorta autem diſcordia inter Marium & Sillam, inter Sertorium & Catilinam, inter Pompeium & Iulium Cæſarem tribunis plebis Rẽpub. turbantibus, ſplẽdorem illum & potentiam amiſerunt. Verùm iſti gentiles fuerunt.

4. Iudæorũm. Quid verò dicemus de Repub. quam ipſe Deus peculiariter gubernauit? Quę quomodo ex vno Abrahamo orta, amore & concordia primũ in multa centena millia creuerit, poſtea verò etiam regna externa occupauerit, clarum eſt ex ſacris voluminibus: ſed neque illud obſcurum, quomodo Iudæi diſcordia primùm inter ſe diſiecti, deinde variis & crudelibus tyrannis à Deo in ſeruitutem traditi fuerint.

Exem-

Exemplorum pleni ſunt libri Iudicum & Regum. Et nota non quamuis diſcordiam ſeruituti Iudæorum cauſam dediſſe, ſed illam præcipuè, quæ ex diſſenſione in religione & negotio fidei oriebatur. Ideò quando ad Deum eiuſq; cultum redibant, ac in vera fide cõcordes erant, ſubmittebat illis identidem Deus ſaluatores, *Aod, Gedeon, Iephte, Samſonem,* & alios. Et hoc ipſum videre licet in regibus Iudæorum, qui vniti cum Deo per fidem veram, & cum ſubditis per concordiam, non ſolùm ea quæ Deus illis aſſignauerat, ſed etiam multa alia regna occupauerunt, & ſub iugum miſerunt. At poſteaquam propter idololatriam à Salomone excitatam diſſenſio inter Roboam regem Iuda filium Salomonis, & Ieroboam ſubditum eius facta eſt, non ſolùm Regna quę poſſederant amiſerunt, ſed etiam ipſi inter ſe diuiſi fuerunt in duas partes, quarum vna decem tribus, altera duas tantùm complectebatur: ac tandem quæ priùs peccauit, & tam à Deo ſuo quàm à viris piis (qui ibi non deerãt) diſceſſerat, priùs in captiuitatem abducta eſt, quam tamen, & alia duarum tribuum Iudæ & Beniamin eandem ob cauſam in ſeruitutem eſt ſubſecuta, donec ſic volente & miſerante Deo, primùm à Cyro quinquaginta millia in Iudæam remiſſa, poſtea à Dario Cyri victore omnes libertate donati, multi in patrias ſedes remearunt, & tam ciuitatem quàm templum Hieroſolymitanum reſtaurarunt.

NOTA. Cauſam interitus eſſe diſſenſionē in religione.

Dei benignitas.

Hiſtoria Iudæorum. 3. Reg: 12.

4. Reg: 17.

4. Reg: 24

Quæ

Quæ quidem reſtaurata, defenderunt Machabæi ex paruis, ſed concordibus principiis orti, vſque ad hoc penè tempus, quod audis in Euangelio. Nam quamuis iam antea diſſenſionibus laboraretur, & ad externos etiam deueniret regimen, tamen tantam diſſectionem, quantam hîc deſcriptam vides, puto antea non fuiſſe. Audis enim nominari quinque principes ſeculares, & duos Eccleſiaſticos. Adde & illud magnæ confuſionis ſignũ, quòd tum temporis propter tyrannidem ſecularibus Eccleſiaſtici ſubdebantur, & ab illis ſummum Pontificatum emebant. Et hoc ipſum etiam notare licet in libris Iudicum & Regum, vbi quando Reges ſummis Sacerdotibus coniuncti, & vt decuit ſubiecti erant, bene omnia cedebant: at verò poſtquam Reges dominari cœperunt Sacerdotibus, demùm relictis veris, impios idololatras ſibi formare cœperunt; totum in præceps ruit. Electionis huius & conſecrationis pſeudo-ſacerdotum habemus expreſſam effigiem in primo Rege Iſraëlis idololatra Hieroboam, de quo ſcribitur, quòd *fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes excelſorum; quicunque volebat implebat manum ſuam & fiebat ſacerdos.* Viua planè imago conſecrationis miniſtrorum, hoc noſtro tempore, de quo alias: nunc cœpta proſequamur, vel concludamus potiùs. Hæc igitur diſcordia & diſſectio, quam notatam vides in Euangelio, fuit initium interitus Iudæorum, qui poſt quadraginta

NOTA pſeudo-politiam.

Et conſecrationem Miniſtrorũ

3. Reg: 13. 33.

ginta & quatuor circiter annos subsecutus est, quando ipsi inter se primùm digladiari, deinde maximè ab iis, qui se zelotas, id est vindices libertatis vocabant, oppressi, tandem detrectantes Romani Cæsaris imperium, & rebelles Romanis facti, cùm discordiæ ac perfidiæ suæ, tum reiecti, imò crucifixi Messiæ meritas dederunr pœnas.

Ex his copiosiùs quàm cogitaram tractatis, multa nobis suppetunt dicenda contra tria genera hominum. Tres etenim gradus hîc videre nobis licuit dissensionum, & boni ordinis turbatorum. Primus & supremus est, qui schismata & dissensiones in rebus fidei nutrientes, omnem diuinum euertunt ordinem. Cùm enim tales Deo dicenti, & mysteria, ac veritates suas nobis per Ecclesiam reuelāti nō credant; quid non turbant cùm ipsum authorem ordinis turbent? In hoc gradu & fuerunt olim infiniti quos notauimus ex veteri Testamento, qui à Deo ad idola peruertebantur, & non desunt in nouo Testamento, & maximè nostro tempore omnes hæretici.

Tres gradus dissensionum.

1. Supremus hæreticorum.

Alter est illorum, qui statum ordinatum Ecclesiæ, id est subordinationem magistratus ciuilis, ad Ecclesiasticum, & quod consequēs est, Rempub: Christianam miscent. Quales sunt præter hæreticos, qui se politicos specioso nomine vocant; licèt longè absint ab eo. Asserunt quidem tales se non solùm non turbare, sed etiam stabilire ordinem Reipub.

2. Pseudopoliticorū.

verùm nihil minùs faciunt: quod vel inde patet. Quomodo enim omnia bene & ordinatè ad finem Reipub: dirigent, qui finem & scopum rectum politiæ aut ignorãt, aut ignorare se simulant? Certè præesse & dominari quoquo modo, siue per fas, siue per nefas, nescio an vllus etiam insulsorum Philosophorum finem politiæ statuerit, qualem apud hos si bene perspicies, esse animaduertes. Malo autem fine constituto, quid mirum pessima media ad hunc finem consequendum ab iis constitui? Hinc statuum sequitur perturbatio, hinc in Repub: non honesti sed vtilis prima habetur ratio, hinc verarum virtutum explosio, fictarum & hypocrisis inundatio. Hæccine sunt Reipub: bene constitutæ signa & indicia?

5. Quorundam Catholicorũ.

Postremum perturbatorum boni ordinis genus, ac minimus quidem, sed tamen pessimus dissensionum gradus in Repub. (nam de his maximè loquimur; quamuis possint hæc omnia suo modo, & domui, & familiæ, & ciuitati, ex quibus postea Respub: constat, applicari) est; quandò priuata commoda publicæ authoritati, dignitati, & vtilitati præferuntur. O quàm id perniciosum! ô quàm frequens, non solùm apud omnes prædictos, tam hæreticos, quàm Machiauellistas, sed etiam apud Catholicos! nostis, videtis, palpatis. Quid ex his omnibus sperandum vel timendum potiùs? Quid, quæso, aliud, quàm quod timere

Quantum hoc malũ.

ſoles cùm vides domum aliquam fatiſcẽtem, parietes à ſuis angulis ſemotos, trabes ſuis repagulis excidiſſe, omnia deniq; mota & conuulſa; quid, inquam, contuendo tale ædificium cogitas? nil certè aliud, quàm breui ruinam ſubſequuturam. Idem hic time, & ſuccurre ſi potes. Similitudo

At quomodo, inquis, opem feram talibus? Difficilè ſanè; quia malum & multos & haud infimæ ſortis homines vt plurimùm complectitur. Tria accipe remedia ab Euangelio nõ aliena; Sacerdos oret, & moneat; is cuius intereſt, & poteſt, mala impediat, & quantùm poteſt, arceat; Omnes verò, ne ſint ex turbulentorum numero, caueant: vt verò Chriſto Domino viam in ſe præparent, dent operam: ita enim eueniet quiddam Paradoxon quidẽ, ſed Chriſtianum, ideoq; veriſſimum. Videlicet quantò peius erit, tantò melius quid ſubſequetur. Scit enim optimus Deus in periculoſis & deſperatis caſibus opem ferre, tum ob liberalitatem ſuam, tum ob diſpoſitionem noſtram. Ita peſſimum fuit peccatum primorum parẽtum; at optima inde emanauit promiſſio Dei de Verbi incarnatione. Turpiſſima erat idololatria Achaz; ſed pulcherrima illi facta promiſſio: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, quam hoc ſacro Aduentus tempore in veſtris Eccleſiis quotidie iteratis. Mala item captiuitas Iſraëlis, ex qua tamen id boni conſequebatur, quòd Iudæi vt plurimùm in capti-

Remedia tria.

PARADOXON.

Quo peius eo meliùs.

Exempla.

1. Adæ. *Gen: 3. 15.*

2. Achaz. *4. Re: 16. & Iſa: 7. 14.*

3. Captiuitas Iudæorum.

uitate vnum Deum colebant, quem in libertate repudiabant, vt patet ex Tobia, Ester, Ezechiele, & Daniele, ac aliis Prophetis. Ecce in Euangelio mala, quam audis, dissectio; at optimus supra modum primùm præcursoris, deinde ipsius Messiæ aduentus. Pari ratione molesta fuit Iudæis per totum orbem dispersio, sed iucunda religionis Christianæ vbique disseminatio, tum per Apostolos virosq; Apostolicos: tum per infideles Iudæos, qui libros Prophetarum id prædicentes per totum orbẽ circumferunt. Similiter ingrata fuit Iudæis, at gratissima nobis gentibus, veteris legis cessatio. Sicut enim rupto aggere alicuius piscinæ piscibus refertæ, vnus quidem damnum patitur, at in multos vtilitas deriuatur, dum fluuij & aquæ alię piscibus inde decidentibus implentur: ita rupto veteri Testamento, & cõsummata per consummatorem nostrũ Iesum, quando dixit, *Consummatum est*, antiqua lege; in omnes gentes, nationes, populos, infinita manauit vtilitas per publicationem legis nouæ, quæ est lex gratiæ. Quare idipsum nobis de Deo nostro misericordi persuadeamus, & speremus fore, vt si cum ipso per rectam fidem, per bonam conuersationem, per vsum sacramentorum cõiungemur, etiamsi cæteris quęuis obuenerint mala & calamitates; nobis tamen benè ex bonitate eius res sit cessura. Sed de ijs quomodo nos in aduersis gerere, & spem in Deum excitare, & patriæ opem ferre debea-

4. Ex Euangelio.

5. Dispersionis Iudæorum.

6. Cessationis veteris legis.

Similitudo

Ioã. 19. 30.

debeamus, nunc ſatis: iam videamus quid boni in tanto malo diſſenſionum à Deo factum & ab Euangeliſta deſcriptum ſit.

Factvm est verbvm domini, ait Euangeliſta, phraſi nota in ſcripturis & omnibus prophetis admodum vſitata, qua exprimitur miſſio & iuſſio Dei: vt is de quo id dicitur, annũtiet verbum ipſius. Quod tamen, vt dictum eſt, ante annum trigeſimum non fiebat; Et idem tempus ab Eccleſia ſeruatur in Epiſcopis, quorum proprium eſt concionari, vt non niſi trigeſimo anno conſecrentur: Sacerdotibus verò tempus hoc contrahitur aliquantulum. Sed hæc contractio quibuſdam non ſufficit, qui quamuis & ætate & perfectione ſint immaturi, nimis tamen maturi videri, & haberi volunt. Ideò tempora anticipant, & ad ſacros ordines ante tempus properant. Quæ cauſa obſecro? Nunquid nos perfectiores ſumus & antiquis ſanctis, & ipſo Ioanne Baptiſta, imò Chriſto Deo, qui trigeſimum expectarunt annum? Abſit, inquis, hoc vel cogitare; ſed quia ætas breuior, & neceſſitas Eccleſiæ magna id poſtulat. Fateor neceſſitati aliquid eſſe dandum, cum debitis tamen cautelis, & ne volentes alios iuuare, nos ipſos præcipitemus, illud de ætate neſcio quam excuſationem habeat. Certè & Ioannes, & Chriſtus Dominus breuiſſimo prædicarũt tempore, & tamen quantos fructus ediderunt? Quid ſi aliquando nos ipſi vitam nobis abbreuiamus?

Contra immaturiores ad ſacerdotium

Sed videamus, ad quem factum sit hoc verbum Domini.

Qualis esse debeat prædicator

SVPER IOANNEM ZACHARIÆ FILIVM. Magnam equidem nomina Hebræa vim habent in scriptura, præsertim si à Deo vel mutentur (vt Abrahami, Saræ, Petri) vel imponantur, vt huic & ipsi Iesu. Duo ista sic exponuntur: Ioannes designat pium, misericordem, gratiosum; Zacharias verò memoriam Domini sui: quo etymo duplici edocemur; vt si volumus, vt fiat verbum Domini ad nos, & fructum faciat, satagamus vt simus pij erga Dominum, misericordes in proximum; gratiosi, id est gratia Dei præditi in nobis, & filij memoriæ Domini nostri, id est in lege Dei nostri meditantes die ac nocte, cum illo beato viro Dauidico. O beatus qui ita sese ad prædicandum præparauerit vt Ioannes.

Psal. 1. 2.

Deserti quadruplex vtilitas.

IN DESERTO. Ecce ad hæc modus commodus sanè & efficax, desertũ inquam, quod pro ratione vocationis facias tibi necesse est, saltem domi tuæ aliquo temporis spatio, temetipsum à negotiis, & ipsorum strepitu segregando, Deoq; vacando, vt & memoriam
1. Domini tui per contemplationem recolas, &
2. voluntatem tuam, ad pietatem ac amorẽ Dei excites, & vberem gratiam ipsius recipias, &
3. mortificationi carnis assuescas, quam toto vi-
4. tæ tuæ tempore continues, prout Ioannes fecit. O quàm diuturnum hac in parte exercitium, ac vt ita dicam tyrocinium, vir hic in

vtero

vtero ſanctificatus habuit! nobis verò ſæpè in peccatis enutritis pauci ſtrictioris vitæ anni, longi & plurimi videntur. Iacienda idcircò ſunt bona fundamenta, vt bene ſuccedat quod ſequitur.

ET VENIT IN OMNEM REGIONEM IORDANIS. id eſt, expoſuit ſe vtilitati proximi, contulit ſe ad lucrandas Chriſto animas. A Iordane autem incipit, vt etiam locus ipſe incitaret ad id homines, propter quod Ioannes venerat. Venerat autem.

PRÆDICANS BAPTISMVM POENITENTIÆ. Quod facit omnibus qui excogitari poſſunt modis, nullam circumſtantiam omittendo. Non ſolùm voce, clamore, victu, veſtitu, cæremonia baptiſmi, tempore congruo, ſed etiam loco ipſo: tum deſerti, quod ad hoc erat aptiſſimum: tum Iordanis, quem fluuium Iudicii interpretantur. Quod autem maius ad pœnitentiam incitamentum, quàm Iudicii diuini intenta conſideratio? Fuit autem Iordanis omnium Iudææ fluuiorum celeberrimus, ex duobus profluens fontibus, quorum alter Ior, alter Dan vocabatur; per hunc Iordanem olim populus Iſraëliticus, & Elias cum Elizęo ſicco pede tranſiuerunt (vel potiùs per aluеum Iordanis exſiccati.) *Naaman* verò *Syrus*, ſepties in eo lotus à lepra mundatus eſt. Quæ omnia mirabilia ſanè, huius prædicationis Ioannis Baptiſtæ typum geſſerunt, magis verò illius, quod & prædicatione & cęremoniis ſuis

Iordanis deſignat Sacramenta.

Ioſ: 3. 18.
4. Reg: 2.
4. Reg: 5.

Ioannes commendabat, Sacramentum videlicet Baptiſmi & Pœnitentiæ. Baptiſmi lauacrum adumbrauit Naaman, ſepties in Iordane baptizatus; Pœnitentiam, reliqui omnes & ipſum fluuii nomen. Vt enim Naaman, vel nulla, vel exigua cum moleſtia lotus mundatur à lepra, alii non ſine labore & defatigatione pedeſtres alueum lati fluuii tranſeunt: ita in Baptiſmo modica cum deteſtatione anteactæ vitæ: at in Pœnitentia cum ingenti dolore & contritione, remiſſio peccatorum obtinetur. Item, Naaman Syrus tale in Iordane accipit beneficium, vt dicat ſcriptura: *Et reſtituta eſt caro eius ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.* de aliis verò nihil tale legitur, vt ſcias in Baptiſmo quidem, non ſolùm omnium peccatorum etiam originalis, ſed etiam totius culpæ & pœnæ, plenam dari remiſſionem: in Pœnitentiæ verò ſacramento non idem fit. Quapropter ab Apoſtolo Baptiſmus quidem *lauacrum regenerationis* vocatur, ſed Pœnitentiam, *triſtitiam & vindictam,* operari aſſeritur. Vindicta verò, & triſtitia, oriuntur ex conſideratione, tum maieſtatis diuinæ, & beneficiorum quæ ab illo accepimus, tum vilitatis & ingratitudinis noſtræ, qui in eum peccauimus. Et iſti ſunt duo illi fontes, ex quibus Iordanis, hoc eſt fluuius iudicii, emanat. Dum enim ego iudicia diuina expendo, & tum turpitudinem delictorum meorum, tum magnitudinem bonitatis diuinæ intueor, indeq; quòd

Margin notes: Baptiſmi & pœnitentiæ. — 1. — 2. — Tit: 3. 5. — 2. Cor: 7. 11 — Quæ contritio vera. — Figura.

tam beneficum parentem offenderim, tristitiam & animum vindictæ mei ipsius concipio, tum temporis veram de peccatis contritionẽ (in qua pœnitentia consistit) habeo, indeque fluenta lachrymarum effundo, quod fecit ille qui dixit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Et alibi: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Hæc est eximia dispositio, vt consequamur quod Ioannes prædicauit. Prædicauit autem baptismum pœnitentiæ.

Psal: 118. 136.

Exemplũ Dauidis.

Psal: 6. 7.

In remissionem peccatorvm. Quam tamen non dabat Ioannes; quia potestatem talem non acceperat, prout acceperunt postea Apostoli, & eorum successores, quando à Christo audiuerunt: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Magna equidem consolatio nostra, magna gratia diuina, quòd homo cuilibet vestrum similis, terrenus sicut & vos, peccator sicut vos, & fortè maior quàm vos, condonare vobis authoritate diuina possit delicta vestra. Accedite igitur incunctanter; nam quod de Christo Paulus ait, hic quoq; locum habet: *Habemus enim qui condolere poßit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* imò & peccato: (de Sacerdotibus loquor.) ne fortè tantò minus sis excusabilis, si non feceris, quantò maius tibi Christus præstitit beneficium quod repudias. beneficium, inquam, quo etiam is caruit, de quo Prophetæ prophetarunt, nem-

Absolutio in noua lege.

Ioan: 20. 23.

Heb: 5. 2.

pe Ioannes Baptista. Adfertur autem prophetia cùm dicitur:

SICVT SCRIPTVM EST IN LIBRO SERMONVM ISAIÆ PROPHETÆ de Ioanne Baptista: videlicet illum & vt præcursorem Messię venturum, & Messiam prædicaturum. Ideo subdit:

Cur in tẽplo nõ prædicat Ioan.

VOX CLAMANTIS IN DESERTO. Et in oppidis viciniis deserto. Ibi enim Ioannes prædicabat, quia templum Hierosolymitanum ipsi Christo seruabatur, prout prædixerat Propheta dicens: *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis.* Qualis autem vox fuerit Ioannes, diximus tota penè concione; nempè quicquid in illo fuit, id totum vocem fuisse, cor quidem non videbatur, sed tamen erumpebat & loquebatur ore, gestu, victu, vestitu, extra, & intra. Fuitq; vox ista in se humilis, in Prophetis sublimis, Christo amabilis, nobis verò valdè vtilis: ac proinde audiamus illum quid dicat.

Qualis vox Ioannis.

Mal: 3. 1.

Viæ præcepta, semitę consilia.

PARATE VIAM DOMINI, RECTAS FACITE SEMITAS EIVS, inquit; Scio non paucos nullam inter vias & semitas differentiam statuere & asserere, bis idem dictum esse expressioris significationis causa, quod non est infrequens in scriptura, & in Psalmis frequentissimum. Verùm non video quid obstet, cur in verbis à Spiritu sancto prolatis minùs liceat mysteria quærere, præsertim quæ Catholicam confirmant veritatem, qualia sunt ista. Ideò quidam per VIAM præcepta diuina decalogi, per SEMI-

TAS con-

TAS consilia Christi intelligunt: quod si non intenderunt Propheta & Ioannes (verùm quis nouit sensum illorum) veritati certè consentaneum est. Istis enim duobus modis obuiam Christo proceditur, & in hæc duo genera quotquot sunt pij Christiani diuiduntur. Alij enim solis præceptis diuinis, quasi lata quadam via contenti, ea obseruando viam Domino suo in se præparant: alij insuper strictius viuendi genus, nimirũ consilia Christi complexi, quasi semitas eius rectas faciunt. De vijs intelligitur quod dicit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: de semitis verò eiusdem ad eundem adolescentem: *Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Ad vias illud Christi Domini pertinet: *Dico vobis, nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Ad semitas verò: *Quodcunq; supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.* Viæ sunt latiores non quidem ratione viarum, quibus vanitatibus huius mundi dediti gradiuntur, de quibus dicitur: *spatiosa via est quæ ducit ad perditionem.* Et additur: *arcta via est quæ ducit ad vitam*; sed respectu consiliorum & semitarum, quas multò pauciores ingrediuntur.

In hęc duo omnes pij diuidũtur.

Matt: 19. 17.

Ibid: 21.

Luc: 13. 3.

Luc: 10. 35

Viæ duplices.

Mat: 7. 13.

Viæ bonæ sunt, sed semitę meliores, tum quia strictiores, fortiùs enim carnem refrenãt: tum quia breuiores, citius enim ad metam & terminum perducunt: tum quia nitidiores, sordibus enim & illecebris mundi carẽt: tum deniq;

Semitę meliores quatuor de causis.

deniq; quia maioris meriti quod vltrò,& non compulsi præcepto, eas ineamus; propterea audiuisti dictum à Christo: *quodcunq; supererogaueris, reddam tibi.* Vtrumq; pulchrè expressit Apostolus in eodem loco dicens: *Qui matrimonio iungit virginem suam* (ecce via non quòd præcipiatur matrimoniũ omnibus, sed quòd qui in illo viuunt, communem viam tantùm præceptorum sequãtur) *benè facit: & qui non iungit,* (ecce semita) *meliùs facit.* Exempla non desunt, sed sufficiat vnum in Euangelio hodierno. Nam PARAVIT VIAM DOMINI Zacharias pater Ioannis, qui in matrimonio piè vixit: at ipse Ioannes fecit RECTAS SEMITAS EIVS, qui virginitatem coluit.

Teste Christo Domino & D. Paulo.

1.Cor:7.38

Idem patet in Euãgelio.

Neq; verò absque causa præcipit Deus vias quidem parandas, semitas verò rectas faciendas; sed vt reor inter alias hac quoq; de causa; quia cùm semita hæc spiritualis, id quod secus est in semitis aspectabilibus, viam quoque complectatur (Nam qui consilia Christi sequitur, præcepta priùs obseruare tenetur) euenit, vt quantò in perfectiori statu quis est constitutus; tantò faciliùs ex suggestione dæmonis distortas vias suas faciat, aut prauitate intentionis, aut purè, & sincerè, id quod facit, ad laudem Christi non referendo, aut cupiditate inanis gloriæ. Idcircò monet Ioannes, vel potiùs Deus per illum, & per Isaiam, vt vias quidem paremus, fideliter præcepta eius obseruantes; semitas autem rectas faciamus, bo-

Cur viæ parandæ, semitæ verò rectificandæ.

nam intentionem & Dei ſolius honorem prę oculis ſemper habentes. Quare cùm omnes fideles in hos duos ſtatus diuidantur, optimè Ioannes & vias docet eſſe parandas, & ſemitas rectificandas.

At, inquis, vetus eſt illud dictum: Propter ſemitam viam non eſſe relinquendam, cùm ſæpiùs in ſemitis erretur. Verùm iſtud prouerbium hic locum non habet, tum quòd vt diximus, ſemitæ iſtæ viam etiam in ſe includant: tum quòd bene id dicatur, quando ſemita alicui externo eſt incognita: at incolis quis perſuadeat potiùs longam viam, quàm ſemitam breuiorem eſſe amplectendam? Ita ſe res hîc habet. Iam enim ſemitæ conſiliorum Chriſti, per gratiam ipſius veſtigiis attritę ſunt plurimorum. Non eſt igitur quod timeas ne deuies. Imò contrarium nunc euenire ſolet, nempè in via, & errari faciliùs propter multas vias deuias, & difficiliùs progreſſum fieri, propter ſocios in vnum coëuntes & iter retardantes. Verùm videamus iam, quomodo ſint viæ iſtæ parandæ & ſemitæ dirigendæ. Id enim docetur in ſequentibus, cùm dicitur:

Obiectio de viis ſoluitur.

1.

2.

3.

OMNIS VALLIS IMPLEBITVR. Quid per iſta quatuor ſignificetur diximus aliâs, ideò hîc dicta tantùm perſtringemus, & quæ Deus cõceſſerit addemus. Quorum hoc ſit primum. Iſta quatuor, nempè vallis impletio, montis humiliatio, prauorum directio, & aſperorum complanatio, fieri tum à Deo, tum à Chriſto

Vallis impletio quomodo fiat.

Domi-

Domino, tum à nobis, tum etiam ab ipso Ioanne suo modo. Deniq; in istis quatuor notantur varij fructus, seu effectus primi istius Aduentus Saluatoris nostri. Videtis quanta bona in paucis verbis includantur? Hæc est diuina gratia & scripturæ profunditas. Intueamur illa quantùm per tempus licebit, reliqua verò ad aliam concionem reiiciamus. VALLIS itaq; luxuriæ & omnis carnalitatis IMPLEBITVR, imò impletur. Tum à Deo nos ad pœnitentiam monente, incitante, adiuuante multis & variis modis, prosperis rebus, & aduersis, afflictionibus, & cõsolationibus, amore, & timore, & aliis infinitis. Quis enim innumerabilia enumerabit? Tum à Christo Domino, qui nobis merita sua communicat, sacramenta largitur, & in iis vberes gratias tribuit. Tum etiam à nobis, quod fit quando per cessationem à peccatis, per dolorem de illis, per lachrymas, & aliis modis ad gratiam Dei percipiendam nos disponimus. Et hoc est quod sibi clamor Ioannis voluit, maximè enim id intendebat, vt nos disponeremus ad aduentum Messiæ, & remedia tum vniuersalia tũ particularia nobis suggessit. Vniuersalia quidem, & ipsam pœnitentiam, & exemplum suum, quæ ad omnia valent. Particulare verò remedium contra vallem luxuriæ, illud esse potest, quod dicit: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Primus enim & præcipuus fructus est pœnitentię, carnem à petulantia refrenare. Sequitur secundum.

A Deo.

A Christo.

A nobis.

A Ioanne.

ET

ET OMNIS MONS ET COLLIS HVMILIABITVR. Contra ſuperbiam enim humiliationem vnicum eſſe remedium, nemo eſt qui non videat, ex illo legis naturalis Philoſophiæq; placito: Contraria contrariis curantur. Humiliatur autem mons & collis, tum à Deo, tum à Ioanne, tum à nobiſmetipſis. A Deo quidem, & exhortante & incitante, & humiliationem procurante; idq; modis variis, in corpore, in anima, in bonis externis & in honore. Nam permittit nonnunquam aliquem dedecore affici, ægrotare, moleſtias pati, damnum ſuſtinere. Quid ita? vt mens humilietur, vt collis deprimatur, vt ſuperbia quæ in illo latet, vel aliud quidpiam vitij explodatur. O ingens gratia! O immenſum beneficium! quod tamen à paucis pro beneficio reputatur. Talis nihilominùs fuit Dauid, qui quonam modo & à rege Saul, & à filio ſuo Abſolone afflictus & humiliatus fuerit, ſcitis: quanti autem beneficii loco id habuerit, vel ille Pſalmi verſiculus: *Bonum mihi quia humiliaſti me*, nobis ob oculos ponit. Et addit cauſam, ſeu fructum, *vt diſcam iuſtificationes tuas.* Verè enim in humilitate iuſtitia noſtra conſiſtit. A Ioanne verò mons humiliatur, cùm aliis tum verò illis verbis: *Et ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraham.* Hic enim præcipuum ſuperbiæ fontem tangit, vt vides, nempè gloriationem de proſapia & generis nobilitate,

Montis humiliatio quomodo fiat.

A Deo. NOTA.

Pſ. 118. 71

A Ioanne.

Luc. 3. 8.

litate, de auorum & maiorum suorum imaginibus, quam gloriationem vt plurimùm contemptus proximi sequitur, res Deo odibilis, imò nonnunquam contemptus ipsius Dei, vt
Dan:4.29 non ita pridem de Nabuchodonosor audiuistis. Vbi etiam notare potestis, quantum illi contulerit humiliatio à Deo immissa, quando septem annis *fœnum vt bos comedit*, tantùm contulit, vt per eam Deum cognouerit, & cognitum laudauerit, magnificauerit & glorificauerit, vt ibidē in eius decreto expressum habes.

A nobis quod procurandū.

Verùm tu si sapis, non expecta donec id Deus faciat, sed teipsum humilia in conspectu eius, & ipse montem superbiæ tuæ depone,
1. Causa. tribus de causis. Primò, quia non semper, nec omnibus talem gratiam humiliationis Deus præstat. Quot enim erant Reges & Monarchæ, & infiniti alii homines, quibus nihil tale contigit: ideoq; ad meliorem frugem nunquam rediêre? Idem, ne tibi eueniat, time, &
2. remedium adhibe. Deinde propterea, quia
3.Reg:21.27. grauis est manus Domini; quod sciens Achab maluit ipse se humiliare, quàm diuinam humiliationem expectare. Id verò quàm benè illi cesserit, vide, & imitare, sed constantiùs quā
D. Augu: hom:58.de temp. Achab: qui acceptam tunc gratiam (vt D. Augustinus sentit) postea impietate & idololatria sua eam amisit. Postremò, quia multò plus
3. meriti & vtilitatis nobis obuenire solet, ex vltro assumpta, quàm aliunde immissa, & patienter tolerata humiliatione. sed pergamus.

Et ervnt prava in directa, inquit Ioãnes. Factum est id per Christũ in toto orbe, quãdo aduentu suo, & omnes gentilium idololatrias sustulit, & sectas Iudæorũ profligauit. Quam ad rem peculiariter disponit Ioannes illis verbis: *Dirigite viam Domino.* secundum iam datam maximam de contrariis, per contraria curandis. Nulla enim melior est praui & obliqui emendatio, quàm illud dirigere, & rectis conformare. A nobis verò id fit, quando ea quæ habemus, siue in rebus fidei, siue in vita communi, praua & tortuosa dogmata, submissione intellectus nostri, sub obsequium veræ fidei & sanctæ obedientiæ subiicimus. Postremum est. Praua quomodo dirigantur.

Et aspera in vias planas. Hoc fit, quando diuitiæ iniustè possessæ, non solùm iustè restituuntur dominis suis, sed etiam ex iis quæ bene sunt acquisitæ, vberes dantur eleemosynæ. Id suasit Daniel regi Nabuchodonosor, antequam fœnum vt bos manducaret. Id suadet ipse Christus Pharisæis dicens: *Date eleemosynã & ecce omnia munda sunt vobis.* Id suadet & Ioannes cùm inquit: *Qui habet duas tunicas det nõ habenti.* Quod si illi non persuaserunt Iudæis & gentilibus infidelibus, persuadeant nobis fidelibus & Christianis. Ita enim sequetur quod dicitur: Aspera quomodo plana fiũt. Dan: 4. 24. Luc: 11. 41. Luc: 3. 11.

Et videbit omnis caro salvtare dei. Eximij sanè & vberrimi fructus, sed non sunt hoc breui quod restat, tempore, coarctandi.

 Ideò

Ideò & isti & alij, qui ex superioribus colliguntur, ad aliam reseruandi sunt concionem.

Nunc verò vt vnde cœpimus finiamus, duo ex dictis & Euangelio sunt facienda. Declarandus est hic primus aduentus Domini Iesu, & spes in Deum erigenda. Primum habebimus, si ad capita illic posita, quàm breuissimè respondebimus. Quærimus, cuiusnam die hodierna aduentus memoriam geramus? Clarum est, primum nos recolere, quē quantoperè antiqui Patres desiderarunt verba illa, *Rorate cœli desuper, &c.* à quibus sacrum hodiernum inchoamus, testantur. Initium verò huic aduentui dedit, annuntiatio Angelica, quam habemus in Offertorio. Quis verò alius huius aduentus fuit præcursor, præter Ioannem Baptistam, de quo est totum Euangelium? Author verò nonné Christus Iesus, filius Dei & filius virginis, quem hic Ioannes vocat, partim DOMINVM, diuinitatem eius agnoscens, partim SALVTARE DEI, humanitatem ipsius denotans? Apparuit autem mundo per natiuitatē, cuius post aliquot dies memoriam & festa peragemus. Perfecit verò aduentum hunc suum prędicatione, miraculis, vitæ sanctimonia, morte deniq; acerbissima, vnde gratiæ fluunt copiosissimę, quibus valles implentur, colles humiliantur, praua diriguntur, & aspera plana fiunt. Procedamus igitur illi obuiam, omnes quidem per vias, quidam verò etiam per semitas, illas parando, has

Aduentus Christi ad nos describitur.

Summa dictorum.

do, has rectas faciendo. Receptio autem quomodo fit? Dando operam, vt vallis vitiosæ & inexplebilis cupiditatis nostrę impleatur, mõs superbiæ deprimatur, praua tum dogmata, tum intentiones rectificentur; aspera quoque auaritiæ largis eleemosynis plana reddantur. Vnde fructus varii emanabũt, de quib⁹ postea.

Nunc ad rem nostram vnum hauriamus, spem videlicet viuam, quam habebimus, si dicta obseruauerimus, & in iis perseuerauerimus, tunc enim eueniet quod Sapiens inquit: *Habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur.* Quodsi etiam ad extrema peruenerimus, nec quicquam horum in nobis senserimus; ne sic quidem desperemus, prout quidam crudeles in se & in Deum iniurij faciunt. Absit id ab omnibus nobis, quin tantò fortiùs spem nostram promissis & meritis Christi excitabim⁹, quantò magis cætera nobis deesse videbimus. Memores latronis in cruce pendẽtis, & modicum illud quod illi supererat temporis, eximiè & fructuosè collocantis. Sicut enim certum est, neminem sine bonis operibus saluari posse: ita est indubium latronem illum eximia opera, illo breui, quo adhuc vixit tempore habuisse, & omnes Christiano homine dignas virtutes exercuisse: idem & tu facies cum firmo proposito, te, si superuixeris aliam quàm sectatus fuisti, vitæ rationem initurum. Clamabis itaq; cum illo sancto latrone: Ego quidem ô Domine IESV, iustè patior,

Spes quomodo inde erigenda.

Pro: 23. 18

Remediũ contra desperationẽ

Luc: 23. 41

iusteq; nisi accedat misericordia tua, in æternum condemnabor, nam digna factis recipiam, sed tamen tu benigne, qui nunquam deseris sperantes in te, hac hora, & hoc momento: *Domine memento mei,* qui iam resides in regno tuo. Ipse verò faciet tibi, quod fecit illi pro infinita sua misericordia, si eæ quæ in illo fuerunt, in te quoq; reperientur virtutes.

Aliud contra negligentes.

Cæterùm hæc non ideo dicuntur, vt qui sani sunt, pœnitentiam in illam horam differât suam, prout multi facere consueuerunt; sed ideò hæc referuntur, vt quamprimùm conuertaris ad Dominum, considerans, & in quãtis angustiis talis in illa die esse consueuit, & quod multò acerbius est, quàm id sit damnosum periculiq; plenum. Damnosum est, quia etiamsi quis salutem sic obtineat, tamen teste Apostolo: *Detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ignem inquam Purgatorij, qui vt sancti dicunt, longè est crudelior hoc nostro igne. Periculosum est ergò valde, quia multos spes talis fefellit. Quot enim sunt millia imò myriades in inferis, qui talem spem habuerunt? Sis tu igitur alieno periculo cautus, in re omnium grauissima, & iam iam coniungere Deo, neque permittas te vnquam ab eius gratia abstrahi & separari: ita enim illud paradoxon locum in te habebit, quod quantò erit peius, tantò tibi erit meliùs, quia aderit is, qui in extremis facit mirabilia, & in desperatis casibus maximè suis opitulatur, vt

1. Cor: 3. 15.

tur, vt fecit Dauidi, vt Susannæ, vt aliis; idem tibi succurret tantò fæliciùs, quantò non iam de vita hac misera, sed de æterna res agetur. Quam & tibi, & mihi, & omnibus nobis tribuat idem Christus Iesus Dominus noster, qui cum Patre in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat Deus, in secula seculorum. AMEN.

CONCIO QVARTA.

Charitas.

Videbit omnis caro salutare Dei.

DE amore diuino concione ista acturi, ad honorem IESV Christi Domini nostri, qui *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos,* quinq; grauissima vulnera in ara crucis pro salute nostra sustinere dignatus est: totidem Euangelij hodierni verba, quæ hoc ipsum SALVTARE DEI nobis ob oculos ponunt, explicare institui. Illa nimirùm quę vltimo loco ponũtur, VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI. Suppeditabunt etenim nobis (vt in diuina liberalitate spem habeo) non solùm sufficientem, sed & copiosam materiam, & ad continuandum ea quæ de charitate tractare cœpimus, & ad suggerendum, quod vobis hoc tempore pernecessarium esse iudicamus. Nam vt bene meministis, disseruimus, &

Quinque ista verba ad duo prosunt.

Eph: 2. 4.

mus, & declarauimus vobis, quid ſit charitas, quomodo in ea reluceat imago diuina, quòd & vna & trina ſit, quid ab amore differat, & his ſimilia: reſtat vt oſtendamus quomodo ſit ordinanda.

Tempus hoc eſſe Paſchale.

Suggerimus autem vobis quod non ignoratis, poſt tres, quatuorué dies adeſſe feſtum IESV Chriſti Domini noſtri Natiuitatis ſecundum carnẽ, ſed num hoc omnes ſciatis, ignoro, feſtum hoc eſſe vnum ex feſtis, quę Paſchalia vocantur. Nec immeritò ſanè duplici inter alias de cauſa. Primùm, quia ſi Paſcha vocatur, quando OMNIS, quæ ad id electa & prædeſtinata fuit, CARO VIDIT rediuiuum à mortuis reſurgens SALVTARE DEI, Chriſtum IESVM? Cur Paſcha non nuncapabitur, quando hoc ipſum SALVTARE DEI ex virgine natum, primũ omni carni apparuit? Deinde, quia ſicut feſtum illud Paſcha dicitur, quia in eo ſatis fit illi dicto Apoſtolico: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur.* Epulamur etenim tunc, & manducamus corpus Chriſti verè & realiter in Sacramento Euchariſtiæ præſens, quid ni hoc ipſum etiam nunc præſtemus? præſertim, cùm non deſit immolatio, & illa ipſa quæ fuit quando primùm ab Apoſtolis manducabatur? neq; enim vnquam manducatur, niſi priùs immoletur, aiunt ſancti Patres & Eccleſia. Hoc eſt Catholicæ fidei myſterium abſconditum, & ſolida conſolatio. *Itaq; epulemur* dilectiſſimi, clamo ad vos cum Apoſtolo.

1. Cor. 5. 7.

Apoſtolo. Sed dices, nunc ad manducandum obligari neminem. Imò verò tenentur omnes, ni ego fallor, non quidem tam ſtrictè & vi præcepti, vt in vero Paſchate, aliqua tamen ratione. *Itaq; epulemur*, inuito, hortor, ad guſtandum ſalutare Dei, ad cibum omnium ſuauiſſimum, ſanctiſſimum, delicatiſſimum, pretioſiſſimum, ſaluberrimum, caſtas & dulces, temperatas tamen, delicias & epulas. Quid ni accedatis?

Quod vt libentiùs præſtetis, declarare vobis inſtitui in hac concione, quonam modo hoc SALVTARE DEI primùm quidem videatur, quod monet Ioannes: deinde guſtetur, quod exigit princeps Apoſtolorum Petrus. Præterea manducetur, ad quod inuitat alter Apoſtolus Paulus, imò ipſe etiam Chriſtus. Poſtremò, quo cum fructu id fiat, de quo non tacetur in Euangelio hodierno. Da Trinitas ſanctiſſima, vt ita hæc percipiamus, vt non ſolùm hic, ſed etiam illic SALVTARE tuum Deus, videre, guſtare, & manducare in æternum valeamus.

PROPOS: Quadrimẽbris.

1. Pet: 2. 3.

Ioan: 6. 51

VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI, inquit noſter Ioannes Baptiſta. Audiamus ergò illum, & ponderemus omnia verba: penè enim ſingula habent pondus quoddam, ac peculiarem difficultatem. Et inprimis, cùm varia ſint viſionum genera in ſcriptura; quæritur de quo hic videndi modo intelligit, cùm ait, VIDEBIT? Deinde quomodo inquit, OMNES viſuros, cùm multi non viderint? quoue modo

I. MEMB. SALVTARE DEI quomodo videndum

Thema explicatur.

modo visionem sumat? Præterea cur inquit CARO? cùm intuitus corporeus Pharisæis, cæterisque similibus non solùm non profuerit, sed etiam obfuerit; cur ergo id tantoperè magnificat & prædicit præcursor Domini? Deniq; quid intelligit per SALVTARE DEI, cùm non Deus, sed nos homines salutari, id est salute indigeamus? Excutiamus singula antequam ad vlteriora veniamus, vt clariora sint cætera.

Varij videndi modi. Ita se res equidem habet, & in scriptura admodum varias esse visionum species, & de qua hic loquatur Ioannes, non adeò esse omnibus in propatulo. 1. Per visiones. Nam in scriptura celeberrimum est genus videndi, per visiones, aut apparitiones, siue in somnis, siue in vigilia, quibus aliquid vel occultum reuelatur, vel futurum prædicitur. A qua visione, & in veteri testamento Prophetæ, videntes dicti sunt, & in nouo illud Ioelis: *Iuuenes vestri visiones videbũt*, D. Petrus fidelibus applicat. *Ioel: 2 28.* *Act: 2. 17.* Neq; tamen de hac visione, ista Ioannis verba intelliguntur, cùm hæc de qua Ioannes loquitur, omnium qui volunt sit communis, ista paucis sit propria. 2. Per oculos. Sed & de visione, quæ fit oculis carnis, puto absolutè sumi non posse, propter dictas causas. Beatam enim quandam visionem hic Ioannes insinuat, à qua Pharisæi quàm longissimè aberant, qui tamen hanc carnalem habebant. 3. Per fidem. Est & alia visio per fidem, de qua Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. *1. Cor: 13. 12.* Verùm de

rùm de hac quoque præcisè intelligi non posse, clarum esse videtur, vel eo solo, quòd tali visione viderint SALVTARE DEI, omnes Prophetæ & sancti veteris testamenti: Ioannes autem futuram prænunciat & nouam quandã visionem: quæ verò per fidem fit, antiquissima fuit ab ipso mundi exordio. Verùm etiamsi huic visioni charitatem addas, nihil efficies, cùm tali antiqui iusti non caruerint; istam tamen de qua hic Ioannes loquitur, non habuerint. Quare relictis aliis visionum generibus, de illa visione Ioannẽ intelligẽdum puto; quã ipse Saluator Iesus, quasi Ioannem interpretãdo, & laudat in Apostolis, & eam beatã vocat, cùm inquit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Vt autem scias differentem hanc fuisse visionem, non solùm ab illa Pharisæorum, qui illũ hæc dicentem & audiebant & videbant, sed etiam ab illa antiquorũ Patrum, adiecit Christus Saluator: *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Visio igitur ista de qua loquitur, tum Ioannes, tum Christus Dominus, omnes istas tres postremas visiones complectitur. Nam discipuli Christi, & viderunt eum oculis carnis, ideò beatiores erant quàm Patres veteris Testamenti, & viderũt illum per fidem charitate informatam, ideò fæliciores erant Pharisæis qui vtroq; caruerunt.

4. Per charitatem.

5. De quo hîc agitur tria complectens.

Luc: 10. 23

Quid verò dicemus de nobismetipsis & de omnibus Christianis, qui Iesum in carne non

Difficultas notanda.

non

Quomodo nos Christum videamus.

non viderunt? Omissa visione impiorum Iudæorum, qui sine fide solam Christi carnem intuebantur; (Absit enim talis à nobis) de aliis id dicemus: quòd quamuis non videamus Christum SALVTARE DEI, eo modo quo eum viderunt Apostoli & alii Christi discipuli tum præsentes, (quod tamen aliquid ad beatitudinem contulisse testatur Christus, ideo hanc fælicitatem exoptabant pij viri, præsertim S. Augustinus) habere nos nihilominus quod istum suppleat defectum, prout ipse idē Christus asserere videtur, cùm Thomæ tergiuersanti & incredulo ait: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Quid est hoc quæso? & beati qui vident, & beati qui non vident, idq; teste eodem Christo? vtrumq; enim ipse Christus profert. Non est tamen vlla hic contrarietas, sed est magnum mysterium. Audite illud & intelligite; sit regula notatu digna. Quando fidem visio consequitur eique coniuncta est, (vt fuit in Apostolis copulata) tunc visio habet aliquid beatitudinis, & multùm consolationis: at verò quando fides visionem consectatur, eò quòd non priùs quis credere velit, quàm vel oculis corporis, vel intellectu rem perspiciat, decedit multùm de beatitudine; & talem fidem habuit Thomas: (talis etiam est, quinetiam multò peior fides omnium hæreticorum) propterea hic à Christo Thomas reprehenditur, illic verò Apostoli laudantur.

Ioā. 20. 29

Quomodo beati sint qui vident & qui non vidēt Christum.

NOTA regulam.

Quàm ex- Quod igitur ad nos, & omnes qui Christum

in car-

in carne visibili non viderunt, attinet, quantùm nobis ex illa prima decedit, quia oculis carnis eum non vidimus; tantùm nobis ex hoc secundo accrescit, quia credimus etiamsi non viderimus. Accrescit & aliunde etiam multò magis, quia in Eucharistia Christum suo modo videmus, de qua visione pulchrè disserit Chrysostomus, quem qui volet videat, nos verò nostra prosequamur. Concludimus itaq; & dicimus; quòd si in visione nostra SALVTARIS DEI, cætera paria fuerint, nempè & fides & charitas tanta extiterint, quãta erant in Apostolis, nihil nobis hac in parte ab illorum beatitudine decedet. Accedet autem plurimùm ad beatitudinem sanctorum Patrum qui in veteri Testamento vixerũt, duplici ex capite. Primum quòd nos fide videamus salutare Dei iam transactum, & non solùm salutem in medio terrę operatum, sed etiam infinita dona nobis relinquentem: ipsi eadem fide quidem, sed venturum adhuc videbant, ideò multùm angebantur desiderio, ac præterea tãtorum donorum participes non erant, quod in sola migratione animæ à corpore clarè constat. Ibi enim post mortem animæ etiam perfectissimorum virorum, ad sinũ Abrahæ deducebantur, nunc verò (ni aliquid aliud ad tempus obstet) recta ad visionẽ Dei in cœlum ab Angelis perducuntur. Secundo, quia nos præterea videmus Christum in Eucharistia præsentem, quam visionem non solùm

cellens sit nostra visio.

Chrysost: homil: 60. ad populũ Antioch.

lùm non habuerunt antiqui, ſed etiam vt arbitror, pleriq; illorum omni eius cognitione caruerunt. Eſt & aliud videndi genus per deuotam meditationem, per quam continuam ſalutaris Dei, & ſalutis noſtræ memoriam gerimus, per quam dicta, facta, imò & naturam eius contemplamur, per quam beneficia ipſius nobis præſtita, grati animi ſignificatione recolimus, & alia ſpiritualia exercitia exercemus. Pulcherrima ſanè, & meritis plena, ac cùm ab omnibus, tũ verò à viris Eccleſiaſticis & ſpiritualibus frequentanda viſio: verùm quia in hoc vnico verbo explicãdo nimis copioſi fuimus, ad alia tranſeamus, eaque breuiter perſtringamus.

5. Viſionis genus per contemplationem

Quomodò OMNES dicuntur videre.

Secundum igitur addit verbum noſter Ioannes, OMNIS, non quòd omnes, ſiue oculis, ſiue fide verbum incarnatum viderint, ſed duplici vel triplici alia de cauſa: tum quòd
1. omnes qui volebant illum id temporis recipere & videre, id aſſequi potuerint: tum quòd
2. tam à Iudæis quàm à gentilibus (in quæ duo genera hominum totus tum orbis diuidebatur) recipiendus erat: tum deniq; quia ad om-
3. nes huius rei fama & cognitio peruenit.

Cur CARO videre dicitur.

Ioan. 1. 14.

Tertiò adiungit verbum CARO, vbi per carnem totum hominem intelligit, vt ſæpè in ſcriptura. Sufficiat illud de Chriſto; *Et verbum caro factum eſt*: id eſt, verbum humanitatem ex corpore & anima conſtantem ſuſcepit, & ſibi hypoſtaticè vniuit. Viſionis autem per car-

nem,

nem, siue per oculos corporis, mentionem facit, quia talis visio propria fuit illius temporis, prout & in veteri Testamento Propheta, & in nouo Euangelista testatur: ille quidem dum ait; *Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Hic verò inquit; *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, &c.* *Baruch 3. 38.* *1. Ioã: 1. 1.*

Postremò ait SALVTARE DEI, per quod Christum Iesum Saluatorem mundi intelligit. Est autem cùm alibi, tum in Psalmis frequens mentio & salutaris Dei, & salutaris nostri, vtrumq; autem idem significat. Salutaris nostri Dauid in vno Psalmo satis breui, ter, vel quater mentionem facit. Ipsa etiam Beatissima Virgo in suo Cantico inquit: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Est itaq; Christus Iesus salutare Dei, quia à Deo Patre ab æterno salutem daturus ineffabiliter processit; Est salutare nostrum, quia vnà cum Patre & Spiritu sancto à principio mundi omnem hominum salutem operatus est. Est salutare Dei, quia à Deo missus in hunc mundum, per passionem suam *operatus est salutem in medio terræ,* vt de illo Propheta prædixerat. Est salutare nostrum, quia salutem ipse nobis omnem commeruit. SALVTARE DEI, & nostrum idem. *Ps: 61. 2.* *Luc: 1. 47.* 1. 2. *Ps: 73. 12.*

Quare (vt primum punctum concludamus) inuitauit Ioannes Baptista populum illum Iudaicum, vt SALVTARE DEI, Christum videlicet, Messiam, Deum hominem factum aspicere Exhortatio

aſpicere velit, cùm oculis corporis eum intuendo: tum verò oculis mentis ac fidei, illum pro Meſſia agnoſcendo, ac ad ipſius Aduentũ ſeſe præparando. Inuito etiam ego vos mihi in eodem Saluatore IESV chariſſimos, vt VIDEAT OMNIS CARO SALVTARE DEI, vt omnes quotquot eſtis, abiectis carnalibus illecebris, & poſtpoſitis mundanis deliciis, vos præparetis ad dignè celebrandam ſolennitatem iſtam magnam, in qua recolitur memoria, quando hoc SALVTARE DEI Chriſtus Ieſus, mundo primùm apparere dignatus eſt, è Virgine natus.

II. MEMB. Salutare Dei guſtandum etiã eſſe.

Verùm enimuerò cùm (vt iam inſinuauimus) duplex ſit viſio interior SALVTARIS DEI: prior, quæ ſola tantùm fide perficitur, poſterior quæ fidei charitatem adiungit: illa eſt quidem aliquatenùs bona, quia eſt donum Dei: ſed non eſt tanti, quia non guſtat Ieſum, quod habet altera. Tota enim ſuauitas in amore cõſiſtit. Ad hanc igitur viſionem interno guſtui noſtro gratiſſimam, & admodùm ſapidam, inuitat nos Dauid cùm inquit: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* hanc prophetat & optat noſter Ioannes, dicens: VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI. (Neq; enim de illa quæ cum diſſidio Dei coniuncta eſt, quicquam penſi habuiſſe credendus eſt.) De qua princeps Apoſtolorum loquitur cùm ait: *Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.* Hãc perdidiſſe quoſdam deplorat alter Apoſtolus Paulus. Ad hanc igitur & ego vos inuito dilectiſſi-

Pſ: 33. 9. *1. Pet: 2. 3.* *Heb: 6. 4.*

lectiſſimi mei, cum Ioanne, vt OMNIS CARO, id eſt, omnis homo hic congregatus, SALVTARE DEI, nempè Chriſtum Dominum videat guſtando, & guſtet videndo, non fide inani & mortua, quæ ſine guſtu eſt, ſed fide viua & vegeta, quæ dulcedinem operatur. Ad hanc inquam viſionem vos, prout promiſi ſecundo loco, exhortor, quam etiam ob differentiam primæ, guſtum ſalutaris Dei voco. Quæ ideò ſecundo loco ponitur, quia ſine prima eſſe non poteſt. Qui enim non credit, neque guſtat, quamuis non ſtatim qui credit guſtet. Ego verò rogo, vt non modò videre per fidem, ſed etiam guſtare Chriſtum velitis.

Quod ſi quæritis, in quo guſtus iſte conſiſtat? dicam breuiter tribus verbis, conſiſtere illum IN CHARITATE ORDINATA. Hanc habetote, & guſtabitis quàm ſuauis eſt Dominus. At dicet fortè aliquis diligens auditor, hæc repugnare dictis à me alias. Nam cùm (vt dictum eſt) Charitas non ſit ſine gratia Dei, profectò ordinatam illam eſſe oportebit; ſi enim ordinata non erit, neque charitas, ſed amor, aut dilectio quædam futilis erit. Reſpondeo veriſſimè quidem hæc dici, ſi ſtricto modo charitas ſumatur, idcircò per gratiam charitatem antè deſcripſimus, & eſt id etiam conforme ſacræ ſcripturæ, in qua ex centum locis quæ charitatis mentionem faciunt, vnicum tantùm notaui, in quo aliam ſignificationem habet. Illa videlicet verba Iudith, ſic Deum precan-

Guſtus cōſiſtit in charitate ordinata.

Charitas in ſcriptura dupliciter ſumitur.

Propriè.

Iudit 9.13 precantis, vt poſſit amputare caput Holofer-
Impropriè. nis: *Fac Domine, vt gladio proprio eius ſuperbia amputetur: capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Vbi clarum eſt, non illam charitatem diuinam intelligi. Petit enim Iudith, vt Holofernes capiatur verbis ipſius, amorem præ ſe ferentibus. Hanc charitatem in ſcriptura ſumptam pro quouis amore, modo imperfectiori & impropriè, vt excluderet ſponſa, in Canticis aſſerit in ſe ordinatam fuiſſe charitatem. Sic enim de ſponſo loquitur: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*
Cant:2.4.
De hac igitur vt loquamur, ordo noſter requirit. Nam ſponſus (qui non eſt alius, quàm SALVTARE DEI Chriſtus Ieſus) ſine ordinata charitate non guſtatur.

De hac charitate ordinata quatuor obſeruāda.

Habemus autem in iſtis breuibus verbis, tria expreſſè, quartum autem colligere debemus, vt plenam ordinandę charitatis notitiam habeamus. Primò enim audimus, vnde glorietur ſponſa, nempè ex ordinata charitate. Excellentiſſimum igitur quid eſſe debet. Secundò à quo id habuerit, videlicet à ſponſo. De illo enim loquitur, nec quiſquam præter ipſum id præſtare poteſt. Tertiò notat ſponſa vbi id beneficij perceperit, nempe in cella vinaria. Vinum, gratiam Spiritus ſancti ſignificat, quo vino repleti erant Apoſtoli, quando ebrij fuiſſe in die Pentecoſtes, à plebe putabātur: cella autem vinaria eſt Eccleſia. Nullibi enim extra hanc cellam, ſiue vinum tale, ſiue ordina-

1. Illam eſſe excellētem.
2. A Chriſto procedere.
3. Dari in Eccleſia tantùm.
Act:2. 15.

ordinata charitas reperitur. Hæc igitur habemus clarè.

Quartum autem videtur deesse, nec parui momenti, nempè in quo ordo iste charitatis consistat, proinde id & ex antecedenti subsequentique sponsæ sermone, & ex doctoribus colligere debemus. Vbi inprimis obseruandum venit, quod aliàs non tacuimus. Inter triplicem illum amorem, videlicet Dei, nostri, & proximi, qui tamen vnus est, quia ex vna charitate procedit, vel potiùs ipse est charitas, hunc esse ordinem seruandum. Primus locus Deo debetur & Christo Iesu, tanquam conditori, authori, conseruatori, rectori, ordinatori, & charitatis & omnis boni. Quis dicet aliter? quis id non credet? nō nisi atheus quispiam, qui Deum non nouit. Secundum obtinet locum amor sui, non ille malus, peruersus, nequam, quo vt plurimùm plena sunt omnia; sed bonus, ordinatus, sanctus, qui summoperè procurandus. Præcedit autem amorem proximi, quia nemo vlli quàm sibimetipsi est magis proximus. Postremus itaq; est amor proximi. Pulcher ordo, & necessaria consideratio ac doctrina, qua omnis scientia salutaris continetur, qua tota vita nostra sine offensa ducitur, qua infinitis scrupulis itur obuiam, præsertim hominum secularium, qui necessariò rebus terrenis & caducis occupati, cùm vxores, maritos, filios, amicos, imò res alias viliores, prædia, mercaturam, pecuniam

4. Quomodo sit ista charitas ordinanda.

Ordo inter triplicem amorem.

1. Dei.

2. Sui.

3. Proximi.

Quàm id scitu necessarium.

NOTA.

quoq; & his similia, amant, & de iis frequentiùs quàm de Deo cogitant, putant se peccare, & turbati ac in desperationem acti, in vera delabuntur peccata. His igitur omnibus remedium est adhibendum. Est verò istud, vt non turbentur, vt suauem legem Christi impossibilem esse non putent, vt non tam amorem attendant, quàm ordinem in amore seruent.

In deordinatione amoris totũ malum.

Audite quæso, & memoriæ vestræ imprimite. Non in amore vitium est, non equidẽ, quia amor à Deo creatus, & ideo bonus est, sed in deordinatione amoris totum est peccatum constitutum, hanc igitur caue. Nam vt infinita alia taceam, certè Apostolus dicit, imò iterat: *Viri diligite vxores vestras*, & vide quantoperè id fieri præcipiat, *sicut & Christus dilexit Ecclesiam*, inquit. Licitus igitur est amor vxoris, mariti, parentum, liberorum, & quiuis alius honestus, sed inordinatio nunquam est licita. id est, vt intelligas: Noli ponere amorem, cui secundus tertiusuè locus debetur in primo loco, alias enim & peccabis, & si in eo te mors comprehendet, peribis, quia displicebis authori omnis boni ordinis Deo; quia charitas in te ordinata non erit, imò nulla erit, sed fiet impurus amor tui & maledictus. Nam licèt tres isti amores sint nominati: sciendum tamen est duos tantùm fontes esse vniuersales amoris, ad quos quiuis amor reducitur, vt volunt sancti Patres: inprimis verò D. Augusti-

NOTA.

Ephes. 5. 25.

Duo fontes omnis amoris.

nus,

nus, imò ipsa scriptura. Aut enim est amor Dei ordinatus, vnde amor sui & proximi bonus profluit; aut est amor sui inordinatus. Prior dicitur charitas, posterior concupiscentia, quæ quàm malè audiat in scriptura, præsertim apud Apostolos, non ignoras. Quicquid igitur amas ad alterum horum fontium referas, necesse est.

Clamo denuò & iterum repeto. Si vultis videre, imò etiam degustare SALVTARE DEI, id est & ipsum Christum Iesum, & vestram salutem (diuina adiuuante misericordia, quæ semper præstò est) possidere, ORDINATE IN VOBIS CHARITATEM. Non enim in amore, sed in amoris inordinatione vitium consistit; sicut è contra, in charitate ordinata omnis virtus cōprehenditur. Hac regula omnem vitę tuæ cursum dirige & moderare, & in æternum non peccabis. Primum locum obtineat Christus Deus, cuius salua præeminentia, quicquid amare vis, ama & non peccabis, imò si ea ad laudem ipsius referes, vt te docet Apostolus, etiam mereberis; sin contrà amorem tui amori diuino prætuleris, actum est de te: nam *statim in foribus peccatum tuum aderit.* vt ipse Deus minatur Caimo, ex amore sui inordinato, & præceptum Domini nihili facienti, & ingenti odio in fratrem suum Abel flagranti. Cæterùm vt hæc omnia ab omnibus intelligantur, rem elucidemus obuiis exemplis. Faciliùs enim piscis extra aquam, quàm homo amoris

Primus in amore locus debetur Christo Domino.

1. Cor: 10. 31.

Gen: 4. 7.

expers vitã producere poteſt. Diſcute proinde in horas ſingulas quid amas? Amas fortè vxorẽ, liberos, cognatos, vicinos? aut quod vilius eſt, amicum, ſeruum, ancillam, eò quod ſint tibi vtiles? aut quod viliſſimum, prædia, lucrum, aurum, argentum, ipſas deniq; beſtias & bruta animalia diligis? Vide & diſquire quis in amore iſto primas obtineat, num amor Dei, an verò amor tui? Si amor Dei, bene eſt, ſin amor tui eminet, peccatum eſt, & cõuerſum eſt aurum in ſcoriam, charitas in concupiſcentiam.

Examen perutile.

Dices: at quomodo id ego ſciam, quando Deus in amore cæteris præferatur, & quando poſtponitur? Res non eſt tam obſcura vt eſſe putatur. Regulam accipe. Tum temporis Deus primas tenet, quãdo tu in amoribus & actionibus tuis diuinum ſequeris præceptum. E contra tum Deum poſtponis, quando propter explenda deſideria tua inordinata, imperium diuinum contemnis. Exempli gratia (vt à poſtremo incipiamus.) Offert ſeſe magni lucri occaſio, ſed cum peccato, vel vſuræ, vel fraudis, vel alicuius iniuſtitiæ coniuncta: tu verò repudias lucrum illud, quia ſcis id Deum prohibuiſſe. Hoc facto Deus in animo tuo dominatur & eminet, quia charitatis ordinatæ actum exerces; quod ſi contrarium feceris, & iniuſtum emolumentum complexus fueris, tunc tuam voluntatem diuinæ præferes, Deoq; ſpreto, peſſimo cõcupiſcentię vitio obſequeris. Idem dic ſi conſentis peccato, aut ne of-

Quomodo cognoſcẽdum quando Chriſtus præcedit.

NOTA.

Exemplũ.

ne offendas Dominum, magnatem, maritum vel quemuis alium, aut ne detrimentum patiaris in fama tua (vt tibi videtur) in corpore, in vita ipsa: ac propterea conuerteris ad amores illicitos, rerum creatarum, ad ebrietates, (ô quàm id frequens! ô quàm calua excusatio, coactus sum à tali & tali) ad nociuas adulationes, ad detractiones, ad vindictas proprias, ad quæuis deniq; à Christo prohibita. Tum temporis Deum contempsisti, charitatem læsisti, ordinem sanctum euertisti, Iesum tibi dominari non permisisti, propter concupiscentias tuas inordinatas, ne eæ læderentur, lædere Deum & offendere veritus non es, ac proinde ordine peruerso magis teipsum, vel alios propter te amasti, quàm Deum ipsum, quem cum iussis suis post tergum tuum proiecisti. Immemor quod ipse filius Dei præceperit, in tali casu non solùm non esse amãdos, sed etiam esse odio prosequendos, parentes, liberos, cognatos, vitam deniq; ipsam. *Luc: 14. 26.*

Et vt in pauca rem conferam. Scias in omni actione nostra, quæ ex tentatione sub deliberationem cadit, duo in nobis esse iudicia, & quasi postulata inter se è diametro pugnãtia: Dei vnum, concupiscentiæ alterum. Oborta etenim tentatione, vel ad peccandum illecebra oblata, verbi gratia, occasione fornicationis. Insurgit statim duplex iudicium; alterum ex synderesi cuilibet insita, negatiuum non esse committendum, quia diuinum id vetat

In nobis duo sibi contraria præcepta. NOTA.

 præce-

præceptum; alterum ex effrenata concupiſcẽtia affirmatiuum, exequendam eſſe potiùs, quàm tantam carnis vſtionem ſuſtinendam. Tu ſtas in medio, ſi primo acquieſcis tentationiq; reſiſtis, Deum Dominum tuum facis, tu verò illum vt decet ſequeris. Sin alterum arripis inſtinctum fœdiſſimæ cupiditatis, præcepto ſeueriſſimo diuino præfers, & vis, vt Deus ad tuam ſe accommodet voluntatem, contra omnem naturæ rei ordinem: ac proinde in illo amorem ordinatum, qui charitas dicitur, in hoc amorem tui inordinatum, qui concupiſcentia nuncupatur exerces.

Amor Dei debet præcedere.

Vox itaq; clamantis & idem iterum iterũq; repetentis, non iam IN DESERTO, ſed ecce in publico ex ſuggeſtu eſt mea. Ordinate in vobis charitatem, ſic enim videbit OMNIS CARO SALVTARE DEI, imò & guſtabit, atq; adeò manducabit dignè & magna cum ſuauitate. Ametur ſuper omnia Deus, præemineat Chriſtus, primas habeat creator & ſaluator Ieſus in veſtris amoribus, alij ſequantur & ſubſeruiant, quod ſi ſequi non poſſunt aut ſubſeruire, eo quòd ſint illi contrarij & impuri, relinquãtur, abiiciantur, conculcentur. Quid æquius, quã vt qui primus eſt, primum locum occupet?

Hoc docet ratio.

Hoc ſponſa.

Videte iam quomodo id ſponſa præſtiterit. ſic enim loquitur immediatè ante verba prolata:

Cant. 2. 3.

Sicut malus, inquit, *inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios, ſub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Mirè

deſcri-

describsit & sponsi dignitatem ac maiestatem prę omnibus aliis, & amorē eius præ omnibus amoribus, etiā quibus licitè implicamur, vt scias quem vniuersis præponere debeas in amore. Facit enim vt audis filiorum mentionem. Erga filios verò amor & licitus est omninò, quia ipsi naturæ insculptus & intentissimus, quia amor in liberos deorsum quasi tendit, alii amores, vel sursum ascendere debent, vt erga parentes, vel ad latus, vt est amor fratrum, nihilominùs huic filiorum amori amorem spōsi præfert, nosq; vt idem faciamus, docet.

Cur amor in filios sit intentissimus.

Notate autem, quæso, quomodo sponsa in duobus præfert amorem sponsi omnibus amoribus, nempè in *vmbra* & in *dulcedine*: ad hæc enim duo capita, ni ego fallor, reducuntur omnes inordinati amores, idcircò etiam in his superare sponsum (ordinatè tamen) infinitis modis cætera omnia demonstrat sponsa, vt nos ad amorem illius præ rebus omnibus pertrahat. Audite & intelligite. Primum caput vnde procedūt innumerabiles actus amoris inordinati, est VMBRA protectionis, adiutorij, spei, quam habemus siue in persona aliqua excellenti, magnifica, illustri; siue in rebus nostris, vt in operibus, prosapia, doctrina, vel ingenio. O quot hominum millia hac ratione pereunt, qui ne offendant principem, vel benefactorem suum, nōn verentur offendere summum, & principem, & benefactorem omnium Deum! Non paucos sanè nouimus, qui eti.

Amoris Dei duo impedimētā cum remediis.

Alterū est VMBRA, id est spes in creatura.

qui etiamsi conuicti sint in intellectu, fidem illorum esse peruersam tamen, ne offendant, vel perdant gratiam alicuius hominis, obstinati permanent in hæresi & perfidia sua. Alios pudor mundanus & diabolicus prohibet virtutes consectari & vitia detestari. Pudet inquam non inebriari, non luxuriari, famæ alienæ non detrahere, iniurias vel minimas à proximo acceptas non persequi, & acerbè vindicare, insuper & vitæ ipsius, odio planè Vatiniano in singula penè momenta insidiari.

Actus diabolico per similis.

D. Augu: lib:2. Cōf: cap: 9.

Quid ita? quia pudet non esse impendentem, quo actu nihil similius esse actibus dæmoniorum asserit D. Augustinus. Cur autem id faciunt homines impij? quia vident dominos, dominas, amicos, benefactores, & magnates id velle, quia timent ne fauorem vmbratilem perdant. O misera hominum conditio, contra quam clamat Dauid & ipse Rex:

Ps:145.3.

Nolite confidere in principibus in filiis hominum, in quibus non est salus. Alij confisi in maiorum suorum imaginibus, genealogiis, opibus, alij in iudiciis & ingeniis suis; quæ non patrant mala? quæ non omittunt imò impediunt bona? contemnunt, opprimunt, spoliant etiam viduas, & pupillos, iudicia peruertunt, & ne tantillum decedat de existimatione illorum, siue puncto, quod dicitur honoris, vale dicūt scientię diuinæ, quam norūt, honoriq; Christi detrahunt cui suum præferunt? At sciant quicunque tales sunt, & ab eodem Rege discant

Remedia contra 1.

ventu-

venturum tempus, quando *exibit spiritus eorum* Ibid: ℣. 4.
& reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, & omnis vana fiducia, & cunctæ vmbræ ac protectiones hominum, & vniuersæ scientiæ, diuitiæ, honores, in quibus spem suam collocabant; succedent autem omnia his contraria, & venient anni & dies, *de quibus dicas: Non mihi placent.* Hæc conside- 2.
ra ô popule Christiane; ista noctu ac interdiu Eccl: 12. 1.
meditare, vt non cum impiis sub vmbra illorũ quorum desideria pereunt, resideas. Sed cum sponsa dicente, *sub vmbra illius quem desiderauе-* Cant: 2. 3.
ram sedi: tu quoq; idẽ facias. Ipse enim vmbra 3.
sua efficiet, vt *per diem sol non vrat te, neq; luna per* Pſ: 120. 6.
noctem, id est nec prosperis eleueris, nec aduersis deprimaris, quamdiu in hac peregrinatione eris, qua transacta demùm securè & suauiter in æternum sedebis videndo illum facie ad faciem, quem hîc desiderauerat anima tua. Vtinam, ô vtinam omnibus nobis id eueniat.

Alterum caput & fons inordinati amoris est, inordinata DVLCEDO, qua illecti inflammatiq; omnes reliqui quotquot pereunt, inde in interitum ruunt. Res nec explicatione, nec exemplis indiget. Quæ enim hac in parte in singula momenta fiunt propalam obuia sunt omnibus, quàm verò vanæ, spurcæ, nociuæ sint eiusmodi deliciæ, & delectationes, quis ignorat? quis recensebit? idcirco illis omissis ad remedium recurramus. Hoc verò nullum est efficacius illo quod dicit sponsa:

Alterũ impedimentum est, DVLCEDO inordinata.

Remediũ contra

Et fructus eius dulcis gutturi meo. Sponsi videlicet, quem pomo comparauit sponsa, neque cuiuis pomo, sed vt volunt sancti Patres & res ipsa loquitur, malo optimo, quod tres habet qualitates, optimum videlicet colorem, odorem, saporem. Prô pudor, imò prô insania nostra, dum talia amamus, quæ verè nihil horum habent: ac propter hæc deserimus illum, qui vniuersa ista summo gradu in se continet. Quid, quæso, est solidi vel genuini decoris in auro, gemmis, & similibus? Errore potiùs hominum, quàm veritate facta sunt ista pretiosa. Multo minùs autem est in illis odoris, minimùm autem saporis: & tamen quot millia hominum amore illorum rapiuntur, & pereunt? Quid dicam de aliis fœdis voluptatibus & deliciis huius mundi? Nihil dicam ego, sed dicat vobis is, qui ita omnia degustauerat vt nullus magis, vt saltem experto credatur, & Regi, & sapienti. Is igitur scripsit librum integrum de vanitate harum deliciarum quem Ecclesiasten nominauit. In alio verò sic inquit: *Risus dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat.* O quàm hoc est verum: tam est profectò verum, vt nec ipsos stultos eorum amatores id lateat. Nonne igitur suprema est vesania, propter hæc deserere illum, qui colorem habet optimum: quia est *speciosus forma præ filiis hominum,* teste Dauide. & fragranti odore non caret, quia est *flos campi, & lilium conuallium,* vt ipse de se asserit. & est *dulcis gutturi,*

Deliciarũ mundanarum & diuinarum cõparatio.

NOTA.

Pro: 14. 13

Ps: 44. 3.

Cant: 2. 1.

vt ex ore ſponſæ audis? Ad hunc itaq; recurramus omnes obſecro, ab illo tanquam ex fonte omnes amores noſtri inchoëntur: ad eundem tanquam ad mare omnes reuertantur, tam amor ſui bonus, quàm amor proximi rectus. Ab illo etenim accipere debent, vt charitas, & charitas ordinata dici poſſint.

Ordinandus eſt iam nobis, & in nobis alter amor, ſui videlicet, non ille malus qui ſub ordinē non cadit, ſed naturalis, vt charitas efficiatur. Triplicem etenim noſtri amorem conſiderare nobis licet. Primus eſt naturalis, qui per peccatum corruptus, ad illicita nos per cōcupiſcentiam trahit; alter ſupranaturalis, qui charitas nuncupatur; tertius, vt ita dicam, cōtra naturalis, qui omnis peccati & fons & origo eſt, qui *concupiſcētiæ corruptio* à D. Petro nūcupatur: nos poſſumus illū concupiſcentiam conſumatā vocare. De quo illud Saluatoris nō malè intelligitur: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.* Impoſſibile eſt etenim, vt hinc boni aliquid procedat: propterea iſte amor ſui ordinari non poteſt. Sed & ſecundus ordinatione non indiget. Omnis enim charitas ordinata eſt. In primo itaq; tota difficultas conſiſtit, quomodo ſit ordinandus. De quo ſequentia ſponſæ verba fortè non abs re intelligemus, cùm inquit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hæc enim poſt diſceſſum ſponſi prolata eſſe, ipſe etiam D. Bernardus fatetur, qui inter alia, hæc verba habet.

Amor ſui triplex.

1. Naturalis.

2. Supranaturalis.

3. Contranaturalis.

2. Pet: 1. 4.

Primus eſt ordinādus.

Matt: 7. 18

Cant: 2. 5.

D. Bern: Serm: 51. in Cant.

habet. [Fidem, florem; fructum, actum intellige] fides autem, vt scitis, intellectum cognitione illustrat; actus autem siue opus, fructus est fidei.

Quia languorem inducit.

Hinc vtilia multa colligere possumus. Primum, vnde languor quem experimur in amore Dei, in nobis oriatur: nempè non aliunde, nisi quando absente per consolatoriam visitationem sponso incipit amor proprius naturalis turbare, & aut ad illicita, aut ad minùs licita nos pertrahere. Quid igitur remedij? Clamare cum sponsa ad sponsum, & amicos spôsi, id est ad IESVM & Sanctos eius: *Fulcite me*, corroborate, ferte opem, obsecro. Stipate, defendite contra insultus aduersariorum. Quomodo autem id facient? *Fulcite me*, inquit, *floribus, stipate me malis.* Nostis florem esse & initium & indicium fructus futuri, ideò si florem in arboribus non videtis, neq; poma speratis. Quod si flos eruperit, spes etiam fructus vobis affulget subsecuturi. Poma autem sunt quodammodo florum effectus. Duo igitur requiruntur vt amor nostri naturalis ordinetur, & fiat charitas. Alterum est cognitio, quæ in flore designatur, vt sciamus, & quis sit bonus, vel malus amor sui, & qui sit inter amanda ordo seruandus. Secundo requiritur opus ipsum, quod in *malis* seu fructu denotatur. In summa, cognitio aperit, quid sit agendum, ne erretur, operatio verò perficit, quod cognitio suggessit, ne prę noxio languore cor-

Ordinandus est autem

1. Per cognitionem

2. Per operationem.

re corruatur. Videns itaque ſponſa & lumen ad cognoſcendum, & vires ad reſiſtendum illi languori in ſe debiles admodùm eſſe, in vtroq; corroborari poſtulat, ne per languorem & teporem ad illicita vergat, ſed per ſanctum feruorem ad ordinatam ſui charitatem excreſcat. Amor enim noſtri naturalis, frigus & languorem inducit, amor autem ſupernaturalis, feruorem & vires ad exequenda etiam difficilia attribuit.

Gradus eorum quæ ſunt amãda in nobis.

Quod ſi ſcire deſideras, quiſnam ſit ordo iſte inter amanda, hoc amore ſeruandus, vniuerſalem accipe regulam, quæ excellentiora & potiora ſunt in nobis, intenſiùs & priùs eſſe amanda, quàm quæ iis viliora ſunt & abiectiora, ſecùs enim ſi fecerimus, minùs ordinatè ambulabimus. Eſt autem earum rerũ quæ ſunt in homine hic ordo. Primum & excellẽtiſſimum eſt in eo, ipſe ſpiritus, id eſt diuina gratia, quam animam & vitam animæ cum Auguſtino vocamus. Et meritò. Nam ſicut in quouis homine animæ beneficio corpus & omnia quæ in illo ſunt, mouentur, ita in piis hominibus ad mandatum charitatis, tam ipſa anima, quàm quæ in ea ſunt, libenter opera vitæ ſpiritalis exercent. Deinde in homine eſt ipſa anima, poſtea eſt vita, tum corpus, dein membra eius, poſtremò ſunt bona externa, vt opes & diuitiæ, viliſſimum quid omnium & extrinſecum. Hunc igitur iam recenſitum ordinem ſeruare debemus, ſi ordinatum amorem no-

1. Et summum locũ occupat gratia Dei. rem nostri habere cupimus. Vt primùm quidem propter gratiam diuinam in nobis retinendam, omnia perdere non grauemur, etiam vitam, adeoque animam ipsam, si fortè Deus illam vellet annihilare. (quod non faciet) Deinde ne anima minimùm detrimẽti patiatur, 2. Anima ipsa. reliqua omnia relinquenda sunt. *Quid enim prodest homini*, (inquit veritas) *si mundum vniuersum lucretur, animæ autem suæ detrimẽtum patiatur?* Matt: 16. 26. idcircò propter lucrandum totum mundum, imò & saluandum, nemo debet etiam veniale mendacium proferre. Animam sequitur vi- 3. Vita. ta, hanc corpus; quæ duo si prioribus, id est, 4. Corpus. gratiæ & animæ præfers, charitas Dei non est in te; sicut etiam si hæc postremis, id est opi- 5. Opes. bus, postponis. Putatisné tales deesse? Vtinam desint, saltem inter Christianos. vtinam sint vel pauciores, qui propter commodum temporale, non solùm gratiam diuinam & animam, sed etiam corpus & vitam ipsam perdunt. Amor quis insanus. In quibus habes effigiem amoris proprij inordinati, ac penitùs insani. Quis enim A simili. non reputaret illum insanire, qui ne perderet digitum, caput sibi amputari permitteret? Hic verò sine comparatione multò est quid magis vesanum. Caue igitur, caue; clama pro adiutorio ad Deum & sanctos eius, ipse autẽ adiutorium assume, & cooperare illi; agnosce ordinem inter hæc, fulcire floribus: tum fidei, tum spei: tum bonorum desideriorum, stipare malis & fructibus sanctarum operationũ, &

ordina-

ordinabitur in te charitas, vt non solùm videre, sed etiam gustare valeas SALVTARE DEI.

Sed dicet aliquis vestrum, me oblitum esse vnius haud postremi, quod in hoc amandorũ ordine collocari debuit. Honoris videlicet. At ego non sum eius oblitus, verùm vbinam collocari possit, vix reperio. Nam si mundi iudicium sequar, omnibus illum præferam necesse est: sin Chtisti exemplum intuebor, vix non omnibus postponam. Nostis quantus fuerit Iesus etiam secundum hominem? ex Regum prosapia nobilissimus, inter omnes homines sapientissimus, inter Prophetas & vates præstantissimus; denique in omnibus virtutibus summus. Si istis omnibus honor non debetur, cui rei debebitur? Nihilominus quàm prodigus fuerit sui honoris, neq; hoc ignoratis: *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis.* qua morte nihil magis ignominiosum reperitur, præsertim in tali persona, cum tot illusionibus, derisionibus, blasphemiis. Scio quid de honore dicant Doctores. sed & hoc videre mihi videor in nulla re magis errare mundum, quàm in discernendo quis sit verus honor, quis falsus, quis malus, quis bonus, quis melior, qui optimus. Item vbi sit collocandus, num ante vitam, an post, & quomodo, & quando, quæ omnia longum requirunt sermonem. Nobis id sit satis, vbicunq; illum collocaueris, vide ne propter tuum tuendum honorem, Deum inhonores.

Marginalia: 6. Honor. — NOTA. — Phil: 2. 8. — Regula notanda.

Quini-

Quinimò propter Christum Iesum, qui vt te exaltaret, valdè inhonorari voluit: tu quoque honorem tuum postpone & vilipende, vt Christus magis magisq; ab omnibus honoretur. Ita erit in te charitas ordinata. Prudenti dictum satis.

Amoris pxiini ordinatio.

Ad ordinandum postremum amoris nostri gradum, qui in dilectione proximi consistit, veniamus. Cui non ineptè, vt arbitror, applicari possunt verba sequentia sponsæ, cùm inquit: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Rediisse etenim (vt etiã D. Bernardus notat) videtur inuocatus sponsus, & non solùm rediisse, sed etiam languorem spõsæ, tum floribus odoriferis cognitionis, spei, bonæq; intentionis corroborasse: tum fructibus operationis & ordinatæ charitatis stipasse. Quinimò insuper etiam amplexatus est sponsam, læuam suam sub capite eius ponendo, ne langueat, dextra verò illam stringendo ne diffluat: & hac ratione amor proximi in ordinẽ redigitur, vt charitas efficiatur. Duo namque sunt, quæ maximè fraternam charitatem lædunt & deordinant. Primum suspicio, & iudicium sinistrum de proximo; secundum laxitas quædam in amore ipsius. Per primum malè de proximo sentimus; per secundum habenas amori laxamus, per vtrumq; dilectionem deordinamus. Ordinat igitur illum sic sponsus, vt refert sponsa: *Læua eius sub capite meo,* inquit, quasi dicat, supponit sponsus capiti meo

Cant: 2. 6.

Duo, quæ eius impediunt ordinem, tolluntur.

meo manum suam sinistram, ne ego sinistrè proximum iudicando, charitatem lædam. Bella ordinatio prioris defectus, sequitur alterius: *Et dextera illius amplexabitur me*, ait. id est, stringit me ne diffluã, ne nimius sit amor, ne inordinatus, sed vt sit dexter & rectus. Quæ est ista dexteritas? quæ rectitudo? Iam bona ex parte explicuimus, quæ enim de ordinando amore proprio dicta sunt, huc suo modo etiam spectant. **Amanda quomodo in ordinẽ reducẽda.**

Capita ordinatæ charitatis proximi hæc sunt. Primùm vt amor sponsi præcedat, sicut cætera omnia, ita dilectionem fraternã. Nam sicut alii, ita hic quoq; amor, charitate diuina moderandus est. Proinde quicquid vides in amore proximi Christo & eius præceptis repugnare, relinque. Deinde secundas obtineat amor tui ordinatus, cæteris tamen paribus (quod dicitur.) Nam vt dictum est, nemo ad saluandam animam proximi, debet perdere animam propriam, imò nec detrimentum in ea pati; idem dic de vita, propter conseruandam vitam alterius (nisi in certis casibus & personis) & sic deinceps de aliis iudica. Quæ tamen sunt inferioris ordinis in amore proprio, relinquenda sunt, propter amorem rerũ illarum, quæ sunt in amore proximi superioris ordinis, vt alias diximus. Ita pro conseruanda vita corporis proximi, expendẽdæ sunt pecuniæ, & alia bona externa nostra propria profundenda. Similiter ad saluandam animam

1. Sit amor Christi.

2. Amor sui in paribus.

Matt: 16. 26.

3. Amor proximi in disparibus.

proximi, non est parcendum vitę corporis nostri, quando es ad id constrictus, de quo suo tempore. Postremò, cùm in hoc capite magna sit amandorum copia, sunt enim amandi, superiores, inferiores, pares, parentes, vxor, liberi, amici & inimici, omnes denique; inter hos vniuersè loquendo magis sunt amandi meliores quàm deteriores, coniunctiores quàm remotiores, benefactores quàm clientes, amici quàm inimici, quos non odisse & communia illis officia præstitisse, satis est ad explendum præceptum: si plus tamen addideris, augebis mercedem tuam. Hæc de ordinanda charitate in nobis non tam declarasse, quàm delibasse satis esto, quibus & verba illa in themate posita, VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI, vt opinor, satis sunt explicata, si eius qui illa protulit Ioannis Baptistæ animum & intentionē expendas. hoc enim ille voluit, vt omnis homo per fidem viuam agnosceret Messiam præsentem. At verò nobis Christus Iesus pro sua liberalitate aliud quid insuper reliquit.

4 Ordo inter alia amanda.

III. MEMBRVM.

SALVTARE DEI etiam mãducandũ.

De postrema itaq; quam proposuimus horum verborum, VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI, consideratione, nobis agendum est. Non solùm enim ad videndum carnem salutaris huius, sed etiam ad vescendum ea vocati & inuitati sumus dilectissimi. O quanta gratia! Multò equidem iustiùs, quàm ipse etiam Dauid hic exclamare possum: *Non fecit taliter omni nationi*, qualiter fecit tibi ô natio Christiana,

Psal. 147.20

Solis Ca-

ſtiana, quæ ab illo non ſolùm nomen, ſed etiam rem accepiſti, vt Chriſtum verè & corporaliter manducare poſſes. Non ſolùm non fecit taliter ipſis Iudæis in vniuerſum, ſed nec illi qui hęc verba protulit Dauidi, nec vllis quos à principio mundi habuit dilectiſſimos, præter te gens Chriſtiana. Nam priora illa duo, nempè videre Chriſtum per fidem, & deguſtare eum per charitatem, habebant olim omnes pij: hoc verò, nempè manducare illum in ſacramento, tibi ſoli eſt proprium. Sis igitur grata tanti beneficii: grata autem eris, ſi illo vteris bene. Summum enim gratitudinis noſtræ erga Deum genus eſt, beneficiis eius benè vti.

tholicis id proprium.

Gratitudinis ſumma gradus.

Neque verò putes modicum quid hoc eſſe beneficij: quantùm enim diſtat inter cibi alicuius viſionem & deguſtationem, deguſtationem etiam ipſam & manducationem; tanta in hoc cibo ſanctiſſimo & pretioſiſſimo, ritè ſumpto & manducato, differentia eſt. Hic fidei actus non ſolùm circa reſidentem in cœlo Ieſum; ſed etiam circa præſentem hîc in Euchariſtia exercetur, contra omnem perfidiam, quæ id minimè credit. Hîc ſpes ad tantum ſibi datum pignus ac arrham erigitur & confirmatur. Hic charitas & gratia in ipſo fonte hauritur: hîc ipſum SALVTARE DEI in ſeipſo manducatur. Quid poteſt dici amplius, quid excellentius, quid vtilius?

Quanti id ſit valoris.

A ſimili.

Nullus itaq; ex omnibus, qui hîc in nomine Ie-

Sumenda

igitur Eucharistia ab omnibus. ne Iesu congregati estis, desit, qui non præmissa debita, per sacramentum pœnitentiæ & cõfessionis præparatione, corporis & sanguinis
1. Vt thema impleatur. Christi Iesu Domini nostri, in hoc sancto & solenni Natiuitatis ipsius die sit particeps, vt possim dicere cum magno Ioanne, de vobis hic congregatis, VIDEBIT & manducabit OMNIS CARO SALVTARE DEI. Ad hoc vos inuito,
2. Quia cogimur modo excellenti. moneo, hortor, & quantùm in me est, meo modo compello. Quid, inquitis, tu nos adigas, cùm nec ipsa nos ad id cogat Ecclesia? Quid si euicero, cogere eam vos, & excellentiori quodam modo cogere, ad Eucharistiam
Similitudo hoc sacro tempore sumendam? Quæro etenim quid dicitis de vobis, mauultisné esse mancipia, quàm amici, serui quàm filij Dei? Nihil penitùs dubito, nullum vestrum repertum iri, qui seruus esse malit quàm filius, imò qui non dicat se filium Dei esse. Id enim testatur D. Ioannes disertis verbis, nempè quòd
Ioan: 1. 12 non solùm Christus *dedit nobis potestatem filios*
1. Ioã: 3. 1. *Dei fieri, sed quòd filÿ Dei nominemur et simus.* Quãdoquidem ergo filij estis & Christi & sponsæ illius; attendite ergo & percipite quæ dicam. Fateor ego quidem vos ab Ecclesia non cogi ad communionem, vt coguntur serui & mancipia: sed & vos si ingenui estis, fateri debetis vos cogi ad eam, vt amicos & filios. Non cogit vos vt seruos excommunicationem minitando, cogit vos vt filios charitatem præ oculis ponendo. Quid ergo, cùm vos filios fatemi-

temini, non oſtenditis vos verè tales eſſe?

Quod ſi ex me quæritis, quid impulerit Eccleſiam, vt à trecentis iam annis (ante quos ſi vixiſſetis, obligati fuiſſetis arctiſſimè) deſierit ſuos hoc mandato communicandi, pro Natali Domini vrgere? Dicam paradoxon ſed veriſſimum, tepiditate veſtra id factum: nunc verò eadem tepiditas vos impellere debet, vt communicetis. Frigiditas, inquam, Chriſtianorum impulerat Eccleſiam, vt auferret à nobis communicandi obligationem, non quòd frequentari communionem nollet, quod cupit plurimùm, & vt fiat, hortatur; ſed ne ex omiſſione præcepti peccata multiplicarentur. Et hæc ipſa frigiditas adigat nos filios tanti Patris & indulgentiſſimæ Matris, vt & vltrò ob illorum amorem, & ipſa quaſi neceſſitate adacti, propter frigus noſtrum arcendum id iam faciamus. Quotus enim quiſq; noſtrum gelidum ſe eſſe in feruore charitatis non ſentit? certè qui id negaret, eo ipſo declararet ſe penitùs algere. Si igitur frigemus, cur ad ignem, qui Chriſtus eſt, verè & ſubſtantialiter in hoc ſacramento præſens, non accedimus vt caleſcamus? Videtis quomodo vndiq; vi veritatis conſtringimur? Accedite ergo dilectiſſimi, & accedite hilariter. Inuitat vos benignitas, liberalitas, omnipotentia, ſapientia diuina; Pater eſt, non indignabitur, medicina eſt, non inficiet. Neq; verò miramini me dixiſſe, quòd nos cogat charitas. Recordamini quod dicatur de

3. Vt quod frigus abſtulit, frigus repararet.

4. Quia charitas cogit.

Luc: 24. 29. tur de illis duobus euntibus in Emaus: *Et coëgerunt illum*, vt inquit D. Lucas. Quis coëgit? discipuli, homines, impotentes. Quem nam eum? Christum, Deum, omnipotentẽ. Quomodo coëgerunt? Non obligando profectò, sed rogando; non vim inferendo, sed charitate vrgendo. Cogit ergo suo modo charitas. Hoc ipsum facit tibi mater tua ô popule Christiane, vt per alios, ita per me monet, rogat, hortatur, charitatem ostentat, vt faciliùs te patiaris affici.

IIII. MEMBRVM. Summa dictorum: & ex manducatiõe SALVTARIS DEI fructus 18.

Neque enim gratis id feceris, neq; vllus inde quàm tu, si voles, plus fructus referet. Qui sunt isti fructus inquis? quæ emolumẽta? Quis innumera propè enumerabit? Pauca ex dictis in Euangelio accipe. Nam si ad cibum istum vti par est, & vt mater tua docet Ecclesia, te præparaueris, ac corpus sanguinemq; Christi dignè in Eucharistia sumpseris, ipse parabit vias suas in te, vt non solùm ambules, sed & curras per illas impigrè, clamando cum Dauide: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ipse semitas tuas, id est consilia sua, quæ pro amore ipsius complexus es, rectas faciet, vt neq; prauitate intentionis, neq; fœditate vanæ gloriæ deturpentur. Ipse valles miseriarum nostrarum & tribulationum, donis & consolationibus diuinis implebit, quæ in humiles abundantissimè defluent. Ipse turgidos montes nostros, & colles humiliabit: & ingeret lumen, vt cognoscamus nos, vt nõ

Ps: 118. 32

plùs

plus quàm conuenit de nobis nostrisq; rebus gloriemur. Ipse praua nostra itinera diriget, tum fidem Catholicam in nobis confirmando, tum iustitiam sanctam, vt cuiq; reddamus quod suum est, instillando; tum intentiones nostras, vt in omnibus purè ac sincerè honorem & gloriam ipsius quęramus, rectificando. Ipse aspera nostra complanabit, vt quæ dura videbantur, placida appareant, & quæ acria & aduersa sunt, plana & mollia fiant. Ipse insuper faciet, vt videamus SALVTARE DEI, per fidem rectam & contemplationem sanctam; vt non solùm videamus, sed etiam degustemus hoc salutare nostrum, per feruentem charitatem. Ipse etenim ordinabit charitatem in nobis, vt sub vmbra illius viuamus, & sedeamus, & dulcedinem eius degustemus, vt nihil in mundo & extra mundum illi præferamus, vt sic Christus Dominus semper in operibus nostris primas obtineat. Ipse & nostrum, & proximi nostri amorem in nobis in ordinem rediget. Ne amor quidem noster, vel languorem nobis inducat, vel quod multò est peius, in concupiscentiæ corruptionem excrescat; sed potiùs vt prudenter, & ordinatè, quæ digniora sunt, magis amet, ac gratiam diuinam vitæ etiam propriæ præponat. Similiter præstabit, vt amor proximi tum suspicionibus & temerariis iudiciis careat: tum ad illicita non diffluat, tum sanctum ordinem in latitudine eorum quæ amat, seruet. Addam dictis, quod

hiſce feſtis diebus à vobis executiòni mandare velim.

NOTA. Eſt in more veſtro poſitum, lauta adornare hiſce diebus conuiuia, pro amicis, cognatis, ſociis, dominis etiam, & pluribus aliis, qui hiſce non indigent, cùm habeant quod domi ſuæ comedant & bibant, audite me rogo, & ſic facite: rationes ſubducite, & videte quanti conſtabit hoc, quod molimini conuiuium vel etiam plura. Et relictis comeſſationibus, expendite hæc omnia in eos, qui non habent vnde vitam ſuſtentent ſuam. Præſtabitis etenim hoc vnico actu heroico, ad minimum ſex eximia bona. Nam primùm ibitis obuiam illi opinioni, quæ vos ad talia conuiuia maximè pertrahere ſolet, nempè ne videamini auari vel parci. Videbunt enim omnes vos illa omnia expendiſſe in vſus proximi, quę illi infructuoſè in ſuis conuiuijs conſumpſerunt, nec alia erit inter vos differentia, niſi quòd illi inordinatè aut minùs rectè, vos ordinatè rem veſtram egeritis. Ordo etenim totius naturæ clamat, indigenti potiùs quàm locupleti, & quod ſæpè fit, ſuperflua habenti, opem eſſe ferendam. Deinde impedietis ebrietates, detractiones, verba ſcurrilia, turpiloquia, & alia ſanè nec leuia, nec pauca peccata, quæ circa comeſſationes iſtas fiunt, tam inceſſanter, vt dedecori ſibi ducāt multi, ſi à talibus abſtineatur. Prętereà facietis, vt coci, ancillę, familiaq; tota, imò & conductæ perſonæ, quæ ſæpè nō deſunt

Sex bona ex conuiuiis ꝑ pauperibus.

1.

2.

3.

desunt hisce sanctis diebus sacrosancto sacrificio Missæ, non priuentur. Quod quàm frequenter fiat in accurata conuiuiorum præparatione, & quàm friuolè adferatur *ad excusandas excusationes in peccatis*, illud, non poterant audire sacrum, quia debebant cibos, & alia præparare. Vtinam non experiamini aliquando. Quartò iuuabitis & recreabitis valdè proximum indigentem, & ad multas benedictiones illum, imò multos proximos adducetis. Quintò, lætificabitis Angelos astantes, & omnes pios hoc videntes, imò totum cœlum cum rege illius Deo. Postremò, præparatio ad festa celebranda erit tam excellens, vt vix alia præstantior reperiatur. Hæc obiter occasione accepta, vtinam non gratis. *Psal: 40. 4.* 4. 5. 6.

Reliquum est, vt & alia beneficia, quæ dignè te Christe sumentibus largiris non taceamus. Possumus enim & meritò dicere cum Sapiente: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, videlicet cum Sapientia, quæ tu solus es Christe IESV. Venient autē hæc bona, quando non solùm videbit, non solùm gustabit, sed etiam manducabit OMNIS CARO SALVTARE DEI; vt possit cum Dauide exclamare: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Non solùm enim anima exultabit cordis nomine notata, sed etiam ipsa caro tam vilis vt est, tam abiecta, tam misera. Norunt & intelligunt, qui hæc gustarunt, quomodo per dignam Eucharistiæ sumptionem, odor vn-

Denique omnia bona proueniunt, ex bona communione.

Sap:7. 11.

Ps: 83. 3.

Ps. 132. 2. guenti pretiosi ex capite *Aaron descendit*, non solùm *in barbam*, sed etiam *in oram vestimenti eius*. Quomodo, inquam, ex hoc cibo pretioso, non solùm anima & potentiæ eius pascuntur, non solùm pars inferior cum appetitibus suis reficitur, sed etiam corpus ipsum cum sensibus suis refocillatur, recreatur, iucundatur. Vtinam omnes degustetis, & sentiatis.

Conclusio per exhortationem & compendium. Quare vt vnde cœpit, illic terminetur nostra concio. Cùm, vt dixi, Paschale instet festum post triduum, quatriduumue, dilectissimi: Festum, inquam, Natiuitatis Saluatoris nostri Christi IESV secundum carnem, qua die primum mundo visibilis apparuit, qua Deus homo inter homines viuere cœpit, qua Patri suo æterno sese quodam modo immolauit & obtulit, dicens cum Propheta: *Ecce venio*; qua cibum nobis præparauit, quem in vltima cœna priùs immolatum, postmodùm discipulis manducandum tradidit, nosque ad idem factitandum vocauit. Clamo igitur & inuito vos cum Apostolo; *Itaque epulemur*, dilectissimi, ineamus hoc magnum, inauditum, & saluberrimum epulum. Sed *non in fermento veteri* malarum consuetudinum, comessationum, ebrietatum, vanitatum, neq; *in fermento malitiæ & nequitiæ*, luxuriæ, aleæ, & nec in aliis adinuentionibus diaboli, *sed in azymis sinceritatis*, magno cum candore, sacram confessionem instituendo, simpliciter, non fucatè, sed ingenuè proximum diligendo, sincerè nos accu-

Ps. 39. 8.

1. Cor. 5. 8.

accuſando, proximum diligendo, Deum laudando *in azymis veritatis*, verè hic præſentem eſſe Chriſtum credendo, & deuotè ac humiliter ad percipiendum Corpus & Sanguinem eius accedendo. Ita enim fiet, quòd VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI. Videte itaq; illum, obſecro, quia ſpecioſus eſt valdè; guſtate eum, quia ſuauis eſt nimiùm; manducate illum, quia cibus eſt delicatiſſimus; credite illi dicenti: *Hoc eſt corpus meum*; quia verax eſt: ſperate in eum, quia ipſe & poteſt, & vult vos fulcire floribus, ſtipare malis, ne langueatis: diligite illum, quia ipſe eſt charitas, & omnem amorem ipſe in nobis ordinat, vt amor noſter charitas efficiatur. Sitis deniq; veri filij Eccleſiæ & Dei, vt non timore, ſed amore impellamini ad ea facienda, quæ illi placita ſunt ſemper: frigiditas vos abſtraxit à ſacra communione, frigiditas vos impellat ad eam capeſſendam, vt igne hoc ſanctiſſimo ſuccenſi, & hic in gratia diuina, ardore, ac in ea ad finem vitæ perſeuerare, & poſt hanc vitam gloriæ cœleſtis participes eſſe valeatis, per æterna & immenſa, & infinita, & nunquam terminanda ſecula ſeculorum.

AMEN.

CORRIGENDA.

Pagina 47. ℣*. 12.* &, *lege* eſt.
Pag: 65. ℣*. 16.* verbi, *lege* verbis.
Pag: 83. ℣*. 3.* in *dele.*
Pag: 89. ℣*. 1.* maxima, *lege* maximi.
Pag: 103. ℣*. 30.* ſui, *lege* tui.
Pag: 126. ℣*. 10.* quiſquis, *lege* quiſque.
Pag: 141. ℣*. 19.* comiſcare, *lege* commiſceare.
Pag: 147. ℣*. 5.* conteſtanter, *lege* conſtanter.
Pag: 153. ℣*. 26.* remanſerent, *lege* remanerent.
Pag: 216. ℣*. 16.* voluptitatibus, *lege* voluptatib⁹.
Pag: 243. ℣*. 30.* tum, *lege* tam.
Pag: 310. ℣*. 7.* reſtiturum, *lege* reſtituturum.
Pag: 331. ℣*. 9.* erint, *lege* erit.
Ibid. ℣*. 10.* redundet, *lege* retundet.
Pag: 337. ℣*. 26.* recentes, *lege* recenſentes.
Pag: 341. ℣*. 18.* pauperiſſimos, *lege* pauperrimos.
Pag: 354. ℣*. 1.* oportere, *lege* oportet.
Pag: 358. ℣*. 12.* non, *lege* nos.
Pag: 372. ℣*. 15.* accerſi, *lege* accerſiri.
Pag: 382. ℣*. 7.* ſtupendos, *lege* ſtupendas.
Pag: 383. ℣*. 9.* Paſtoribus, *lege* Doctoribus.
Pag: 400. ℣*. 15.* deuenerit, *lege* deuenit.
Pag: 410. ℣*. 2.* nimium, *lege* minimùm.
Pag: 454. ℣*. 12.* impendentem, *lege* impudẽtem.

Reliqua minuta ſunt, quæ per ſe quiſq; corriget.